Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/praelectionesthe0000iann

PRAELECTIONES
THEOLOGICAE

DE VIRTUTIBUS
FIDEI, SPEI ET CARITATIS

AUCTORE

IOANNE PERRONE S. I.

IN COLLEGIO ROMANO STUDIORUM PRAEFECTO

Editio II. emendatissima

TAURINI

EX OFFICINA STEREOTYPOGRAPHICA

HYACINTHI MARIETTI

MDCCCLXVII

Property of
CTSA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California

1867

25054

L'Editore intende godere del diritto di proprietà accordato dalle vigenti Leggi.

Property of
CDA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

LECTORI BENEVOLO

Rogarunt me saepenumero theologicarum rerum studiosi, ut praelectionibus, abhinc multos annos in lucem editis, adiicerem veluti perfectionem et complementum tractatus, qui theologiam, ut aiunt, speculativam respiciunt. Id quamvis mihi maxime probaretur, nihilque esset carius, quam ut operi primo quoque tempore manum admoverem, tot tantaque se interposuerunt difficillimis hisce christianae reipublicae temporibus, ut ad ea scribenda distulerim animum, quae maiorem ipsi utilitatem allatura arbitrarer. Sed quoniam tandem aliquando ad optatum exitum perduxi, quod rogabar, magnopere laetor, quod opus alacri et erecto animo in Dei gloriam unice susceptum, multis, ut sperare videor, profuturum in aspectum lucemque prodeat.

Et primum exordiri volui ea methodo, qua in dogmaticis praelectionibus usus sum, a theologicis virtutibus,

fide, spe et caritate, quibus homo christianus a naturali sua conditione in ordinem longe sublimiorem evehitur atque, ut ita dicam, divinus efficitur, utpote qui, Augustino testante, in illam Dei domum transfertur, quae credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur (1).

Atque eo libentius in hanc tractationem ingredior, quod ea, quae nisi obiter, ut occasio ferebat, et res ipsa postulabat, in superioribus lucubrationibus non attigi, nunc dedita opera evolvam, ea tamen lege, ut, si qua fusius aliis locis exposita sunt ac propugnata, in iis non immorer diutius, contentus explanatione earum rerum, quas opportunas iudicavero, ut partes inter se amico nexu copulatae lectorum mentes illustrent.

Praeter ea, quae adversus catholicae doctrinae hostes aut corruptores statuere mihi propositum est, plura sunt, quae theologorum placitis discutienda permittuntur in hac sacrae disciplinae parte, quaeque salva fide agitari pro uniuscuiusque sententia solent: ego certe in omni quaestione aperiam libere, quod verisimilius iudicem, quin tamen ullo pacto taxem reprehendamque eos, qui mecum communiter idem non sentiunt. Immo vero quum innumera prope sint, de quibus in utramque partem disputari possit, et ex his haud pauca minus utilia aestimentur: quae utiliora mihi sese offerent, breviter apteque pro virili parte, tantummodo consectabor.

Igitur quo magis omnia in aperto sint, praemissis

(1) Serm. XXVII, n. 1.

rerum tractandarum notionibus, quae ad singula spectant argumenta, singulis capitibus doctrinam exhibere constitui soluta methodo, seu per didascalicam expositionem; quae vero in contentionem inciderint, appositis propositionibus erunt vindicanda, ut catholicae ecclesiae doctrina sarta tecta servetur: nec id agens avertam oculos animumque ab luctuosa ista, quam vivimus, aetate, ut, quae e re esse duxero, summo studio non explicem.

Quamquam autem in id ingenii mei vires contuli, ut solidiores sententias, et a catholicis doctoribus (quorum studia et pervestigationes maximo adiumento mihi fuisse, profiteor) acrius subtilisque propugnatas amplecterer, tamen cum ea sit humanae mentis infirmitas, ut difficulter possit quis omni ex parte perfectum opus edere in tanta rerum varietate, haec ut caetera omnia, quae ad hanc diem lucubravi, infallibili sedis apostolicae iudicio committo. Priusquam vero finem dicendi faciam, cum praeclarissimo Africae lumine, Hipponensi episcopo, et illud addam: *Ego iudices vero et veritate severos magis intueor, inter quos et meipsum primitus constituere volo, ut ad illos ea tantum reprehendenda perveniant, quae a me, quamvis sedulo perscrutante, minime videri potuerunt ..... Fateor, me ex eorum numero esse conari, qui proficiendo scribunt, et scribendo proficiunt. Unde si aliquid vel incautius, vel indoctius a me positum est, quod non solum ab aliis, qui videre id possunt, merito reprehendatur, verum etiam a meipso; quia et ego saltem postea videre debeo, si proficio: nec mirandum est, nec dolendum, seu*

potius ignoscendum, atque gratulandum, non quia erratum est, sed quia improbatum (1).

Sed tempus est ad propositum accedere, tractationemque de theologicis virtutibus in tres partes distribuere, quarum prima de fide, altera de spe, tertia de caritate agat.

(1) Epist. CXLIII, alias VII, ad Marcell., n. 2-4.

PARS PRIMA

DE FIDE

1. Ut omnia unico veluti obtutu, quae ad praesentem tractationem spectant, complectamur, praemissis praeliminaribus fidei notionibus circa nomen, naturam, partitionem, aliisque eiusmodi ad dicendorum intelligentiam scitu necessariis, agendum nobis erit de eiusdem fidei obiecto, ut vocant, materiali, ac de obiecto formali seu motivo, nec non de eiusdem natura, certitudine, obscuritate, credibilitate, ac necessitate. His adiiciemus, prout ordo postulat, ea, quae de vitiis fidei oppositis dicenda supersunt. Sub unoquoque capite peculiares articulos et quaestiones, pro argumenti, quo de agitur, ratione apponemus.

CAPUT I.

Praeliminare.

DE VARIA FIDEI NOMINIS ACCEPTIONE ATQUE DEFINITIONE

2. Multiplici sensu tum in sacris litteris, tum apud ecclesiasticos scriptores fidei nomen usurpari, notissimum est. Etenim interdum pro fidei doctrina adhibetur, quo sensu Act. VI, 7 legitur: *Multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei;* et in symbolo Athanasiano: *Quicumque vult salvus esse, opus est, ut ante omnia teneat catholicam fidem.* Interdum vero sumitur pro conscientia, qua in significatione passim bona et mala fides dicitur, ut Apostolus Rom. XIV, 23: *Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est.* Rursum pro fidelitate in servandis promissis aliquando accipitur, iuxta illud eiusdem Apostoli Rom. III, 3: *Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit?* idest fidelitatem irritam faciet? Quo sensu, qui dictorum constantiam servant, probatae fidei homines appellantur. Usurpari etiam consuevit latiori sensu fidei nomen ad fiduciam designandam, uti Iacobi I, 6: *Postulet in fide, nihil haesitans.* Insuper usurpatur pro veracitate, quo sensu Ierem. VII, 28, de Iudaeis dicitur: *Periit fides de ore eorum*, Christus vero e contrario Apoc. XIX, 11, *vocabatur fidelis et verax.* Demum plerumque adhibetur ad assensum exprimendum, quem quis alteri praebet propter auctoritatem aut veracitatem loquentis sive attestantis, uti Hebr. XI, 3: *Fide intelligimus, aptata esse saecula verbo Dei.* Quo sensu etiam apud profanos auctores passim legimus: Alteri, vel alterius dictis fidem haberi. Atque hac postrema significatione hoc fidei

nomen accipimus, dum de fide theologica disserimus.

3. Fides itaque hoc sensu accepta ideo theologica dicitur, perinde ac spes et caritas, ut animadvertit s. Thomas: *Tum quia habent Deum pro obiecto, in quantum per eas recte ordinamur in Deum; tum quia a solo Deo nobis infunduntur; tum quia sola divina revelatione in sacra scriptura huiusmodi virtutes traduntur* (1). Hinc colligas licet harum virtutum excellentiam supra virtutes reliquas omnes sive intellectuales, sive morales, quae nempe ad intellectum aut ad mores informandos referuntur, quia, etsi istae pariter ad Deum ultimo dirigantur, haud tamen ipsum, ut illae, proxime atque immediate attingunt, aut contemplantur.

4. Ad pleniorem fidei notionem comparandam, praemittimus, fidem generatim sumptam praeseferre in suo conceptu assensum rei cuicumque ab intellectu praestitum propter dicentis auctoritatem: siquidem fide credimus, quae aliorum voce ac testimonio accipimus, cum eius obiectum sit verum, verum autem sit obiectum proprium intellectus.

5. Fides igitur necessario includit primo assensum aliquem magis minusve firmum pro gradu opinionis, quam credens habet de auctoritate testantis: secundo negationem immediatae cognitionis, circa rem quae narratur. Nam quae per nos ipsi cognoscimus, ea non credere sed scire dicimus (2).

6. In aestimando autem testimonio illius aut illorum, qui rem aliquam testantur, eo pluris unusquisque facit eiusmodi testimonium, quo firmius iudicat, testes nec falli posse, nec fallere velle, seu prout perspectam putat veritatem rerum, quas narrant, habere testes, atque probos esse, qui nolint alios in errorem inducere. Quod si rerum notitiam hauriamus non ab eo, qui rem immediate vidit vel detexit, sed ab aliis, quibus traditae fuerint, tunc ad fidem prudenter habendam praeterea requiritur ut non solum sinceritas praecipui auctoris explorata habeatur, verum etiam eorum omnium, quorum testimonio et traditione notitia ad nos usque pervenit.

7. Hinc quamvis fides intrinsecam rei evidentiam habere nequeat, quia, saltem sub uno eodemque respectu, excludit immediatam rerum cognitionem; potest tamen extrinsecam habere coniunctam evidentiam et certitudinem, cum scilicet tanta est testimonii auctoritas, ut prudenter iudicari possit, rem, quae narratur, ita esse, nec aliter esse posse. Hac certitudine, consentiunt omnes, certum esse, Iulium Caesarem extitisse, eundemque Romanae reipublicae habenas rexisse atque insidiis interemptum, atque id genus facta alia quamplurima (3).

8. Sed ut iam propius ad fidem theologicam accedamus, eam cum Apostolo Hebr. XI, 1 his verbis definimus: *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Quae verba si quis recte consideret*, inquit s. Thomas, *omnia, ex quibus fides potest definiri in praedicta descriptione tanguntur,*

(1) I, 2, q. 62, a. 1.

(2) Nihil tamen obstat, ut, quod ab uno cognoscitur, ab altero credatur, prout contingit non solum in divinis, verum etiam in humanis, seu naturalibus veritatibus. Insuper sub diverso respectu et diverso motivo eadem res et cognosci et credi potest, ut ostendimus in tract. *De loris theolog.* part. 3. *De analogia rationis et fidei*, cap. 2, prop. 4.

(3) Praeter philosophos, qui agunt de certitudine, de arte critica, consuli possunt Honoratus a s. Maria in op. *Réflexions sur les règles et sur l'usage de la critique.* Paris 1715; et Dan. Papebrock in *Propylaeo ad Acta Sanctor. maii.*

licet verba non ordinentur sub forma definitionis. Singulis porro Paulinae definitionis verbis expensis, ita concludit s. Doctor sub eiusdem articuli finem: *Si quis ergo in formam definitionis huiusmodi verba reducere velit, potest dicere quod fides est habitus mentis, quo inchoatur vita aeterna in nobis, faciens intellectum assentire non apparentibus* (1).

9. Si quis tamen maluerit ad dialecticae regulas fidei definitionem exigere, eam consensu communi probatam habebit his verbis expressam: *Fides est virtus theologica, qua homo firmo ac pio mentis assensu credit veritates omnes a Deo revelatas propter ipsius Dei revelantis auctoritatem.*

10. Singulas huius definitionis partes enucleando constat, 1° eam dici virtutem, eo quod bonum sit ac rationi consentaneum Deo revelanti fidem adhibere, et quia hominem perficit, prout proprium munus est omnium virtutum; theologicam praeterea nuncupari, quia immediate Deum respicit, tum etiam quia peculiari et gratuito Dei beneficio in regenerati cuiusque animam una cum baptismi gratia infunditur (2).

11. *Qua homo firmo ac pio mentis assensu credit;* quae verba veram germanamque fidei theologicae notionem exhibent. Siquidem haec in firmo assensu consistit, quo quis, omni haesitatione remota, vult veritatibus a Deo revelatis adhaerere, atque per hoc distinguitur ab opinione, quae assensum quidem aliquem praebet, sed nutantem, nec omnis errandi formidinis expertem. Ideo vero additur pio, ut significetur, fidem theologicam intellectus simul ac voluntatis, cum gratia illustrationis et inspirationis, concursum requirere: intellectus quatenus eius est de veritate cognoscere, eidemque cognitae assentiri, adeoque proprie et immediate est fidei subiectum: voluntatis autem, quatenus applicat intellectum ad consideranda credibilitatis motiva, eundemque movet ad assentiendum iis, quae constet esse revelata, ac demum approbat datum consensum; ex quo et illud consequitur; fidei actum esse meritorium. Hoc autem pio affectu destituti daemones sunt, qui fidem quidem habent, sed non theologicam: credunt enim et contremiscunt.

12. Additur vero: Veritates omnes a Deo revelatas, eo quod fides theologica in iis solis versetur veritatibus, quae ad religionem ac virtutem colendam supernaturali lumine divinae revelationis innotescunt, ad discrimen veritatum naturalium, quae nempe ad naturae cognitionem pertinent, aut moralium, quae solo naturali lumine aut deducuntur, aut cognoscuntur, quamvis et ipsae possint esse obiectum revelationis divinae. Veritates porro a Deo revelatae constituunt illud, quod obiectum materiale fidei vocant.

13. Propter ipsius Dei revelantis auctoritatem, quibus fidei formale motivum exprimitur. Nam nullis veritatibus hac fide assentimur, nisi constet, eas esse a Deo revelatas. Utrumque obiectum, materiale et formale, concurrit ad constituendam

(1) II, 2, q. 4, a. 1. Quoad verba ipsa Apostoli cf. Estium et Bernardinum a Piconio, nec non Corn. a Lapide in hunc loc.

(2) Nempe per modum habitus permanentis, quo fit, ut anima disponatur ad assensum praestandum suo tempore illis obiectis fidei, quae ei credenda proponuntur. Eiusmodi habitus autem iugiter perseverat, donec actu virtuti, propter quam datur, contrario destruatur, quod in casu nostro contingit per haeresim aut incredulitatem.

fidem supernaturalem, nimirum id, quod creditur, et id, propter quod creditur.

14. His passim adiicitur: Et ab ecclesia propositas; quia, licet ecclesiae propositio per se minime necessaria sit ad actum fidei constituendum, requiritur tamen ex parte credentis ad eliciendum hunc eundem actum respectu obiecti, quod credere ac profiteri debet. Est enim ecclesiae auctoritas infallibilis regula proxima fidei nostrae, qua nempe nobis constare potest omnimoda certitudine de veritatibus a Deo revelatis. Ceterum, ut videbimus, distingui debet inter fidem catholicam et fidem theologicam; ad priorem quidem requiritur ecclesiae propositio, minime vero ad posteriorem. Verum de his postea. Quae autem hic vix attigimus ad dicendorum intelligentiam, per partes explanare atque adstruere nobis propositum est. Si quae vero in controversiam veniant ea adversus catholicae veritatis osores propugnabimus.

CAPUT II.

DE OBIECTO FIDEI MATERIALI GENERATIM

15. Uti innuimus, materiale fidei obiectum dicitur, quod credendum est. Iam vero circa eiusmodi obiectum discrepant protestantes a catholicis. Iuxta catholicos fide credendum est divina, quidquid fuerit a Deo revelatum atque ab ecclesia propositum; eamque fidem omnino ad iustificationem et ad salutem necessariam contendunt. Protestantes vero fidei obiectum, seu fidem triplicem distinguunt, nimirum fidem historicam, fidem miraculorum, et fidem promissionum: hanc vero postremam bifariam iterum distinguunt, in generalem scilicet et in specialem. Generalem eam dicunt, quae complectitur promissiones, quae omnibus in Christum credentibus factae sunt de salute per Christi iustitiam obtinenda; specialem vero eam vocant, qua quisque in specie, immo et in individuo credit sibi factas promissiones de venia peccatorum suorum. Vi specialis fidei huius quilibet sibi applicat iustitiam Christi, et firmissime, seu pro certo habet, per imputationem iustitiae Christi sibi remissa esse omnia peccata, iustum sanctumque se coram Deo esse ac praedestinatum ad vitam aeternam (1).

16. Hisce fidei obiectivae distinctionibus praemissis, autumant protestantes, solam fidem promissionum necessariam esse ad iustificationem ac salutem, priores autem duas fides, historicam et miraculorum, quamvis non reiiciant, et credendum esse factis, quae in divina revelatione continentur, atque omnipotentiam Dei in res creatas omnes, affirment, tamen nullo modo concurrere ad iustificationem eiusmodi fidem, contendunt.

17. Atque haec quidem praecipua controversia est, quae catholicos inter et protestantes agitatur circa materiale fidei obiectum; sed admisso etiam, fidei obiectum esse, quidquid divinitus revelatum fuerit, aliqua inter theologos controversia est, quousque se eiusmodi obiectum porrigat, an ad ea tantum, quae explicite revelata sunt, an vero etiam ad ea, quae implicite sunt formaliter revelata, atque ad ea, quae virtualiter et mediate in divina revelatione continentur. Nos adstructa catholica veritate adversus saeculi XVI novatores, quid verisimilius sen-

(1) Ita Calvinus, qui totum hoc argumentum evolvit, lib. 3 *Instit.* cap. 11, ubi inter cetera sub finem § 16, scribit: « Fidelis non est, nisi qui, suae salutis securitati innixus, diabolo confidenter insultet.

tiendum videatur in quaestione domestica, aperiemus. Sit igitur

PROPOSITIO I.

Obiectum materiale fidei theologicae, ad iustificationem et salutem obtinendam necessariae, non sunt sola promissa, sed omnes et solae veritates a Deo revelatae.

18. Ex huius propositionis enuntiatione liquet, nos in ea complecti omnes prorsus veritates, quas constiterit a Deo revelatas fuisse, nullo facto discrimine, sive eae ad Deum ipsum spectent eiusque perfectiones ac libera decreta, sive spectent ad creatas res, perinde ac illae, quas protestantes nomine fidei historicae ac miraculorum designant; et dicimus hanc fidem esse omnino ad salutem necessariam.

19. Iam vero fidem theologicam ad salutem necessariam, sese extendere in suo materiali obiecto ad omnes omnino veritates a Deo revelatas, ex sacris litteris luculentissime constat. Siquidem Christus, *Qui crediderit*, inquit, *et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur* (1). Quid vero credendum sit ab eo, qui salvus fieri velit, in loco parallelo aperuit Apostolis suis dicens: *Euntes docete omnes gentes... docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis* (2). Ut alia pene innumera eiusmodi sacrorum eloquiorum oracula silentio praeteream, quae commodius paulo post afferemus; certe Apostolus agens de fide, per quam salutem adepti sunt iusti veteris testamenti, generatim pronuntiat: *Sine fide impossibile est placere Deo* (3); et iterum de fide obiectiva scribit: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma* (4), et ita porro.

20. Accedit et Patrum auctoritas, qui uno ore affirmant, fidem ideo catholicam dici, quod sese ad omnia extendat, quae a Deo universim revelata sunt, et sine qua salus aeterna, ac proinde iustificatio, obtineri nequit. Nos speciminis gratia unum aut alterum afferemus. S. Cyrillus Hierosolym. expositurus fidei Symbolum scribit: *Ratio divini cultus ex his duobus constat, piis dogmatibus et actionibus bonis; neque doctrina sine operibus bonis accepta Deo; neque opera recipit Deus a religiosis dogmatibus seiuncta..... Haeretici per blandiloquentiam et dicendi suavitatem simplicium corda decipiunt, Christi nomine, quasi melle, venenata impiorum decretorum iacula contegentes* (5). Item s. Leo M. totus est in commendanda orthodoxa de incarnatione fide, quae et impios ad iustitiam et mortuos revocat ad vitam (6); ubi de promissionibus excogitatis ab haereticis, ne verbum quidem. Demum in Symbolo Athanasiano nuncupato in universum dicitur: *Fides autem catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur.... Quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.*

21. En, quaenam sit fides, quae ad salutem iustificationemque perducit: plenus assensus iis omnibus veritatibus, quas Deus revelavit, sive hae de Deo sint, sive de iis, quae Deus gessit, sive quae promisit, omnes, inquam, indiscriminatim materiale fidei obiectum constituunt

(1) Marc. XVI, 16.
(2) Matth. XXVIII, 19, 20.
(3) Hebr. XI, 6.
(4) Ephes. IV, 5.
(5) Catech. 4, n. 2. Quibus verbis dum s. Cyrillus fidei catholicae dogmata affirmat esse eiusdem obiectum, haereticorum indolem et characterem mirifice designat.
(6) Sermo 15. *De Quadrag.* cap. I, ed. Ballerin.

ad iustitiam et salutem adipiscendam creditu necessarium. Inaudita prorsus praeteritis aetatibus fuit nova excogitata fidei distinctio in historicam, miraculorum et promissionum. Hinc merito egregius sacrarum scripturarum interpres de novatoribus, triplicem hanc fidem obtrudentibus, pronuntiavit: *Non ea, quam isti solum iustificantem et christianam appellant, quaque fingunt Christi iustitiam apprehendere, sed illa, quae Apostolorum Symbolo continetur, quae eadem et historica et miraculorum, et iustificans est. Nam ista triplex fides, quam isti nuper invenerunt, figmentum est, somnium est, portentum est, chimoera est; et, si unam haberent fidem, omnem haberent: quia triplicem habent, nullam habent* (1). De materiali fidei obiecto haec generatim dicta sufficiant: siquidem de haereticorum errore circa specialem fidem iustificantem oppositam propositionem statim adiiciemus.

Difficultates.

22. I. Obi. Deus solus est vere et proprie fidei obiectum, tum quia 1° in omni fidei divinae actu creditur Deus, tum quia 2° non potest aliquid credi, nisi ordinem habeat ad Deum, 3° eo vel magis, quod ea, quae ad Deum spectant, sint intrinsece ac necessario vera, non autem ea, quae Deo extrinseca sunt, cum possint esse et non esse; non eadem proinde firmitate nituntur ac priora, nec propterea possunt sub uno eodemque materiali fidei obiecto comprehendi. Ergo.

23. *R. Neg. ant.* ad 1 prob. *D.* In omni actu fidei divinae creditur Deus, ut obiectum formale, *C.*; ut obiectum materiale, *N.* Nam creditur Deus, prout creduntur ea omnia, quae Deus revelavit.

24. Ad 2. prob. *D.* Nisi habeat ordinem ad Deum sive immediate sive mediate, *C.* Immediate tantum, *N.*

25. Ad 3. *D.* in se, *C.* Supposita divina revelatione, *N.* In hypothesi enim, quod aliquae veritates a Deo revelatae fuerint, eadem nituntur certitudine, adeoque sub eodem materiali obiecto comprehendi et possunt et debent, cum repugnet, divinae revelationi posse aliquando falsum subesse.

26. Inst. 1. Saltem fides miraculorum nequit in eodem sensu haberi ac fides theologica respectu obiecti uniuscuiusque proprii. Nam miraculorum fides, quae ex fiducia oritur aliquid supra naturae vires obtinendi, non procedit ex habitu fidei dogmaticae seu theologicae, qua creduntur mysteria, promissa, comminationes, aut gesta, 2. insuper fides theologica omnibus communis est christianis, a quibus abesse non potest; fides vero miraculorum in omnibus minime requiritur; 3. fides praeterea theologica in nostra quodammodo debet esse potestate, ita ut infidelis censeatur, qui ea est destitutus, dum talis haberi non potest fides miraculorum, quae in omnium potestate non est: nec enim incredulus censeretur, qui non crederet in peculiaribus adiunctis patrandum esse miraculum, prout nec Petrus proprie incredulus extitit, dum ambulans super mare timuit mergi, Ergo.

27. Resp. ad 1 *N. A.* ad prob. *D.* Si tropice, seu figurate usurpetur, effectum pro causa sumendo, *C.*; in sensu proprio et formali, *N.* In hac enim significatione fides mira-

(1) Mald. Comment. in Evang. Matth. cap. IX, v. 7, exponens illud: Videns Iesus fidem illorum, ex quo colligebant Calvinistae, sola fide peccata remitti, quos acriter confutat.

culorum idem motivum seu obiectum formale habet ac fides theologica, nempe Dei fidelitatem in servandis promissis ab eo factis de obtinendo quidquid in Christi nomine ab eo petierimus. Cum autem eiusmodi promissa absoluta non sint, sed a conditionibus pendeant: Si expediat, si rite petierimus, aliisque eiusmodi, nil mirum, si ex parte nostra haud semper illa habeatur fiducia de effectu obtinendo, nec proinde effectus sequatur, quem intendimus (1).

28. Ad 2° *D.* Fides miraculorum non est omnibus communis quoad accidentalia et in casibus particularibus, *C.*; in se et quoad substantiam, *N.* Quoad substantiam enim habet pro obiecto omnipotentiam divinam, atque hoc sensu haec fides omnibus inesse debet; ast quoad accidentalia, fiduciam scilicet, ac praesentes subiecti circumstantias rei, loci, temporis, convenientiae, maioris minorisve firmitatis in eo, qui miraculum efflagitat, ea deficere potest absque fidei detrimento. Atque hic obiter observo, quod ille, qui miraculum obtinet, ex quodam interiori instinctu, ut plurimum iam habeat sentiatque fiduciam quandam firmissimam illud obtinendi, prout contingit quoties Deus vult aliquem ex servis suis etiam in terris glorificare (2). Haec porro non omnibus profecto nec semper communis est.

29. Ad 3° *D.* Donum miraculorum in nostra non est potestate, *C.* Fides miraculorum, *N.* Nec enim duo haec inter se permisceri debent; nam alterum est donum gratuitum, quod Deus interdum aliquibus sanctis suis largitur, alterum vero non item; ast vero praemisso pio affectu fidem constituit in nostra potestate, ut exinde meritum quisque habeat propriae fidei aut demeritum, pro uniuscuiusque fidelitate aut incredulitate. Ceterum si Petrus ac reliqui Apostoli timuerunt, atque a Christo Domino correpti sunt, non id ex fidei defectu in se contigit, sed ex defectu accidentali firmioris fiduciae, quam praeseferre debuissent.

PROPOSITIO II.

Obiectum materiale fidei theologicae ad salutem necessariae non in fiducia aut notitia specialis misericordiae consistit, sed in firmo assensu veritatibus a Deo revelatis.

30. Post ea, quae de materiali fidei obiecto generatim disserui, adoriar modo directe novatorum commentum de specialis misericordiae fiducia ad salutem obtinendam, cum plerique protestantes, orthodoxi saltem nuncupati, eidem adhuc insistant: agitur enim de articulo valde commodo, quo se ab omnibus aliis obligationibus liberant eiusmodi homines (3).

31. Iamvero ideae, quam nobis de vera fide exhibet Apostolus in

(1) Eiusmodi conditionum defectu fit, ut aliquando preces nostrae non exaudiantur, etsi ex fide theologica progrediantur, quin tamen habeant pro obiecto miraculum.

(2) Si rite perpendantur acta, seu processus in causis beatificationis et canonizationis servorum Dei, patebit luculentissime, infirmos, qui sanitatem ab aliquo desperato morbo obtinuerunt, ex divino, ut ita dicam, instinctu in se iam persensisse quandam certitudinem illam obtinendi ob intercessionem illius sancti, ad quem invocandum se contulerunt. Exinde palam fit, Deum peculiari ratione voluisse servi sui sanctitatem omnibus patefacere.

(3) Hinc quamvis variae protestantium sectae inter se in plerisque articulis dissentiant, in hoc tamen servando de certitudine propriae salutis obtinenda per solam fidem, seu per apprehensionem meritorum Christi, abiecta necessitate bonorum operum, sollicitas se ostendunt. Satis est vel recentissimas protestantium lucubrationes inspicere, ut quisque id deprehendat.

cap. XI suae epistolae ad Hebraeos, adversari novatorum doctrinam, patet vel ex ipsa, quam tradit, fidei definitione, scribens: *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Quae quidem verba quid aliud sibi volunt nisi hoc: Fides est apprehensio rerum sperandarum, idest eorum bonorum, quae Deus proponit in futuro saeculo diligentibus se, et convictio eorum, quae a Deo revelata sunt, humanae rationi non apparentium?

32 Sane, quae latine dicitur substantia, graece est ὑπόστασις, hypostasis, seu subsistentia, basis ac fundamentum rerum sperandarum, quia facit subsistere in nobis res sperandas: verum id non efficit, nisi quatenus eas repraesentat, earumque cognitionem ingerit menti nostrae. Substantia igitur rerum sperandarum est cognitio, quae per fidem oritur, et apprehensio futurorum bonorum, illiusque haereditatis, ad quam vocati sumus, cuius quidem specialem mentionem facit Apostolus, quia praecipuum constituit eiusdem fidei obiectum (1).

33. Additur autem: Argumentum (graece ἔλεγχος, ostensio) non apparentium, idest, ut praeeuntibus ecclesiae Patribus interpretatur s. Thomas, demonstratio et convictio eorum, quae non conspiciuntur, eo quod intellectus nostri captum longe excedunt. Etenim, prout acute adnotat s. Doctor, argumentum hic ponitur pro argumenti effectu; ut enim argumentum facit, ut quis convincatur de aliqua veritate, quam antea perspectam non habebat, ita fides efficit, ut hominis intellectus firmiter assentiatur iis, quae sunt a Deo revelata; hoc tamen discrimine, quod argumentum suadet evidentia rationum, fides autem auctoritate Dei revelantis; argumentum rem efficit apertam, quae prius obscuritate latebat, fides vero convictionem efficit, obscuritate relicta, ex quo recte eam appellat Apostolus argumentum non apparentium (2).

34. Deinde pergit Apostolus exponere eiusdem fidei effectus, dicens, nos intelligere, idest, cognoscere fide, aptata esse saecula verbo Dei; hac fide Abel plurimam hostiam prae Cain obtulisse Deo; hac fide Noe responso accepto de his, quae adhuc non videbantur, id est, accepta a Deo revelatione de futuro diluvio metuentem aptasse arcam in salutem; hac fide Abraham obedivisse divinae voci eum de patria evocanti, et exisse nescientem, quo iret, et demoratum in terra repromissionis tanquam in aliena; hac fide Saram concepisse praeter tempus aetatis, eo quod crediderit fidelem eum, qui repromiserat, eundemque Abraham obtulisse Isaac, cum tentaretur, arbitrantem, quia a mortuis suscitare potens est Deus, nec dubitantem, irritas fore promissiones divinas ingentis posteritatis per ipsum suscipiendae. Quorum similia multa de eximia Iacobi, Iosephi, Mosis, aliorumque insignium veteris testamenti virorum fide in eiusdem capitis decursu prosequitur.

35. Quibus praemissis, sic iam adversarios perstringimus: certum est, ibi apostolum sermonem habe-

(1) Apposite Bernard. a Piconio adnotat in suis comm. in hunc loc. quod fides sit etiam rerum timendarum v. gr. inferni; sed de sperandis tantum loquitur Apostolus, quia per illarum existentiam et aspectum vult Hebraeos ad perseverantiam animare. Fides itaque est quasi oculus, vel quasi dioptra, qua res remotissimae et alias non apparentes quasi proximae videntur.

(2) II, 2, q. 4, art. 1.

re de fide iustificante; loquitur enim de ea fide, qua iusti omnes veteris testamenti Deo grati extiterunt, qua iustus vivit, ut paulo ante dixerat, per quam fit acquisitio animae, et sine qua fit subtractio in perditionem, sine qua demum impossibile est placere Deo. Atqui nulla hic mentio fit fiduciae illius specialis misericordiae divinae, quam ipsi comminiscuntur, nullum vestigium reperitur de distinctione inter fidem historicam et fidem miraculorum et fidem promissionum, sed una tantum fides ab Apostolo commendatur, nec alia nisi ea, qua homo ob auctoritatem Dei revelantis iis, quae revelaverit, firmiter ac reverenter assentitur. Ergo non in fiducia, neque in notitia specialis misericordiae, sed in firmo assensu, quo veritatibus revelatis mens assentitur, vera fides consistit.

36. Id ipsum patefit ex natura actus fidei, quem Scripturae exhibent; sic Rom. IV, 3 dicitur: *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad iustitiam.* Io. XIV, 10: *Non creditis*, inquit Christus discipulis suis, *quia Pater in me est, et ego in Patre?* Actor. VIII, 37 respondit eunuchus Philippo: *Credo, Filium Dei esse Iesum Christum.* Iamvero per fiduciam non creditur, sed speratur. Scripturae praeterea distinguunt fidem a spe, ut I. Cor. XIII, 13: *Nunc autem manent fides, spes, caritas;* atque Ephes. III, 12: *In quo habemus fiduciam et accessum in confidentia per fidem eius;* ubi fides ponitur ut causa fiduciae. At si fides distinguitur a fiducia, ergo fides non est fiducia. Demum Scripturae fidem ad intellectum referunt iuxta illud II. Cor. X, 5: *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Fiducia vero non ad intellectum, sed ad voluntatem pertinet.

37. Nec est, quod obiiciat Kemnitius, 1° fidem quidem sine assensu non esse, minime tamen in assensu positam esse; haec enim quatuor ad fidem pertinent, 1. nempe notitia divinarum promissionum; 2. assensus, quo intellectus eisdem adhaeret; 3. desiderium, vi cuius voluntas in eas tendit; 4. demum fiducia quae iustificationem apprehendit, 2° fidem interdum poni in voluntate a Scripturis, eo ipso quod cordi tribuatur; ita Philippus eunucho baptismum petenti respondit: *Si credis ex toto corde, licet.*

38. Nam resp. ad 1. negando assumptum. Siquidem gratis assumitur ab adversario, solas promissiones divinas ad fidem pertinere, cum ex demonstratis ea extendatur ad omnia quae Dei verbo continentur. Hac sola animadversione tota dissolvitur Kemnitii machina. Sed praeterea licet desiderium ac fiducia ad voluntatem spectent, fides quae ab illis distinguitur, ad intellectum pertinet. Demum aliud est ad iustificationem fiduciam simul cum fide requiri, quod ultro concedimus, aliud fiduciam a fide non distingui, quod ex dictis est omnino falsum.

39. Ad alterum, *D.* Interdum ponitur vox cordis ad significandum voluntatem, *C.*; semper et in casu, de quo loquimur, *N.* Exploratum enim est, cordis vocabulum in scripturis passim pro tota anima usurpari per oppositionem ad carnem, qua dictione corpus significatur; ita Ps. LXXXIII, 3: *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Interdum etiam cor pro intellectu sumitur, ut Rom. I, 21: *Obscuratum est insipiens cor eorum;* interdum pro memoria, ut Luc. II, 19: *Maria conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo;* tandem pro voluntate, ut Is. XXIX, 13: *Cor eius longe est a me.*

PROPOSITIO III.

Multo minus materiale fidei obiectum in speciali consistit fiducia seu certitudine, qua unusquisque credit, sibi remissa esse peccata ac se esse iustificatum et praedestinatum.

40. Alterum doctrinae protestantium paradoxum haec propositio impetit de fiducia, seu verius de certitudine, quam quisque in individuo habere debet ad obtinendam iustificationem, quod sibi sint remissa peccata, immo et sit iustificatus et praedestinatus; atque hoc esse unicum fidei obiectum necessarium ad salutem.

41. Iam vero eiusmodi paradoxum iuxta constituta principia evertere operosum non est. Etenim fides divina nulla esse potest, nisi quae divina revelatione innititur; atqui nuspiam revelatum est, quod unicuique credenti sint remissa peccata, ac iustificationis donum collatum, multo vero minus, quempiam singulatim esse praedestinatum, quin potius Scripturae monent: *De propitiato peccato noli esse sine metu*, ut Eccli. v, 5 rursum nemini esse compertum, *Utrum amore an odio dignus sit*, uti Eccl. ix, 1. Nullo igitur fundamento nititur fides qua quis credit, esse se iustificatum aut praedestinatum, aut sibi remissa esse peccata, ac omni prorsus obiecto eiusmodi fides destituta est; nequit proinde esse fides theologica eaque salvificans.

42. Nec iuvat protestantes reponere, defectum specialis revelationis unicuique factae de propria iustificatione et salute suppleri per promissionem generalem, in qua specialis continetur: dictum porro universim est, Io. III, 36: *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam;* Act. XIII, 39: *In hoc omnis, qui credit, iustificabitur*, Rom. III, 22: *Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes et super omnes, qui credunt in eum.* Singuli ergo, qui credunt, iustificantur.

43. Verum dum his innituntur novatores ad suam obtrudendam specialem fiduciam, multiplici ex capite decipiuntur. Ac primo quidem, cum supponunt, perinde esse credere in Christum ac sibi dimissa esse peccata per Christum; nam credere in Christum ex Scripturarum sensu est credere, quod Christus sit Filius Dei. Idem enim Ioannes, qui loc. cit. scribit: *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam*, I. Epist. V, v. 1, *Omnis*, inquit, *qui credit, quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est*; et Apostolus Rom. x, 9 pariter declarat: *Quia, si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris.*

Secundo, dum assumunt, salutem indefinite promissam esse omni credenti, quacumque demum ratione credat, et non potius salutem promitti iis tantum, qui fidem rectam tenent ac profitentur (1). Porro quod quis rectam habeat fidem necessariam ad iustificationem, profecto nuspiam revelatum est, ac ne ulli quidem certo constare potest. Sane vel ipsi adversarii fateri coguntur multos falso credere, se veram

(1) Sane si sufficeret materialis in Christum fides, haeretici omnes, qui se christianos esse contendunt ac tales se appellant, iustificati fuissent, ac iustificarentur. Ideoque omnes gnostici, ariani, nestoriani, eutychiani, prout et sociniani, mormones, ceterique omnes, totidem essent iustificati, quod profecto neque adversarii admittunt. Credere in Christum proprie significat et in eius personam et in eius doctrinam recte credere, quod profecto haeretici protestantes non faciunt, eorumque proinde fides inanis, incepta, ac nulla est.

habere fidem, quam reipsa non habent, cuiusmodi sunt saltem omnes ab iis dissidentes.

44. Tertio tandem in eo errant, quod supponunt, per solam fidem hominem iustificari, cum tamen constet, ut suo loco ostendunt catholici theologi, multas alias conditiones praeter fidem requiri ad iustificationem et salutem (1).

45. Exinde colligitur, quam recte Tridentinum sess. VI hos haereticorum confixerit errores, can. XII: *Si quis dixerit, fidem iustificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinae misericordiae peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua iustificamur; anathema sit;* et canon XIV: *Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi ac iustificari ex eo, quod, se absolvi et iustificari certo credat, aut neminem vere esse iustificatum, nisi qui credat, esse se iustificatum, et hac sola fide absolutionem et iustificationem perfici; anathema sit.*

Difficultates.

46. I. Obi. 1° Ex Apostolo Heb. XI, 1, *Fides est sperandarum substantia rerum*, graece *hypostasis seu exspectatio:* fides propterea ex Apostoli mente nihil est aliud, quam exspectatio certa promissae misericordiae; 2° et reipsa Ps. XXXVIII, 8 legitur: *Quae est expectatio mea? nonne Dominus? Et substantia mea apud te est;* 3° quare hic Apostoli locus ab Augustino *hypostasis sperantium* effertur. 4° In hac sententia, cum Apostolus praemisisset cap. III, 6 eiusdem epistolae: *Quae domus sumus nos, si fiduciam et gloriam spei usque ad finem firmam retineamus;* subdit v. 14: *Participes enim Christi effecti sumus, si tamen initium substantiae eius usque ad finem firmam retineamus.* Ex quibus palam fit, fiduciam et substantiam promiscue poni, eademque significatione usurpari. Ergo.

47. Resp. Ad 1. Negamus, ex Apostoli mente hypostasim in sensu expectationis accipi posse. Quo enim sensu Apostolus in adducta fidei definitione vocem hypostasis adhibuerit, ipsemet declarat in altera eiusdem definitionis parte dicens: *Argumentum non apparentium*, quae certe verba de expectatione intelligi nullatenus possunt. Cum vero haec determinent sensum vocis hypostasis de subsistentia, seu de substantia, prout in vulgata habetur, alia eiusdem vocis expositio quaerenda non est.

48. Ne vero quis putet, ex arbitrio hanc nos interpretari hypostasis vocem, iuverit eam auctoritate fulcire s. Ioann. Chrysostomi, qui sic Apostoli verba praeclare explanat, scribens: *Quoniam, quae sunt in spe, videntur esse huiusmodi, ut non possint consistere, fides eis donat substantiam, idest, ut consistant, vel potius non donat, sed hoc ipsum est eorum essentia: ut exempli causa non advenit resurrectio, neque est in substantia, id est non consistit, sed fides facit, ut ea consistat in nostra anima; hoc est, rerum, quae sperantur, substantia* (2).

49. Ad 2. D. In Ps. XXXVIII substantia in hebraico textu significat exspectationem rei futurae, seu speratae, *Tr.* vel *C.*; rei praesentis in sensu adversariorum, *N.* Dato enim quod reipsa iuxta hebraicam veritatem substantia idem valeat ac

(1) Cf. Bellarm. *De iustificat.* lib. 1, a cap. 8 ad 12, ubi fuse hoc de argumento agit, veritatemque catholicam in toto suo lumine constituit.

(2) Hom. XXI in cap. 11, in epist. ad Hebr. n. 2, edit. Maur. opp. t. 12, p. 197.

exspectatio (1), heic tamen adhibetur pro re sperata aut exspectata, quae est vera vita et existentia, seu potius subsistentia (2), apud Deum, seu Deus ipse, obiectum spei et beatitudinis nostrae. Hoc porro sensu nemo eiusmodi exspectationem fidem theologicam dixerit (3):

50. Ad 3. *D.* Hypostasis sperantium, quatenus fides est fundamentum et basis rerum sperandarum, *C.*; quatenus significetur certitudo sperantium, *N.* Responsio patet ex dictis, nec alia est mens s. Augustini (4).

51. Ad 4. *N.* sensus enim utriusque loci capitis III ep. ad Hebraeos est: ita demum nobis profuturum ad salutem, quod Christi participes effecti sumus per fidem, si in ea perseveremus usque ad mortem. Adhortatur siquidem Apostolus Iudaeos nuper ad Christum conversos, ut perseverent in suscepta fide, si salvi esse velint. Quid commune id habet cum fiducia seu exspectatione certa, nempe fide speciali haereticorum de adepta et nunquam amittenda iustificatione? Immo potius ea ab Apostolo evertitur per appositam conditionem: *Si tamen*, etc. (5).

52. Inst. 1° Abrahae fides, quae ex Apostolo Rom. IV, 3 seqq. *reputata est illi ad iustitiam*, nihil aliud fuit, quam fiducia; ibidem namque dicitur, quod: *Contra spem in spem credidit... nec haesitavit diffidentia;* quo sensu legitur Marci XI, 24: *Omnia quaecumque orantes petitis, credite, quia accipietis, et evenient vobis*, ubi credite perinde valet ac confidite; sic Iac. I, 6: *Postulet in fide nihil haesitans;* et II Paralip. XX, 20: *Credite in Domino Deo vestro, et securi eritis.* Quae quidem omnia aperte evincunt, fidem in Scripturis pro fiducia usurpari; 2° et reipsa defectus fidei timiditas et pusillanimitas appellatur, uti Matth. VIII, 26: *Quid timidi estis, modicae fidei?* Timiditas porro non est proprie defectus fidei, qua creditur, sed potius fiduciae, qua speratur; 3° Hinc Rom. IV 16 dicitur: *Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio.* Constat igitur, fidem nihil aliud esse, quam apprehensionem promissionum divinarum: ut enim in humanis rat° non est promissio, seu donatio, donec acceptata fuerit; sic promissio iustificationis nullum sortitur effectum, nisi fide apprehendatur.

53. Resp. ad 1. *Neg.* in adductis Scripturarum testimoniis agi de fi-

(1) In Hebr. enim est תּוֹחַלְתִּי exspectatio mea pro substantia mea.

(2) Quo factum est, ut in vers. Alexand. habeatur ὑπόστασις.

(3) Cf. Bellarm. in loc. cit. cap. 11, n. 3, seq.

(4) Sane S. Augustinus affert fidei definitionem, serm. 126 de verb. *Evangel. Ioannis* 5, n. 2, ed. Maur. scribens: « Ergo fides est, sicut alibi definitum est, sperantium substantia, convictio rerum, quae non videntur; » prosequitur vero: « Si non videntur, quomodo convincuntur, quia sunt?... Aspice, quae vides, et quaere, quem non vides. Crede in eum quem non vides, propter illa quae vides; » ubi apertum est, s. Doctorem disserere de certitudine fidei eorum, quae sperantur, ideoque nihil habere commune cum adversariorum commento.

(5) Cf. Estium Comm. in hoc cap. III ad Hebr. ubi interpretationem haereticorum evertit, nec non Bernard. a Piconio. Hac de causa Apostolus fiduciam etiam uti conditionem apposuit dicens: « Si fiduciam et gloriam spei retineamus, » verba autem illa vers. 14: « Si tamen initium substantiae eius usque ad finem, *duce s. Io. Chrysostomo, exponunt de fide*, per quam consistimus, et geniti sumus, et geniti sumus quadantenus consubstantiati; adeo ut fides sit initium substantiae, seu subsistentiae Christi in nobis, et sit initium nostrae subsistentiae spiritualis in Christo, proindeque nostrae iustificationis, qua facti sumus nova in Christo creatura. »

ducia, sed unice agitur de vera et proprie dicta fide.

54. Etenim Apostolus Rom. IV, Abrahae fidem idcirco summopere commendat, quod plenissime sciret, idest, certissime teneret, quod, quaecumque promisit Deus, potens est et facere; ideoque in spem contra spem credidit, idest possibile, immo eventurum infallibiliter credidit, quod ex communi naturae ordine impossibile videbatur, non haesitavit diffidentia, hoc est, nulla nutavit dubitatione aut incredulitate (1).

55. De vera pariter fide intelligi debent, quae Marci XI et Iacobi I leguntur (2). Iubet enim nos Deus firmissime credere, quod ipse possit ac velit nobis dare quidquid petierimus, modo recte petamus, eaque petamus, quae saluti nostrae expediant. Unde Matth. IX, 28 caecis visum petentibus ait Iesus: *Creditis, quia hoc possum facere vobis?* et Luc. I Zacharias ideo linguae impedimento mulctatus est, quod angelo, filium promittenti, senectutem suam et uxoris sterilitatem obiecerit: atque ibidem Maria, ut crederet, quae ab angelo denunciabantur, hac praecipue causa adducitur: *Quia non est impossibile apud Deum omne verbum* (3).

56. Sensus verborum II Paral. patefit ex iis, quae immediate subduntur: *Credite prophetis eius, et cuncta evenient prospera:* crede e autem prophetis est credere, vera esse, quae prophetae praedicunt.

57. Ad 2. *D.* Timiditas tribuitur defectui fidei simul et fiduciae, *C.*; solius fiduciae, *N.* Fiducia enim in fide tanquam basi fundatur, cum sine fide subsistere nullo modo possit. Quomodo enim speret, se partem in divinis promissionibus habere, qui divinarum promissionum non teneat firmitatem? Immo compertum est, ex magna fide magnam spem exoriri, cum de promissa aliqua re accipienda agitur. Qui sane firmiter credit, Deum tum posse, quaecumque velit, praestare, tum velle, quaecumque promisit, non potest, quin vehementi fiducia, quas sibi postulat, promissas res praestoletur.

58. Ad 3 *Neg.* conseq. Nam ex orationis serie constat, quod Apostolus in obiecto loco minime loquatur de fiducia in promissione, de adepta iustificatione, sed de fide, qua Abraham factis sibi revelationibus firmiter inhaesit; ac de promissione, quae eidem Abrahae facta est, ut per Isaac pater fieret multarum gentium; atque ideo iustificationem et salutem debuisse contingere non ex lege Mosis neque ex operibus legis, quae uni tantum populo data est, sed ex fide Iesu Christi,

(1) Agitur autem de fide Abrahae, qua ipse credidit, Deum omnipotentem facile sibi praestiturum, quod promittebat: nempe quod futurus esset pater omnium, etsi nondum esset ipsi filius, esset que senex, et Sara sterilis provectaeque aetatis. Cf. Bernard. a Piconio in hunc loc.

(2) Ne quis suspicetur, haberi contradictionem in eo, quod verba Iacobi exponamus de vera fide, dum alibi de fiducia exposuerimus (n. 2), is animadvertat velimus, tum de fide, tum de fiducia verba Iacobi perinde ac Marci intelligenda esse, sub diverso tamen respectu: de fide quidem quoad promissiones a Deo factas, de quarum firmitate ac certitudine dubitare nullatenus possumus; de fiducia vero quoad impetrationem eius, quod petitur, cum praesertim ipsa fides doceat, cum fiducia petendum esse.

(3) Cum Maldonatus praecipua, quae ad suam sententiam fulciendam protestantes afferebant, expendisset refellissetque, sic circiter concludit loc. cit.: « Et tamen soli hodie multorum iudicio... doctissimi sunt, soli verbum Dei purum docent, praesertim in quaestione de iustificatione, quam illi omnes doctrinae suae caput, ego omnium haeresum ipsorum seminarium puto.

quae per Apostolorum praedicationem in universum orbem diffundi debebat. Perperam ergo inde inferunt haeretici, fidem esse apprehensionem divinarum promissionum, de qua in textu Paulino nec syllaba occurrit (1). Et en, quomodo protestantes sibi illudant ceterosque decipiant, praeposteris Scripturae interpretationibus, in negotio aeternae salutis.

59. II. Obi. ex ratione: 1° ad fidem spectat credere Deo, credere Deum, credere in Deum. Iamvero credere in Deum importat actum voluntatis, scilicet fiduciam; 2° sane iustificatio obtineri nequit sine voluntatis actu eoque multiplici, nempe assensus fiducialis et practici, tum refugii ad Christum miserias nostras sublevantem per gratiam suam, tum receptionis gratiam Christi apprehendentis, quo actu homo Christo adhaeret, eique se unit. His porro actibus fit, ut homo cognoscat, se fidem habere iustificantem, esseque iustificatum: atque exinde tanquam effectus oritur consolatio et confidentia. Ergo.

60. R. ad 1. *Neg. min.* vel *D.* Est formaliter actus intellectus cum adsignificatione motus voluntatis, *C.*; est formaliter actus voluntatis, *N.* Nam per tria haec, prout iam adnotaverat s. Thomas, non designantur diversi fidei actus, sed unus idemque, habens diversam relationem ad fidei obiectum, nempe, ut ipse exponit, credere Deo dicitur actus fidei, quatenus tendit in Deum ut obiectum formale: credere Deum, ut est obiectum materiale; credere in Deum, quatenus connotat habitudinem ad Deum tanquam ad finem ultimum, ad quem voluntas tendens movet intellectum ad actum fidei (2). Aut prout exponit s. Augustinus: *Quid est credere in eum (Deum)? Credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, et eius membris incorporari* (3).

61. Ad 2. *D.* Idest praeter fidem requiruntur actus voluntatis ad iustificationem, *C.* Fides est actus voluntatis, *N.* Fides enim per se est propria intellectus, qui assentitur veritatibus a Deo revelatis, non sine tamen imperio voluntatis, ut eius actus sit meritorius. Ceterum negamus, ea omnia, quae adtexunt adversarii, utpote dimanantia ex systemate, quod sibi ipsi adstruxerunt de sola fide iustificante.

62. Instant 1° Homo non iustificatur nisi apprehendendo iustitiam Christi; atqui haec non apprehenditur per solam fidem historicam, ergo per fidem specialem, seu fidu-

(1) Estius in comment. in hunc locum egregie universam Apostoli sermonis seriem exponit, ostenditque, de sola per Isaac posteritate ab Abraham adipiscenda, et omnium gentium vocatione per fidem in Christum, Apostolum intelligendum omnino esse, nec quidpiam commune haberi in toto capite cum novatorum commentitia fiducia in ordine ad iustificationem.

(2) II, 2, q. 2, a. 2.

(3) Tract. XXIX in Io. n. 6. Similia habet s. Doctor serm. 144, edit. Maur. n. 2, scribens: « Multum interest, utrum quisque credat, ipsum esse Christum, et utrum credat in Christum. Nam ipsum esse Christum, et daemones crediderunt, nec tamen in Christum daemones crediderunt. Ille enim credit in Christum, qui et sperat in Christum et diligit Christum. Nam si habet fidem sine spe ac sine dilectione, Christum esse credit, non in Christum credit. » Quibus verbis totum systema novatorum evertitur. Ne qui vero inde inferat, peccatores non posse symbolum recitare, in quo profitemur credere in Christum, in Spiritum sanctum, s. Thomas animadvertit loc. cit. q. 1, a. 9 ad 3, quod confessio fidei traditur in symbolo, quasi ex persona totius ecclesiae, quae per fidem unitur, ut si qui fideles fidem formatam non habent, ad hanc formam pertingere studeant.

ciam; 2° et sane actus receptionis ille est, quo homo amplectitur Christum et in eius meritis unice confidit; iam vero hic actus non est spes, cum haec non excludat timorem; debet igitur esse fiducia, utpote certa et infallibilis.

63. R. ad 1. *D.* Per praevias dispositiones iuxta doctrinam catholicam, *C.*; efficienter aut formaliter per solam fidem, *N.* Et sic universa novatorum machina dissolvitur. Nam homo se disponere debet actibus fidei, timoris, spei, doloris, poenitentiae, aliisque eiusmodi, ad iustificationem impetrandam et de congruo promerendam; Deus autem gratis eam animae communicat per Christi merita; atque sic eum ex impio iustum facit, non quidem ipsa iustitia Christi, ut haeretici autumant, aut iustitia, qua Deus iustus est, quod absurdum, sed efficiendo iustum per gratiam sanctificantem et habitualem (1).

64. Ad 2. *D.* Actus receptionis est ille, quo homo amplectitur Christum mediantibus necessariis recensitis dispositionibus, *Tr.* vel *C.*; per commentitiam fidem heterodoxorum, *N.* Responsio patet ex dictis. Addimus praeterea, illam, quam adversarii confingunt, fiduciam minime timorem excludere, dicente Apostolo: *Cum metu et tremore vestram salutem operamini* (2).

PROPOSITIO IV.

Veritates a Deo revelatae ad salutem necessario catholica fide credendae ab ecclesia proponendae sunt.

65. Adstruitur haec propositio adversus alterum heterodoxorum errorem, qui, ut excludant ecclesiae magisterium et auctoritatem in proponendis fidei veritatibus, autumant, quemlibet posse, immo et debere sibi cudere fidei articulos, seu veritates fide divina credendas iuxta spiritum uniuscuiusque privatum.

66. Maioris perspicuitatis gratia, antequam hos adoriamur, praemittimus, 1° duo requiri ad prudentem fidei assensum praebendum, tum ut sciamus, veritates a Deo revelatas esse, tum ut certo nobis constet de veritatibus a Deo in specie revelatis. Iam vero primum assequimur per motiva credibilitatis, quibus certi efficimur, Deum fuisse locutum, seu suam hominibus dedisse revelationem; alterum aliter assequi non possumus quam per infallibilem ecclesiae propositionem, seu per ecclesiam proponentem illas ipsas veritates, ut eae credantur fide catholica.

67. 2° Nos disserere de veritatibus, quae in deposito divinae revelationis continentur, seu tum in libris sacris utriusque foederis, tum in divina et apostolica traditione.

68. 3° Eiusmodi ecclesiae propositionem minime a nobis constitui ultimum, uti vocant, resolutivum fidei, quod non est, uti videbimus, nisi Dei auctoritas seu veracitas, sed ut necessariam conditionem, ac proximam fidei regulam ad certo ac infallibiliter cognoscendum, quid Deus revelaverit, ad eliciendum fidei salutaris et catholicae actum.

69. Quibus explanatis, ita iam enunciatam propositionem evincimus: Divinae veritates creditu necessariae ab ecclesia proponendae sunt, si

(1) Ex hac sententia de Christi iustitia apprehensa, qua homo se contegit, ut iustus appareat coram Deo, Lutherus intulit illud paradoxum, quod eodem tempore, quo quis scelcribus omnibus est coinquinatus, adeo iustus reputetur, ut non cedat in sanctitate non modo sanctis quibuscumque, sed neque ipsi Beatissimae Virgini. Hoc systemate simul componuntur summa nequitia et summa sanctitas simultaneae in eadem persona. Quam ingeniosi homines interdum sunt ad se decipiendos!

(2) Philipp. II, 12.

nulla alia via pateat ad eas certo ac infallibiliter uti a Deo revelatas cognoscendas, prout ad prudentem fidei assensum praebendum requiritur. Atqui ita se res habet.

70. Minor sic per partes ostenditur. Si qua via foret praeter ecclesiae propositionem ad veritates revelatas omnes divina fide creditu necessarias cognoscendas, haec esset aut Scriptura ipsa, aut internum Spiritus sancti magisterium, aut individualis rationis seu spiritus privati intelligentia per hermeneuticae et exegeseos subsidia et adminicula comparata. Nam aliae hypotheses fingi nequeunt, nec alias vel ipsi protestantes comminiscuntur. Porro harum nulla admitti potest.

71. Non Scriptura ipsa, seu sacra biblia, quae et una est ex veritatibus divinitus revelatis certo credendis, immo et fons ac fundamentum ceterarum veritatum fide divina credendarum in systemate adversariorum, qui non aliam fidei regulam praeter biblia agnoscunt. Nisi igitur supponatur, quod est in quaestione positum, nequeunt biblia tanquam medium assumi ad divinas veritates certo ac infallibiliter assequendas.

72. Praeterea adversariis adhuc incertum est, quibus definite libris et librorum partibus ipsa Scriptura coalescat, ob multiplicem inter eos hac de re dissensum, sive inter veteres, sive potissimum inter recentiores protestantes (1). Tantus inter hos exstitit dissensus, ut cordatiores inter ipsos, in desperationem acti, ex articulorum fidei censu hunc eliminaverint, atque inter praeambula relegaverint (2).

73. Insuper incerta adversariis pariter est totius Scripturae inspiratio, iidemque mirifice digladiantur, cum alii eam prorsus negent universis libris, quos non habent, nisi ut historica documenta, et quidem incerta (3); alii eandem eripiunt integris plane libris, aut eorum partibus, in quibus auctores sacros ex proprio sensu scripsisse, atque turpiter hallucinatos, et in errorem lapsos esse affirmant (4). Qui vero eam adhuc adstruunt, ad id praestandum nonnisi incertis diversisque coniecturis se commise-

(1) De veteribus nota est dissensio, quae viguit inter lutheranos et calvinistas circa libros deuterocanonicos novi testamenti, quos e censu librorum sacrorum, duce Luthero, lutherani expungebant, tanquam divinos vero calvinistae habebant. Quoad recentiores tanta est circa hunc articulum pugna, ut vix aliquis liber sit, qui non fuerit e canone expunctus; cf. nostram dissertationem saepius recusam *il Protestante e la Bibbia*.

(2) Inter ceteros ita senserunt Hooker et Chillingwort apud Grégoire: *Histoire des sectes religieuses*, tom. 4, art. *Église Anglicane*, p. 454 et Iosiah Conder alter protestans, qui ibid. scribit: « L'authenticité et l'intégrité du Nouveau Testament ne sont pas une matière de foi, c'est-à-dire un dogme, mais un préliminaire établi par les règles de la critique. »

(3) Notum est, D. Scherer genevensem his annis directe ac data opera impugnasse inspirationem sacr. scripturarum easque revocasse ad nuda monumenta historica, nec omnino in omnibus fide digna. Exinde contentiones excitatae inter ipsos protestantes non idem hoc super articulo sentientes. Vid. *Annales catholiques de Genève*, fasc. 8, ann. 1858, seq.

(4) Sic pariter notum est, Anglicanum pseudoepiscopum Colenso opus evulgasse contra authenticitatem et inspirationem Pentateuchi, quem negat a Moyse conscriptum, affirmatque pluribus scatere erroribus. Non paucos sectatores hic rationalisticus auctor adeptus est, et nunc lis fervet inter anglicanos. Verum quod in maius huius anglicani dedecus cedit, est confutatio operis, quam suscepit Iudaeus Benisch, sub hoc titulo edita: *Bishop Colenso's Objections to the historical character of the Pentateuch and the Book of Ioshua critically examined.*, *London*, 1863; seu *Obiectiones episcopi Colenso circa historicum characterem Pentateuchi et libri Iosue critice examinatae*

runt, dum alii ad Scripturam ipsam appellant, alii ad saporem quendam confugiunt, alii ad internos characteres se recipiunt, et ita porro, quin certi quidpiam constituant, repugnantibus aliis, qui hos conatus rident (1). Igitur, ut alia non pauca silentio praeteream, Scriptura ipsa nequit haberi uti regula tuta ad veritates revelatas divina fide credendas, nutante ipso fundamento.

74. Verum et hoc ipsis dato, nequit Scriptura per se sola tuto seu certo ac infallibiliter praebere in specie veritates omnes et singulas credendas, quia in pluribus incertus est dogmaticus ipsius sensus; quia passim obscura est etiam in articulis summopere creditu necessariis; quia haec ipsa est, quae dissidiis et certaminibus circa credenda occasionem et materiam praebet; quia haeretici omnes hoc ipso, quod Scripturis solis innixi contenderint statuendas esse veritates divinitus revelatas, inter se perpetuo fuerunt ac sunt divisi in sectas inter se repugnantes; quia utpote muta seu littera mortua per se nequit inter contendentes sententiam proferre in excitata controversia, et ita deinceps.

75. Sed neque internum Spiritus sancti magisterium viam hanc suppeditare potest. Fingunt videlicet mystici plerique protestantes, Spiritum sanctum singulis affuturum ad rite intelligendam Scripturam, verumque eius sensum detegendum, quem Deus intendit. Ast unde sciunt ipsi, reipsa Spiritum sanctum unicuique adesse, ut sensum hunc assequatur? Testimonia bibliorum, quae ad eiusmodi commentum constituendum afferri consueverunt, aut incerta sunt et nullius ponderis, aut generalia, quae ad ecclesiam docentem referuntur, non autem ad fideles singulos, multo vero minus, ut se magisterio eiusdem ecclesiae subducant, aut ei contradicant (2): aut alio omnino sensu sunt intelligenda ab eo, quem hi eisdem affingunt (3).

76. Accedit, quod per eiusmodi systema inutilis plane redderetur ipsius ecclesiae institutio eiusque missio ad docendas omnes gentes (4); immo et inutilis Scriptura ipsa efficeretur, ut rite Mennonitae arguebant (5), atque etiam nunc Mormones urgent adversus protestantes reliquos (6). Totam siquidem vim suam Scriptura nancisce-

(1) De his agit vel ipse Michaëlis in op. *Introduction au Nouveau Testament*, tom. 1, part. 1, ch. 7. Attamen De Gasparin, Monod, aliique protestantismi patrocinatores, vindices ac propagatores adhuc insistunt in eiusmodi absurdis sententiis, ut aliquo modo valeant se subtrahere a catholicorum pressione, qui eos urgent. Nunquam tamen nec ipsi neque alii poterunt se ab huius argumenti vi subducere.

(2) Estne credibile, Spiritum s. praesto esse singulis fidelibus, ut se rebelles consistant, et erigant se contra illam ecclesiam, quam Christus Dominus magistram fidelium constituit, prout suo loco ostenditur?

(3) Peccant necessario omnia argumenta deducta a protestantibus ad aliquid statuendum, in eo quod fundentur in interpretatione sensus privati; adeoque catholici constanter eiusmodi sensum reiiciunt utpote contrarium sensui, quo ecclesia haec eadem testimonia intelligit. Nihil proinde suo apparatu proficiunt.

(4) Nam si revera spiritus s. infallibiliter quempiam fidelem, quae fidei sunt, doceret, ac dogmaticam unicuique Scripturarum interpretationem praeberet, quorsum ecclesiam instituere ad fideles docendos regendosque? Id viderunt anabaptistae et aliae sectae theopneusticae nuncupatae, quae propterea omnem ecclesiam reiecerant. Cf. Moëhler *Symbolique tom. 2, livr. 2, chap. 1.* Les anabaptistes et les mennonites, § 39 *L'Esprit vivant, l'Ecriture et l'Eglise.*

(5) Cf. ibid.

(6) Sic inter ceteros urgebat protestantes Partey Pratt unus ex praecipuis Mor-

retur ex eiusmodi interiori magisterio. Quorsum enim medium externum adsciscere, cum internum satis superque sit? Nec enim fieri debet per plura, quod per pauciora effici potest.

77. Demum haec hypothesis impietatem sapit, utpote quae Spiritum s. interpretationum omnium auctorem efficeret, quae sibi invicem contradicunt, immo et errorum omnium, quos sub hoc obtentu innumeri pene inter protestantes effutierunt (1). Auctorem praeterea efficeret Spiritum sanctum turpitudinum omnium et facinorum, quae non pauci perpetrarunt fanatici homines et mulieres quovis tempore tanquam a Spiritu sancto acti ad intelligendos praepostere nonnullos bibliorum textus ad sua facinora cohonestanda (2). Ergo neque haec via admitti potest ad rite intelligendas Scripturas, ac proinde ad agnoscendas veritates a Deo revelatas, divinaque fide credendas.

78. Non potest denique haec via esse individualis rationis seu spiritus privati intelligentia. Etenim incerta in primis est rationalis eiusmodi Scripturarum intelligentia seu interpretatio, cum fallax sit ac errori obnoxia, nisi quis velit sibi arrogare infallibilitatem, quam toti ecclesiae denegat; neque idcirco idonea est ad fidem divinam gignendam. Non habet praeterea aliud fundamentum praeter subiectivam uniuscuiusque persuasionem, eamque saepe nutantem ac temporariam, idest donec novis scientiae subsidiis aliam meliorem interpretationem invenerit; prout passim in eodem individuo contingere solet. Fit insuper discordiarum parens omniumque sectarum, absque ullo illarum dirimendarum idoneo medio, cuius effectus tot sunt probationes, quot sectae in protestantismo vigent, quaeque vix enumerari possunt, ac novae in dies oriuntur (3).

79. Nec satis: siquidem via haec impossibiles redderet haereses omnes, problematicasque efficeret revelatas veritates omnes: tot sensus praeseferret Scriptura contradictorios, quot sunt subiectivi sensus eorum omnium, qui ipsos singillatim Scripturae tribuunt, seu verius eidem imponunt; adeoque Scriptura non foret nisi echo, quae fideliter redderet sonum, quem unicuique lubet ipsi praebere. Quae omnia aliaque eiusmodi quam absurda sint, Deo eiusque revelationi iniuriosa, nemo est, qui non intelligat (4).

80. Postremo haereticae sectae omnes, quae ab Apostolorum aetate usque ad protestantes haereticorum novissimos exortae sunt, hac semel hypothesi constituta, non essent nisi organa veritatis divinitus revelatae, utpote omnes innixae ra-

monismi apostolis. Prae ceteris libris deterior esset Scriptura, minus utilis, ac incertior, in systemate protestantium. Satius foret hominibus, Deum nil revelasse, quam revelasse librum, qui nos incertos redderet ac dubios, quique nos adstringeret ad perpetuas disputationes circa ea quae in eodem continentur. Cf. *Il proselitismo protestante*, Genova 1862, append. del *Mormonismo*, p. 630.

(1) Huc referuntur tot facinora, quot recenset Dr. episcopus Milner in op. *The End of religious Controversy*, seu *Finis controversiae religiosae*, ep. 6; nec non in op. *Letters to a Prebendary*, seu *Epistolae ad praebendarium;* nec non Pluquet *Hist. des hérésies, art. Tanchelin;* item Grégoire, *Hist. des Sectes*, nosque ex parte recensuimus in op. *Il Protestantesimo e la regola di fede*, vol. 1, p. 1, sect. 1, ubi agebamus *de regula fidei theosophica*.

(2) Cf. ibid.

(3) Cf. *Il Protestant. e la regola di fede*, p. 1, sez. 2, *della regola razionale*, cap. 1, seq., ubi abunde de his egimus.

(4) Cf. ibid. art. 2.

tionali Scripturarum intelligentiae in oppositione ad ecclesiae intelligentiam. Perperam, immo inique eas damnassent Apostoli, frustra fideles hortati sollicite essent ad haereticorum coetus fugiendos, ne in aeternam incurrerent damnationem. Frustra universa antiquitas sacra eos a Christi ecclesia extorres pronunciasset et a salutis via; frustra etiam tot edidissent protestantes fidei confessiones ad repellendos tanquam haereticos eos omnes, qui eis subiicere se detrectarent (1). Ecquis porro pronunciare serio ausit, eiusmodi haereseon, errorum omnigenorum impietatumque cumulum atque complexum praebere veritati fidei fundamentum? Attamen talis foret rerum conditio, semel admissa adversariorum hypothesi.

81. Restat igitur unica via ad certo infallibiliterque cognoscendas, ac proinde fide divina credendas veritates a Deo revelatas, auctoritas ecclesiae, illius nempe ecclesiae solius quam Christus visibilem super Petrum aedificavit, et adversus quam nunquam praevalituras esse portas inferi solemniter pollicitus est: *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Illius ecclesiae tantum, quae absque interruptione ulla ad hanc diem perseveravit; in cuius communione iugiter fuerunt ac sunt ecclesiae particulares totius orbis. Illius unicae ecclesiae, cui promisit Christus Spiritum s. seu Spiritum veritatis semper affuturum, ne in errorem aliquando dilaberetur (Io. xiv, 26). Illius ecclesiae, quae sola in dogmaticis definitionibus suis dicere potest: *Visum est Spiritui sancto et nobis* (Act. xv, 28). Illius ecclesiae, quae iam inde ab apostolicis temporibus monstra cuncta confixit usque ad Lutherum, Calvinum, Zwinglium, Henricum VIII, eorumque gregales ac successores. Illius denique ecclesiae, cuius auctoritas, utpote infallibilitate praedita sola nos potest certos efficere tum de Scripturarum canone et inspiratione, tum de dogmatico earundem sensu, tum de veritatibus, quarum magisterium ipsi commissum est per saecula omnia ac dies singulos illis Christi verbis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos... docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis: et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (Matth. ult.).

Constat igitur, quod proposuimus, veritates scilicet a Deo revelatas ad salutem necessario ac de fide credendas ab ecclesia proponendas esse (2).

Difficultates.

82. I. Obi. 1. Sola biblia regulam normamque fidei nostrae constituunt, utpote Dei verbum continentia; 2. cum vero Deus immediate nos alloquitur, haud indigemus interpretatione hominum, seu ecclesiae.

(1) Opus nostrum: *Il Proselitismo protestante*, cap. 2 et 3, ubi hoc argumentum evolvimus. Ad haec opera lectores remitto, ne saepius cogar eadem frustra iterare, cum abunde ibidem et data opera de his egerim et opportunis documentis haec ipsa muniverim.

(2) Constanter adiecimus ad certo ac infallibiliter veritates revelatas fide catholica credendas; nec enim inficiamur, fieri quandoque posse, ut quis nonnullas veritates, e. gr. divinitatem Scripturarum, etiam ex argumentis intrinsecis satis prudenter credat; sed aliud est fide humana, aut humana prudentia et sagacitate credere, quae deceptioni subesse potest, aliud vero credere ita firmitate et certitudine absoluta et omnimoda, quam sola praebet infallibilis ecclesiae auctoritas. Idem dic de certitudine, quam per argumenta extrinseca ac historica aliquis posset sibi comparare ad existentiam, veracitatem, ac genuinitatem nonnullorum s. Scripturae librorum, ut deinde ex iis aliquot veritates eruat. Nos loquimur de veritatum systemate simul sumpto.

3. Sane si adhuc Christus nobiscum commoraretur, nosque fidem edoceret, numquid ad alium confugeremus ad eius scita intelligenda? Iam vero, quod Christus docuit, litteris consignatum est; satis igitur nobis est Scripturas legere, ut per nosmetipsos edoceamur; 4. hoc igitur tantum catholicos inter et protestantes intercedit discrimen, quod isti immediate Christum audiant, ab eoque radios luce et calore fulgentes hauriant, dum illi, nempe catholici, nonnisi radios reflexos et intermortuos, seu vita destitutos inde derivent. 5. Absurde autem catholici arguunt protestantes, perinde ac si ipsi incerti essent tum de existentia, tum de inspiratione sacrorum bibliorum, cum haec admittant communi cum catholicis consensu, eaque uti divina profiteantur (1). Ergo.

83. Resp. ad I. N. Nunquam enim ac nuspiam Christus nobis biblia uti credendorum regulam ac normam praebuit. Nunquam quidpiam vel ipse scripsit; vel Apostolis et discipulis suis librum aliquem exarare praecepit; sed oralem et acroamaticam ipsis commisit instructionem populorum: *Euntes docete*, ait illis, non autem scribite; alioquin officinam ad imprimendos vulgandosque libros instituisset, fecisset eos totidem typographos ac bibliopolas. Insuper biblia quidem continere verbum Dei, fatemur, totum autem Dei verbum, negamus. Siquidem nos praeter Dei verbum scriptum tenemus etiam verbum Dei traditum.

84. Ad 2. *Neg.* Nam non Deus nos immediate alloquitur, sed Scriptura muta, quam protestantes reipsa non habent nisi ministerio hominum, qui eam vendunt distribuuntque, omni auctoritate penitus destituti. Deus per ecclesiam ceu per fidelem infallibilemque praeconem authentice eam nobis tradit una cum germano eius sensu.

85. Ad 3. *D.* Si ipsemet Christus viva nos voce doceret, *C.*; si solis characteribus mortuis, *N.* Iam vero inter duo haec nulla intercedit paritas. Si enim nos deciperemur in eius sensu assequendo, ipse nobis errorem detegeret, verumque verborum suorum sensum aperiret, quemadmodum saepius discipulis suis aperuit; contra vero si nos decipimur in intelligentia Scripturarum, hae nos in errore ac deceptione relinquunt.

86. Ad 4. *D.* Hauriunt protestantes lucis fatuae radios immo et torrentes *C.*; verae lucis, *N.* Alioquin nisi illuderentur hac deceptione, in pene innumeros errores perpetuo non laberentur. Ipsorum historia, sectarum divisiones, experientia iugis et quotidiana refellunt eiusmodi commentum. Plena fidei amissio errorum monstra, quae professi sunt ac profitentur protestantes, nobis aperiunt, quae sit virtus eiusmodi fictorum radiorum lucisque torrentium. Interim catholici, qui non hauriunt nisi radios reflexos et intermortuos, adeo firmi in sua fide sunt, ut myriades martyrum offerant protestantibus, qui nec unum quidem ex suis fidei martyrem op-

(1) Ita passim Vinet in suo *Essai de la manifestation des convict. religieuses*, nec non De Gasparin in op. *Les écoles du doute et de la foi*, et qui eos exscripsit stolidus pietista, Monod in suo *Lucilla*, quod postremum opus, in italicam linguam nuper conversum ex gallica, inter catholicos Italiae ad eos seducendos a protestantibus inter ceteros libellos disseminatur et ab eius editore in praefatione apposita ad sidera tollitur, dum reipsa non est nisi callida sophismatum ac stultitiarum congeries.

ponere possunt, si excipias quosdam facinorosos, quos martyrum nomine condecorarunt (1).

87. Ad 5. *D.* Admittunt cum catholicis existentiam ac divinitatem Scripturarum per summam contradictionem, *Tr.*; vere et proprie, *N.* Mirum est, protestantes profiteri cum ecclesia catholica divinitatem bibliorum, dum eam accusant erroris in fidei articulis; dum cum illa non omnes libros admittunt; dum ab ea dissentiunt in eorundem interpretatione. Ceterum quot inter protestantes sunt, qui utrumque articulum aut pessumdant, aut denegant et divinam sacrorum librorum inspirationem, uti ostendimus? Quo iure sti erroris arguerentur a protestantibus reliquis, cum ex principi protestantismi ita se gerant?

88. II. Obi. Negari saltem non potest, Spiritum sanctum certiorem unumquemque facere de fidei articulis in Scriptura contentis. Siquidem 1. hunc Spiritum promisit Christus indiscriminatim omnibus adfuturum, dum Io. XIV ait: *Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum..... Ille docebit vos omnia, et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis.* 2. Quapropter Spiritus sanctus supplebit infirmitati nostrae ad verum assequendum Scripturarum sensum, sensum videlicet, quem ipse Spiritus s. intellexit, dum sacros inspiravit scriptores. 3. Satis proinde erit ipsum Spiritum s. petere ac invocare iuxta divina promissa ad eum obtinendum: *Petite*, dicitur Matth. VII, 7, 8, *et dabitur vobis; Omnis qui petit, accipit; Dabit Spiritum bonum petentibus se;* et alibi passim. 4. Hinc Is. LV, 12, 13 legitur: *Ponam universos filios tuos doctos a Domino*, et I Io. II, 27: *Et vos unctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis. Et non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio eius docet vos de omnibus.* 5. Quod si non omnibus adhuc patet verus Scripturarum sensus, ideo est, quia *Evangelium opertum est in eis, qui pereunt* (2), seu male dispositis. Ceterum omnibus Spiritus praesto est rite dispositis illuminandis. Ergo (3).

89. Resp. Imo negamus, id praestare Spiritum sanctum, quasi nempe ipse vellet subducere fideles ab illa auctoritate, cui Christus voluit eos obnoxios esse, scilicet ecclesiae suae. Quotquot reipsa obtentu istius internae illustrationis ecclesiae rebellarunt, in gravissimos sunt errores lapsi, ut patet ex omnium haereticorum catalogo. Mirum praeterea est, Spiritum s. catholicos deserere, ac unice haereticis lutheranis cal-

(1) Omisso etiam, quod nullae sectae martyres, idest testes verae fidei habere queant, utpote assertores tantum subiectivae propriae opinionis, uti ostendimus in vol. 2 *Regulae fidei*, cap. 4, art. 3, exploratum est Fox, Bray, Clarke, aliosque sive anglicanos, sive calvinistas, qui martyrologia suorum ad catholicorum imitationem exarare adnisi sunt, nonnisi nomina inserere in iis potuisse virorum facinorosorum, qui infamia cooperti supremo supplicio, utpote publicae pacis perturbatores, affecti sunt. Cf. Bergier *Diction. de Theol.* art. *Martyrologe.* Nempe ad eum modum, quo aetate hac nostra rebeles facinorosissimi, iustis poenis affecti a legitima potestate, ab incredulis et perturbatoribus martyres nuncupantur.

(2) II. Cor. IV, 3.

(3) Ita Monod denuo refricans illa eadem testimonia sacr. Scripturarum, quae a primis novatoribus tribus abhinc saeculis obiecta sunt, ac millies a polemicis catholicis theologis explanata ac disiecta sunt, nominatim vero a Bellarmino. Verumtamen ut nova plane ab hoc pietista in sua *Lucilla* proferuntur, nec ipsum Vinet, in op. *Essai sur les manifestations*, pudet ad hos ipsos textus confugere ad sua placita constabilienda.

vinianisque subsidio esse. Haec sola animadversio sufficit ad dissolvendam haereticorum machinam. Itaque

90. Ad 1. *D.* Promisit Christus Spiritum s. affuturum Apostolis eorumque successoribus, *C.*; fidelibus singulis, ut ecclesiae docenti resisterent eique se opponerent, *N.* Tale porro esset adversariorum paradoxum.

91. Ad 2. *N.* Spiritus sanctus assistit fidelibus gratia sua, ut ecclesiam docentem audiant ea qua par est animi docilitate, ne in errorem labantur, et pia documenta percipiant ad recte pieque vivendum iuxta sanae fidei normam.

92. Ad 3. *D.* Si rite petant, *C.*; si ad cordis tumentiam fovendam petant, *N.* Haec enim aliaque eiusmodi biblica testimonia, quibus Dei nobis dona promittuntur, non alio possunt sensu intelligi, quam ut spiritum submissionis ac docilitatis assequamur, minime vero tumori fovendo ad nos subtrahendos ab ecclesia, quam nobis Christus magistram praebuit. Alioquin omnes fanatici, superbi, perduelles obtinerent exclusive Spiritum s., quod est dictu impium.

93. Ad 4. *D.* Idest a Christo Domino, qui novissime nobis locutus est, qui antea locutus fuerat per prophetas, *C.*; interiori tantum locutione et doctrina ad exclusionem exterioris magisterii, *N.* Et sic pariter explanandi sunt alii eiusmodi Scripturarum textus, ut Hierem. XXXI, 34: *Et non docebit ultra vir proximum suum dicens : Cognosce Dominum. Omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum* (1); qui congeri solent ab adversariis, in quibus sermo est de interiori gratia, qua Deus nobis suadet, quae auditu per externum ac universale ecclesiae magisterium excipimus (2).

94. Neque alio sensu intelligi possunt, quae ex I. Io. obiiciuntur de unctione, quae docet nos de omnibus, quatenus rite ab ecclesia institutis et interiori subsidio praeditis opus non est aliquis Cerinthianus, aut Ebionita, nunc autem aliquis Lutheranus, Calvinista, aut cuiuslibet denominationis protestans haereticus, qui nos doceat. Hanc esse mentem apostoli, patet ex verbis, quae ibidem leguntur: *Haec scripsi vobis de his, qui seducunt vos.*

95. Ad 5. *D.* Opertum est evangelium male dispositis, idest haereticis, qui ecclesiae obsistunt ad proprium sensum sectandum, *C.*; rite dispositis, qui aures ecclesiae dociles praebent, *N.* Isti enim omnes sub iugi ecclesiae magisterio apprime germanum sensum Scripturarum

(1) Copiose hunc locum ac erudite exponit Sanctius in suis commentariis an. 102 ad 114, nihilque est quod desideretur.

(2) Mirum profecto est, postquam tanta his textibus lux affulsit ex interpretum et polemicorum theologorum explanatione, Vinet et Monod aliosque protestantes his adhuc insistere. Si enim istorum sensus admitteretur, nullo unquam doctore opus fuisset in nova lege ad fideles instituendos; attamen certum est, vel ab ecclesiae incunabulis a Deo, teste Apostolo, eos ad hoc officium explendum datos fuisse, semperque dandos. Ecquid enim aliud sibi volunt Apostoli verba Ephes. IV, 11, 12: *Et ipse (Deus) dedit quosdam quidem Apostolos... alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi?* Item II. Tim. IV, 2: *Praedica verbum, insta opportune, importune, etc.*; et clarius adhuc Rom. X, 14: *Quomodo credent ei, quem non audierunt: quomodo autem audient sine praedicante?* Attamen iuxta hos protestantes externum magisterium sub novo testamento esset excludendum, posita ipsorum interpretatione.

assequuntur, simulque fidem et unitatem, dum illi post innumeras disputationes, amfractus, sinuositatesque, iugiter in tenebris densissimis versantur, ac fidei iacturam faciunt, et in sectas dispertiuntur sub interioris Spiritus obtentu, quem omnes et singuli sibi vindicant eodem tempore, quo se ipsos scindunt. Vere Deus ipsorum superbiam confundit.

96. III. Obi. 1. Ratio perinde se habet ad sensus Scripturarum detegendos, ac se habent oculi ad externa obiecta inspicienda. Stultus porro ille haberetur, qui vellet proprios oculos claudere, ut melius inspiceret per oculos alienos; 2. eo vel magis, quod Deus illa omnia, quae creditu necessaria sunt, clare adeo in Scripturis suis consignaverit: ut omnibus perspicua sint. 3. Quorsum enim ea Deus litteris consignass t, si ipsa intelligere per rationem minime possemus? 4. Fides negot im est, quod unumquemque afficit singulatim, debet propterea ab unoquoque eius fundamentum propria ratione cognosci, ne, si alterius se ducatui committat, in discrimen veniat propriae salutis, cuius rationem reddere Deo quilibet tenetur (1). 5. Ideo autem pronos se catholici ostendunt ad se alterius magisterio subiiciendos, ut laborem, qui in veritatis investigatione requiritur, devitent, et quidem contra id, quod Christus praecepit dicens: *Nec vocemini magistri: quia magister vester unus est, Christus* (2). Ergo.

97. Resp. ad 1. *D.* Si ratio aut oculi pro obiecto habeant, quae a sola ratione aut ab oculis conspici possunt, *C.*; quae supra rationem facultatemque visivam sunt constituta, *N.* Sensus vero Scripturarum a Spiritu sancto intentus non est obiectum sive solius rationis, sive facultatis visivae, sed ab ipso Deo patefaciendus est in iis, quae ad fidem pertinent; patefacit autem Deus hunc sensum, cui ipse manifestavit, nempe ecclesiae, quam magistram nostram constituit, ne in errorem dilaberemur.

98. Ad 2. Resp. Adeo clara sunt Scripturarum oracula, quae credenda attingunt, ut propterea haeretici, qui spiritum privatum in iis adeo facilibus intelligendis sectantur, in biscentum et amplius sectas inter se discrepantes divisi fuerint circa fidei articulos creditu necessarios. Hoc profecto practicum argumentum est ineluctabile perspicuitatis illius, quam, non obstante experientia, protestantes adhuc praedicant!

99. Ad 3. *D.* Si ad eum finem Deus nobis Scripturas dedisset, ut ex eis unusquisque fidem suam seu fidei articulos cuderet per se ipse, *C.*; si ad alios fines, *N.* Profecto si Deus hunc, quem protestantes tantopere extollunt, finem sibi proposuisset in Scripturis dictandis, ut scilicet quilibet per privatum spiritum suum ex iis erueret fidei articulos, eas tum summe perspicuas et omnium captui accommodatas dedisset, et simul ab hominum cordibus cupiditates abstulisset, quae maxime obstant germanae Scripturarum intelligentiae (3). Ast hunc Deo minime prae-

(1) Ita Lutherus in art. 115 ex collectis a Cochlaeo dicens: « Papa, tu conclusisti cum conciliis, nunc habeo ego iudicium, an acceptare queam, necne. Quare? quia non stabis pro me, et respondebis pro me, quando debeo mori.

(2) Matth. XXIII, 10. Ita rursum allegati protestantes, praesertim vero Monod in sua ficta *Lucilla* ad eam decipiendam.

(3) Praetermissa etiam insita Scripturis obscuritate tum ratione materiae, tum ratione formae, qua exarata est, tum ex multiplici alio capite, uti ostendunt

stitutum finem fuisse, ex oeconomia, quam tenuit in Scripturis tradendis, patefit. Fides enim independens est a sacris litteris. Certe Adam, Noe, ceterique patriarchae eximia fide excelluerunt sine sacris litteris. Christi fides longe lateque diffusa in ecclesia erat, antequam novi foederis vel unus liber exaratus fuisset. Praeterea Apostolus expresse declarat, fidem ex auditu, non autem ex Scripturis. Itaque ad alios omnino fines Deus eas dictavit, ac primo ut essent ecclesiae documenta perpetua, secundo ut fidelibus sub ecclesiae tutela solatio essent et aedificationi: *Ut per consolationem Scripturarum spem habeamus*, inquit Apostolus (1); tertio voluit obscuras eas in pluribus esse, ut fideles ecclesiae auctoritati subiicerentur, ut alios omittamus fines divina sapientia dignos.

100. Ad 4. *D.* Ideoque debet unusquisque certus esse ecclesiae ope de propria fide, *C.*; per solam rationalem investigationem eam sibi efformare, *N.* Tum enim solum circa fidem, ac proinde circa salutis propriae negotium homo periclitatur, si temere aut se committat falsae sectae, aut, reiecta ecclesiae auctoritate, se solum fidei suae arbitrum constituat. Si ecclesia est infallibilis, nemo decipi potest sive circa fidem, sive circa salutis negotium, si docilem huic matri se praebeat, nolitque per tumorem propriae rationi, quae fallibilis est, se committere.

101. Ad 5. *Neg.* Sed ideo se catholicae ecclesiae magisterio subiiciunt, ut pareant Christo, qui fideles omnes pascendos praebuit pastoribus a se constitutis. Nemo in schola Christi sibi dux et magister est, alioquin in errores et ruinam laberetur. Dum porro subiiciuntur ecclesiae subiiciuntur Christo, qui unus magister est, neque ecclesia aliud docet fideles, praeterquam quod ipsa a Christo didicit.

102. IV. Obi. 1. Ecclesia praesumitur potius infallibilis, quam pro-

suo loco theologi et interpretes, fatendum est, cupiditates non parum influere in pravam eiusdem Scripturae intelligentiam. Quocirca etiamsi ipsa apertissima esset, tamen in pravos sensus intorqueretur. Sane quid clarius verbis Ioannis I, *Et Deus erat verbum*? et tamen Ariani non admiserunt Verbi divinitatem; item quid clarius Christi verbis: *Hoc est corpus meum?* nec propterea calviniani agnoscunt realem Christi in Eucharistia praesentiam, et ita porro. Voluntas saepius influit in pravam intelligentiam Scripturarum cupiditatibus irretita.

(1) Rom. XV, 4. Ceterum cl. Moehler in sua *Symbolica*, tom. 2, § 38, iure scribit: « Le principe communiqué d'en haut, l'alliance avec l'apostolat perpétuel, l'éducation et la vie dans l'Eglise développent une sorte d'intuition profondément religieuse, un sens propre à la perception de la parole écrite, car il répond à l'esprit qui l'a dictée; et lorsque le chrétien la lit sous la conduite de ce guide intérieur, à la lumière de ce flambeau céleste, la vérité révélée passe sans altération essentielle dans son intelligence; disons mieux, quand son esprit et son cœur ont été formés dans la famille des frères du Christ, il n'a plus besoin de l'Ecriture pour connaître les enseignements divins. » Quibus cohaerent, quae iam a saeculo II scripserat s. Irenaeus contr. Haer. lib. 3, c. 4: « Quid autem, si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat sequi ordinem traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multae gentes barbarorum, eorum qui in Christum credunt, sine charta et atramento scriptam habentes per Spiritum sanctum in cordibus suis salutem... Hanc fidem qui sine litteris crediderunt, quantum ad sermonem nostrum, barbari sunt, quantum ad sapientiam et consuetudinem et conversationem, propter fidem, per quam sapientissimi sunt, et placent Deo, conversantes in omni iustitia, et castitate, et sapientia. » Attamen protestantes nil aliud clamant quam *Biblia, biblia!*

betur; 2. nuspiam in sacris litteris ecclesia infallibilis adstruitur. 3. Apostoli, immo vero et Christus ipse constanter fideles ad Dei verbum remittunt, ut veritatem discant, iuxta quod erunt fideles iudicandi; *Sermo, quem locutus sunt*, inquit Christus, *ille iudicabit eum in novissimo die* (1), et: *Oves meae vocem meam audient* (2); et iterum: *Oves illum sequuntur, quia sciunt vocem eius* (3), et alibi passim. 4. Sane Paulus discessurus a Mileto, cum praedixisset, futuros ex illic congregatis lupos non parcentes gregi, et loquentes perversa, auditores suos non ad ecclesiam, aut ad Petrum remisit, sed ad ea, quae ipsemet ipsis praedicaverat, et ad Dei verbum, dicens: *Vigilate, memoria retinentes, quoniam per triennium nocte ac die non cessavi cum lacrimis monens unumquemque vestrum, et nunc commendo vos Deo, et verbo gratiae ipsius* (4). 5. Ergo frustra ecclesiae auctoritatem urgent catholici, cum unicuique pateat verbum Dei.

103. Resp. ad 1. *Neg.* Immo luculenter adeo probatur ecclesiae infallibilitas, ut adversarii nequeant se ab illis probationibus extricare. Eiusmodi autem probationes patent ex solemnibus Christi promissionibus, tum de iugi sua in ecclesia praesentia usque ad consummationem saeculi, tum de inani oppugnatione ipsius ecclesiae ex parte inferorum, tum de Spiritu sancto cum ecclesia sua ad docendam omnem veritatem in perpetuum adfuturo, aliisque eiusmodi, atque ex perpetuo facto eiusdem ecclesiae (5).

104. Ad 2. *D.* Quoad materialem vocem infallibilitatis aut inerrantiae, *C.*; quoad rem ipsam, *N.* Responsio patet ex dictis.

105. Ad 3. *D.* Christus et Apostoli fideles ad Dei verbum ab ecclesia praedicatum et expositum remittunt, *T.* vel *C.*; prout in Scriptura mortua iacet, *N.* Alioquin omnibus erroribus et haeresibus viam aperuissent, uti ex experientia constat. Hac ratione testimonia, obiecta ab adversariis, intelligenda sunt, si tamen ad rem faciunt. Nam his verbis Christus propriam divinam missionem ac dignitatem Messianam adstruere intendit.

106. Ad 4. *D.* Quia s. Paulus eos ad ecclesiam iam remiserat, *C.*; ad huius exclusionem, *N.* Nam hoc ipso, quod in eodem sermone Apostolus dixerit episcopis, quos alloquebatur: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*, hoc ipso, inquam, fideles remisit ecclesiae auctoritati. Etenim si episcopi divina auctoritate regere debent ecclesiam Dei, nempe fideles, evidens est, istos debere se subiicere ecclesiae docenti, ab eaque discere veram fidem, germanamque verbi Dei interpretationem, obortis ex parte haereticorum controversiis (6).

107. Ad 5. *Neg.* sequelam, cum ex praecedentibus non descendat. Verbum enim Dei materiale unicuique quidem patet, non item vero eiusdem sensus formalis.

(1) Io. XII, 48. (2) Io. X, 16.
(3) Ib. v. 4. (4) Act. XX, 31, 32.
(5) Cf. nostram dissertat. *Della denominazione che la Chiesa cattolica dà alle comunioni da lei divise, di eretiche e di scismatiche*, tum p. 2, tum p. 3, et in appendice inter opuscula theologica Mediolani 1858, tom. 1, ubi hoc argumentum plene evolvimus.

(6) Hac sola animadversione refelluntur quae ex hoc textu pseudoepiscopus anglicanus dubliniensis Whately congessit in sermone, quem habuit ad ordinandos, ut excluderet necessitatem alicuius magisterii viventis, tum nempe Rom. pontificis, tum ecclesiae universae.

CAPUT III.

DE OBIECTO MATERIALI FIDEI IN SPECIE.

108. Plures heic solent quaestiones institui, quarum aliae intra domestica septa libere discutiuntur, aliae vero ad fidem catholicam spectant. Nos, quae nostra sunt, breviter exponemus, cetera accuratius persequemur positis propositionibus. Hisce expletis, adnectemus nonnulla scitu necessaria, aut utilia ad rei, de qua agimus, ulteriorem explanationem.

109. Atque ut a primis exordiamur, quaestio ante omnia, magis critica quam theologica, agitatur circa symbola fidei nostrae, praecipue vero circa symbolum apostolicum, et symbolum Athanasianum nuncupatum.

110. Symbolum Apostolorum fuitne vere ab Apostolis ipsis eo ordine articulorum, quo nunc temporis continetur, digestum? Equidem si de doctrina sermo sit, nemo est, qui ambigat, ne ipsis quidem haereticis exceptis (1), quin ea ab apostolis tradita fuerit. Sed si de forma agatur et ordine articulorum, qui in symbolo continentur, non desunt critici, qui id in dubium revocent, aut etiam inficientur contendantque symbolum non fuisse nisi tesseram ab ipsis ecclesiae incunabulis exaratam, quae inserviret catechumeniscommuni formula instruendis. Idque coniiciunt ex diversitate antiquorum symbolorum in nonnullis articulis, tum ex modo ac numero etiam articulorum singulorum (2). Communis tamen sententia est, hoc symbolum reipsa Apostolis tribuendum, qui, antequam in varias mundi plagas dispergerentur, hanc fidei formulam confecerint (3), prout in ecclesia romana adhuc in sua prima integritate servatur (4).

111. Maior viget opinionum discrepantia circa symbolum vulgo athanasianum; docti plerique viri hanc fidei professionem s. Athanasio abiudicant, utpote exaratam sub finem saeculi V aut initio saec. VI et quidem ab auctore latino (5). Hi non absque aliquo fundamento coniiciunt, symbolum istud tribuendum esse Vigilio Tapsensi in Africa, qui sub Hunnerico vandalorum rege Ariano floruit (6).

112. Altera quae agitatur, quaestio est, utrum articuli fidei successu temporis creverint. Ad quam dissolvendam quaestionem opus est prius certa ab incertis secernere, nec non eliminare aequivocationes, quae in terminis latent.

(1) Sane vel ipse Calvinus *Instit.* lib. 2, cap. 16, § 18, haec inter cetera de symbolo scribit: « Quod unice curandum est, id extra controversiam positum habemus, totam in eo fidei nostrae historiam succincte distinctoque ordine recenseri, nihil autem contineri, quod solidis Scripturae testimoniis non sit consignatum. »

(2) Eiusmodi varietates si quis cupiat cognoscere, poterit consulere lac. Usserium in *Diatriba de romanae Ecclesiae symbolo apostolico vetere*, quam ipse adtexuit *Annalibus veteris et novi testamenti*. Genovae, 1722.

(3) Cf. Natalem Alexand. in diss. *De symbol. fidei* art. 1, § 2, nec non P. Lazerum in *Exercitatione de antiquis formulis fidei*.

(4) Uti testatur s. Ambrosius ep. 62, ed. Maur. ad Syricium Papam scribens: « Credatur symbolo Apostolorum, quod Ecclesia romana intemeratum semper custodit et servat. »

(5) Cf. eruditam Maurini editoris operum s. Athanasii *Diatriben in symbolum* Quicumque, in appendice voluminis 3, § 3. *Symbolum* Quicumque, *cui sit auctori adscribendum*.

(6) Cf. Henschenium Bollandianum ad diem 2 maii in prolixa ac erudita appendice ad caput 10 de vita s. Athanasii: *Symbolum vulgo Athanasii dictum*. Protestantes etiam docti scriptores de hoc argumento egerunt Usserius et Vossius *de tribus symbolis*, ut alios silentio praetermittam.

113. Certum porro est, post apostolorum obitum nullam novam factam fuisse revelationem, propter quam articuli fidei, qui unice divinae revelationi innituntur, augeri potuerint.

114. Itaque tota quaestio revocatur ad aetatem, quae a mundi exordio ad Christum usque effluxit. S. Thomas, comparatis principalibus (seu primis credibilibus) fidei articulis cum primis rationis principiis, in quibus conclusiones particulares includuntur, constituit, quod quantum ad substantiam articulorum fidei, non est factum eorum augmentum per temporum successionem, quia quaecumque posteriores crediderunt, continebantur in fide praecedentium patrum, licet implicite. Sed quantum ad explicationem, crevit numerus articulorum: quia quaedam explicite cognita sunt a posterioribus, quae a prioribus non cognoscebantur explicite (1).

115. Revocat autem prima credibilia, seu principales articulos ad duo haec: *Ut credatur Deus esse, et providentiam habere circa hominum salutem*, secundum illud *Hebr.* xi, 6: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit. In esse divino*, prosequitur s. Doctor, *omnia divina includuntur, quae credimus in Deo aeternaliter existere, in quibus nostra beatitudo consistit, in fide autem providentiae includuntur omnia, quae temporaliter a Deo dispensantur ad hominum salutem, quae sunt via ad beatitudinem* (2).

116. Et haec quidem quoad substantiam. Quod vero spectat ad articulos minus principales, et in specie, certum videtur, ab Adam ad Christum usque et ad apostolos inclusive crevisse simpliciter, ut constat ex sacris litteris, in quibus plura inveniuntur, quae revelavit Deus Abrahae, Moysi, Davidi aliisque prophetis, maxime vero in novo testamento per Christum et Apostolos patefecit, quae prius non cognoscebantur.

117. Creverunt insuper fidei articuli a Christo et apostolis usque ad nos, non quidem in se, sed respectu nostri, seu quoad ulteriorem cognitionem et certitudinem per ecclesiae definitiones. Siquidem plura, quae prius aut tantum implicite credebantur, aut nonnisi confuse fide tenebantur, cum a nonnullis aut in dubium revocata fuerint aut etiam negata, ecclesia per dogmatica sua decreta solemniter sancivit, ac in individuo credenda proposuit. Per has definitiones ecclesia nova dogmata non cudit, sed antiquas veritates, quae in divina revelatione continentur, explicuit et sanxit. Hinc fides eadem iugiter permanet, sed respectu nostri, seu cognitionis nostrae, antiquae veritates novam lucem firmitatemque adeptae sunt, aut adipiscuntur. Ad hoc quippe praestandum sufficit specialis Dei adsistentia, quae ecclesiae praesto est, ne in suis iudiciis unquam erret (3).

118. Huic tertia adtexitur quaestio, num scilicet, quae formaliter, ut aiunt, continentur in fomaliter revelatis, constituant obiectum materiale fidei. Illud porro dicitur formaliter revelatum, quod terminis in-

(1) II, 2, q. 1, art. 7.
(2) II, 2, q. 1, art. 7.
(3) Exinde patet illorum error, qui exprobrare non verentur ecclesiae catholicae, quod ipsa plures articulos adiecerit apostolico symbolo, non animadvertentes, quos novos articulos vocant, non esse nisi ulteriores explicationes illarum veritatum, quae in divina revelatione continentur, et ideo ecclesiam eos adiecisse, ut se novatorum erroribus opponeret, prout quovis tempore factum est.

tellectis, clare aperteque significatur, ex. gr. Christus est Deus, Christus est homo. Illud vero formaliter contineri in formaliter seu explicite revelato dicitur, quod aut cum illo identificatur, aut in illo formaliter continetur, ut definitio, in definito partes physicae essentiales in toto, propositio particularis in universali, conclusio in praemissis.

119. Iamvero propositio exponens et applicans revelationem formalem seu explicitam potest et ipsa quandoque esse revelata, ut: Christus homo constat anima et corpore; interdum vero potest esse metaphysice aut physice certa, uti cum dicitur: Omnis homo est mortalis: aliquando moraliter tantum certa est, cuiusmodi haec esset: Concilium tridentinum, utpote legitimum, habuit Spiritus sancti adsistentiam; potest demum esse solum probabiliter certa, ut si diceretur: Petrus est in statu gratiae, quia rite confessus et absolutus est.

120. Obiectum item materiale fidei etiam proximum tale esse potest aut quoad se, aut quoad nos (1). Fidei obiectum est quoad se, si sit quidem revelatum, etsi satis nobis de ea revelatione non constat; est autem quoad nos, si sufficientem de ea notitiam habemus. Distingui praeterea debet inter obiectum credibile et obiectum credendum. Credibile tunc obiectum censetur, quod potest fide divina credi, eo quod et revelatum sit, et sufficiens de divina revelatione notitia habeatur: hoc enim in casu utrumque habetur obiectum materiale et formale, ac sufficiens utriusque applicatio. Credendum vero est obiectum cum credi debet fide catholica ob obligationem quae a legitima auctoritate iniungitur (2).

121. Quibus explanatis, pronum est inferre, illud dici ac esse obiectum materiale fidei et credibile, quod formaliter in aliqua propositione explicite revelata continetur, ut patet ex dictis; fieri autem insuper obiectum credendum quoad nos, si praeter credibilitatem, quae omnem excludat errandi formidinem, nobis proponatur credendum ab auctoritate infallibili, cuiusmodi est ecclesia. Per hanc enim factum est, ut plures veritates, quae prius non erant nisi credibiles, postea credendae evaserint, aut Pontificis dogmaticis definitionibus, aut conciliorum oecumenicorum dogmaticis decretis, quibus illae, quae continebantur solum implicite in divina revelatione, explicite nobis propositae credendae sunt (3).

122. Postrema quaestio alicuius hac de re momenti versatur circa ea, quae nonnisi virtualiter aut mediate in revelatione divina continentur; an ipsa constituant obiectum materiale fidei nec ne. Virtualiter autem ac mediate veritas revelata censetur, quae non formaliter et explicite revelata est, sed ope alicuius ratiocinationis ex revelatione educi debet. Plura pro utraque, sive affirmante, sive negante, sententia proferri consueverunt. Omnibus perpensis, verisimilius nobis videtur, eam habendam non esse nisi conclusionem theologicam, qua fit ut aliquid proximum fidei dici debeat,

(1) Cf. Kilber *De virtutib. theolog.* disp. 2, cap. 1, art. 2, n. 63.

(2) Cf. Kilber *de fide*, disp. 2, art. 2.

(3) Cuius rei exemplum suppetit in recenti definitione articuli de immaculata B. Mariae Virginis conceptione. Hic enim articulus ante definitionem dogmaticam pontificis Pii IX, erat quidem credibilis et reipsa in universa catholica ecclesia pie credebatur ob fundamenta, quibus innititur; attamen nonnisi post eam definitionem evasit credendus, adeo ut absque gravi piaculo et errore in fide de eo dubitari non possit, multo vero magis negari.

minime autem proprie fidei obiectum; qui propterea doctrinam ita a revelatione eductam respueret aut impugnaret, temeritatis quidem notari posset aut aliis censuris, quibus propositiones plus minusve a veritate aberrantes configi solent, non autem haeresis argui (1).

De his hactenus; sitque adversus fidei impugnatores

PROPOSITIO

Obiectum fidei necessariae ad salutem non sunt soli articuli fundamentales nuncupati, sed omnes prorsus veritates a Deo revelatae et ab ecclesia ad credendum propositae.

123. Adoritur haec propositio Iurieum, qui, cum cerneret, pseudoreformationem dissolvi, ac in varias sectas seu frusta dilabi, novum ad eam fulciendam systema excogitavit de distinctione inter articulos fidei fundamentales et non fundamentales (2). Qua distinctione constituta, affirmavit, ad ecclesiam veram pertinere, quotquot articulos fundamentales profiterentur, licet non fundamentales reiicerent. Arripuerunt commodum eiusmodi inventum haeretici omnes, qui indifferentistae audiunt, adiaphoristae, syncretistae, eo quod articulos non fundamentales plane ad salutem indifferentes habeant, atque ex dissentientibus circa hos articulos unam conflari religionem, aut ecclesiam, autument. Alio etiam nomine latitudinarii nuncupantur, hoc ipso, quod salutis viam omnibus patere affirment (3).

124. Ne sit aequivocationibus locus, animadvertimus 1° quodam sensu a catholicis ipsis fundamentales, seu potius principales admitti veritates, quae scitu omnibus necessariae sunt ad salutem, utpote ab omnibus adultis fidelibus explicite credendae, ex communi sententia, necessitate medii. Eiusmodi sunt mysteria trinitatis et incarnationis, nec non fides in Deum remuneratorem.

125. Animadvertimus 2°, quod, etsi non omnes et singulae fidei veritates sunt ab omnibus explicite sive necessitate medii, sive necessitate praecepti credendae, attamen omnes implicite saltem credendae sunt. Nempe fideles omnes ita debent esse animo comparati, ut eas etiam explicite credant, cum ab ecclesia credendae in specie proponuntur, nullamque omnino sine aeternae salutis detrimento respuere possint.

126. Iamvero veritates omnes a Deo revelatas et ab ecclesia credendas propositas, nullo interposito discrimine inter fundamentales et non fundamentales, constituere obiectum fidei necessariae ad salutem, ita conficimus:

127. I. Hoc ipso firmiter quisque credere quamcumque veritatem adstringitur, quod certo ei constet, eam fuisse a Deo revelatam. Ecquis enim absque maxima iniuria ac

(1) Exemplo sit ordo diaconatus, cui competere dignitatem sacramenti, ostenditur ratiocinatione, seu conclusione theologica deducitur; quo fit, ut non dicatur de fide, esse sacramentum, sed tantum fidei proximum. Hinc qui eam veritatem inficiaretur, temeritatis, non autem haereseos notaretur censura: ad summum huius veritatis negatio notari posset censura: Haeresi proxima.

(2) In duobus operibus: *Le vrai système de l'Eglise*, 1686, in 8°, et *Unité de l'Eglise*, 1688, in 8°.

(3) Aggressus est Bayle hoc Jurici systema in tractatu, quem inscripsit: *Ianua coelorum reserata cunctis religionibus a celebri admodum viro domno Petro Jurieu*, cui apposuit epigraphen: *Porta patens esto, nulli claudatur honesto*. Exinde perpetuum bellum exarsit inter Bayle et Jurieu, qui se invicem proscindunt.

proinde sine propriae salutis iactura potest Deo revelante detrectare fidem? Cum igitur certo constiterit alicui per propositionem ecclesiae, aliquam Deum veritatem revelasse, quin ceu infidelis haberi velit ac aeternae damnationis reus, nequit assensum suum cohibere. Res per se patet (1).

128. II. Quicumque inter varias veritates a Deo revelatas et ab ecclesia propositas discernit credendas a non credendis, in iudicem se erigit, nec Deo, sed sibi unice credit, iuxta illud Augustini sic Manichaeos arguentis: *Si, quod vultis, ei* (*Evangelio*) *credimus, et quod non vultis, ei non credimus, iam non illi, sed vobis credimus* (2); ideoque non effugiet incredulitatis notam.

129. III. Per hoc systema destruitur fidei unitas, statuitur spiritus privatus supremus iudex articulorum credendorum et non credendorum, dissolvitur unitas ecclesiae, omnes haereses cohonestantur. Haec porro omnia universam labefactant christianae religionis oeconomiam, iuxta quam est una fides, una ecclesia, haeretici sunt proprio iudicio condemnati (3).

130. IV. Eiusmodi distinctio nullum habet in bibliis fundamentum, in quibus indiscriminatim veritates omnes credendae proponuntur: *Qui crediderit salvus erit, qui non crediderit, condemnabitur* (4); *Docentes servare omnia, quaecumque mandavi vobis* (5). Quinimo aperte ea distinctio a sacris litteris excluditur. Etenim apostolus ad Galatas scribit: *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit* (6). Quis vero dixerit, articulum circumcisionis ad fundamentales pertinere? Praeterea Iacobus apostolus, *Quicumque*, inquit, *totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus; qui enim dixit: Non moechaberis, dixit et: Non occides* (7). Porro eadem est ratio agendorum respectu imperantis, ac credendorum respectu revelantis; quemadmodum igitur reus fit, qui vel in uno obedire detrectat, ita fit reus, qui vel in uno articulo credere recusat (8).

131. V. Haec eadem distinctio incomperta fuit universae antiquitati ecclesiasticae. Ecclesia quippe quoscumque haereticos, qui vel uni veritati a se definitae obstitissent, anathemate percussit, atque a sinu suo, seu a sua communione omnino exclusit, etiamsi de articulis, non fundamentalibus ex adversariorum sententia, agebatur. Ita proscripsit haeresim Ioviniani, Vigilantii, iconoclastarum, ceterorumque eiusmodi, qui antesignani ac praecursores protestantium exstiterunt.

132. VI. Demum haec eadem distinctio arbitraria prorsus est ac relativa. Siquidem ab uniuscuiusque privato placito pendet articulos fidei aut inter fundamentales aut inter non fundamentales accensere, cum nulla habeatur regula ad talem discretionem faciendam. Insuper illi iidem articuli, qui plerisque protestantibus fundamentales sunt, socinianis, quakeris, swedenborgianis, mormonibus non sunt fundamentales, qui aut trinitatem personarum in Deo,

(1) Idque fassus est vel ipse Iudaeus Orobius in Amica collatione cum Limborchio, dum hic eum perstringebat ex oraculis veteris testamenti.

(2) Lib. 32 cont. Faustum, cap. 16.

(3) Cf. Ephes. IV, 5 ad Tit. III, 10, 11.

(4) Marc. ult. 16.

(5) Matth. XXVIII, 20.

(6) Galat. V, 2.

(7) Cap. II, 10, 11.

(8) Quo sensu ita de donatistis scribebat s. Augustinus enarr. in Ps. 54, n. 19: « In multis mecum, in paucis non mecum. Sed in his paucis, in quibus non mecum, non eis prosunt multa, in quibus mecum. »

aut Christi divinitatem eiusque redemptionem, aliasque eius generis veritates inficiantur, imo et oppugnant. Ideoque inutilis est eiusmodi distinctio, ac universa per eam labefactatur christiana doctrina.

Sub quovis igitur respectu res expendatur, colligi omnino debet, obiectum fidei necessariae ad salutem haud esse solos fundamentales articulos, sed omnes prorsus veritates a Deo revelatas et ab ecclesia ad credendum propositas (1).

Difficultates.

133. I. Obi. 1. Scriptura ipsa et dictis et factis nos docet, eiusmodi articulorum distinctionem esse admittendam. 2. Etenim Christus ipse universam fidem ad duos revocavit articulos, dicens : *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum* (2), 3. et iterum: *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam* (3); et alibi passim. 4. Quod et factis confirmatur. Pius enim latro cum Christo in cruce pendens, cum in Christum credidisset, audire meruit: *Hodie mecum eris in paradiso* (4), nec Philippus diaconus aliam ab eunucho fidem exegit, nisi in Iesum, Filium Dei (5). 5. Quid plura? Apostolus vel fundamenti nomen exhibet nobis, atque apprime distinguit inter articulum fundamentalem, qui est de Christo Iesu, et non fundamentales, quos si quis aut ignoret aut reiiciat, aut circa ipsos erret, salvari tamen poterit. Cuius verba luculentissima sunt : *Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus Iesus. Si quis autem superaedificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, foenum, stipulam.... Si cuius opus arserit, detrimentum patietur ; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem* (6). 6. Atque ad hanc eandem articulorum distinctionem alludens, idem apostolus scribit : *Quicumque perfecti sumus, hoc sentiamus; et si quid aliter sapitis, et hoc vobis Deus revelabit* (7). Ergo.

134. Resp. ad 1. *Neg.* Adeo enim verum est, Scripturam nuspiam eiusmodi distinctionem arbitrariam patefacere, ut adversarii, quamvis saepe a catholicis provocati, ut eam ex sacris litteris ostenderent, numquam id efficere potuerint. Immo vel Iurieus ipse, huius systematis auctor, fassus est hanc quaestionem de discretione inter fundamentales et non fundamentales articulos implexam ac solutione valde difficilem (8).

135. Ad 2. seu ad primam probationem, *D.* Christus per adducta verba in compendium redegit, quae ad divinam spectant missionem suam, *C.*; sola de fide credenda ad obtinendam vitam aeternam, *N.* In illis enim duobus cetera implicite

(1) Hoc de argumento ex recentioribus auctoribus copiose ac eloquenter egit, catholicae prius ecclesiae assertor et vindex, postea vero infelix impugnator Franc. de la Mennais in vol. 1 op. *Essai sur l'indifférence en matière de religion*, chap. 6 : « Considérations sur le troisième système d'indifférence, ou sur la doctrine de ceux qui admettent une religion révélée, de manière néanmoins, qu'il soit permis de rejeter les vérités qu'elle enseigne, à l'exception de quelques articles fondamentaux. » Atque utinam in hoc primo volumine constitisset infelix auctor! sibi non conscivisset ruinam.

(2) Io. XVII, 3.

(3) Ibid. III, 36.

(4) Luc. XXIII, 43.

(5) Act. VIII, 37.

(6) I. Cor. III, 11—15.

(7) Philipp. III, 15.

(8) « Question si épineuse et si difficile de décider. » *Le vrai système de l'Eglise*, pag. 157.

continentur. Alioquin nec tot credenda, neque tot facienda proposuisset, si illa sola sufficerent. Haec enim aliaque eiusmodi intelligenda sunt negative, ita ut sensus sit: sine his salutem obtineri non posse, non autem ista sufficere, ut patet ex tot aliis, quibus vis salvandi tribuitur, ut spei, timori, aliisque non paucis.

136. Ad 3. idem esto responsum; nempe si cetera credat et praestet. Quo eodem sensu exponenda haud pauca sunt, quae ab adversariis urgentur, ex. gr. quod legitur Io. III, 16 : *Ut omnis, qui credit in eum* (*Christum*), *non pereat, sed habeat vitam aeternam.*

137. Ad 4. *D.* Latro tantum in Christum credidit explicite, *C.*; in sensu exclusivo, *N.* Nempe dum latro Christum confessus est, implicite saltem, seu mentis dispositione paratum se exhibuit ad universam Christi doctrinam profitendam, si ei innotuisset, ac praeterea poenituit eum facinorum suorum. Idem dic de eunucho, dum elicuit fidei actum in Christum, Filium Dei; ac de custode carceris Philippensis, cui a Paulo et Sila dictum est: *Crede in Dominum Iesum; et salvus eris tu, et domus tua* (1), idest: amplectere fidem christianam, quam iidem apostoli ei exposuerunt (2); alioquin sequeretur, potuisse non credere in Patrem et in Spiritum s.

138. Ad 5. *N.* vel *D.* Per fundamentum apostolus significat genuinam ac puram Christi doctrinam, *C.*; significat articulum fundamentalem ad discrimen articulorum non fundamentalium in sensu adversariorum, *N.* Hoc enim commentum est haereticorum nuper excogitatum, quod quam maxime adversatur contextui et menti apostoli. Nam alludit apostolus ad magistros iudaizantes, qui praeter puram evangelicam doctrinam, quam ipse Corinthiis tradiderat, caeremonias ac ritus iudaicos admiscebant cum observatione professionis christianae, sive ex ignorantia, sive ex levitate aliove minus recto fine. Hanc porro permixtionem destructum iri, denunciat apostolus, templo ac Hierosolymis eversis, prout reipsa factum est; eiusmodi autem doctores detrimentum esse operis passuros, ac vix ipsos nec sine aliqua temporali poena vel in futura vel in praesenti vita evasuros esse (3).

139. Ad 6. *N.* vel *D. Hoc sentiamus... et si quid aliter sapitis* in re ethica et perfectione christiana, *C.*; in dogmaticis, *N.* Talem esse mentem apostoli hoc in loco, patet ex orationis serie, in qua sermo est de profectu iugiter ulteriori in persequenda perfectione seu sanctitate, quam quidem omnimodam perfectionem se minime assecutum humiliter de se profitetur apostolus, ceterosque ad idem de se sentiendum adhortatur, confidens, Deum gratia sua hunc sensum inspiraturum iis, qui aliter sentirent. Quid hoc porro commune habet cum distinctione articulorum fundamentalium et non fundamentalium (4)?

140. II. Obi. 1. Tum in iudaica

(1) Act. XVI, 31.

(2) V. 32: *Et locuti sunt ei verbum Domini.*

(3) Vid. Philippum Lallemand in notis quas in hunc locum apposuit in sua gallica versione novi testamenti; item Estium aliosque interpretes.

(4) Exinde novum argumentum habetur de intelligentia Scripturarum in sensu privato haereticorum. Attamen Monod in sua *Lucilla* serio adhuc hunc textum ad rem suam urget; nempe adeo stolidus est! Ceterum s. Io. Chrysostomus hom. 11 in Epist. ad Philipp. in hunc locum: *Non de dogmatibus*, inquit, *haec dicta sunt, sed de perfectione vitae*, cf. I. F. Beelem *Interpretatio Epist. s. Pauli ad Philipp.* Lovanii 1849.

tum in primitiva ecclesia christiana dissentientes in articulis non fundamentalibus a communi fide non arcebantur ab ecclesia. In iudaica enim synagoga pharisaei, sadducaei et esseni, qui legis Moysis et Messiae futuri fidem profitebantur, etsi in pluribus aliis articulis ab invicem discrepabant, ad eandem tamen spectabant ecclesiam. In christiana vero tolerabantur, tum qui legalia fidei christianae professioni adiiciebant, tum qui schisma faciebant inter Corinthios. 2. Sane qui credit, quae necessaria sunt necessitate medii et praecepti, salvari potest; iamvero qui credit symbolum apostolorum, haec omnia credit. 3. Pleraque dogmata, quae in symbolo non continentur, et inter catholicos et sectarios controversa sunt, Christus creditu libera reliquit, utpote in Scripturis non clare expressa, nec primis saeculis credita. 4. Plura profecto sunt dogmata, quae prius impune negari potuerunt etiam a catholicis; plura item sunt, de quibus adhuc libere inter ipsos disceptatur. 5. Vel ipsi catholici distinguunt inter articulos necessarios et non necessarios, seu ut loquitur s. Bonaventura, in antecedentes, uti Scripturam, et quaedam Dei attributa, constituentes, articulos nempe symboli, et consequentes, ex illis scilicet prioribus deductos, quique determinari nequeunt, utrum necessarii sint necessitate medii et praecepti (1). Ergo.

141. Resp. ad 1. *D.* In synagoga iudaica, *Tr.*; in ecclesia christiana subd.; in nondum definitis, *C.*; in definitis, *N.* Transmisimus sectas, quae sub finem iudaicae reipublicae in illa vigebant, quae, licet circa plures opiniones, seu verius, gravissimos errores sectae illae inter se dissentirent et a communi fide, cum tamen a legitimo tribunali seu auctoritate segregatae non fuerint a synagoga, hinc unam semper ecclesiam constituebant. Adde, incerta adhuc esse, quae ad sectas illas spectant (2), et aliam in synagoga viguisse oeconomiam ab ea, quam in ecclesia sua Christus instituit, adeoque neganda est inter utramque paritas. In ecclesia enim christiana, quicumque auctoritati eiusdem refragarentur in rebus fidei cum pertinacia mentis et voluntatis, inter haereticos amandabantur, ut patet ex I. Tim. I, 19, 20: *Habens fidem et bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt, ex quibus est Hymenaeus et Alexander, quos tradidi satanae*, et II. Tim. II, 17: *Ex quibus est Hymenaeus et Philetus, qui a veritate exciderunt, dicentes, resurrectionem esse iam factam, et subverterunt quorundam fidem.*

142. Tolerati autem sunt, qui legalium observantiam adiungebant professioni christianae, quamdiu illa, etsi mortua, nondum tamen facta fuerunt mortifera, id est ab ecclesia reprobata, prout contigit respectu Quartodecimanorum. Schisma corinthiorum non versabatur circa dogmata, sed solum circa improvidam affectionem suorum insti-

(1) Lib. 3 Sent. dist. 25.

(2) Iosephus Flavius antiquit. lib. 18, c. 1, n. 4, de Sadducaeis scribit: « Ab illis nihil fere agitur: nam si aliquando magistratus gerunt, inviti et necessitate coacti Pharisaeorum opinioni assentiuntur, quod eos alioquin non ferret populus; » ac de Essenis n. s. haec habet: « In templum donaria sua mittunt, ibi sacra non faciunt, propterea quod lustrationes habent sanctiores; hac de causa communi delubro arcentur, et sacra sua seorsum faciunt. » Ed. Havercamp. Nempe uti haereticae ambae hae sectae spectabantur.

tutorum, nec discindebant communionis unitatem (1).

143. Ad 2. *D.* Qui credit necessaria necessitate medii et praecepti una cum ceteris ab ecclesia propositis, *C.*; ad horum exclusionem, *N.* Et sic responsio patet ad id, quod subditur de symbolo, in quo creditu necessaria continentur. Nam praeterquamquod sectarii rite non credunt symboli articulis, quos intelligunt iuxta proprium sensum, plura adhuc debent credi, quae implicite solum in symbolo habentur, quaeque credi debent explicite, quum ab ecclesia credenda proponuntur (2).

144. Ad 3. *Neg.* Immo vero Christus credere praecipit ea omnia, quae credenda ecclesia proponit, illis verbis: *Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (3), ut cetera similia omittam. Et ideo, quod plura in Scripturis non sunt clare expressa, Christus non Scripturam, sed ecclesiam tanquam proximam fidei regulam nobis assignavit, atque magistram dedit. Eadem demum credita fuerunt primis saeculis, quae nunc creduntur; sed fortasse ab initio solum implicite, postea vero explicite credita sunt.

145. Ad 4. *D.* Nondum definita, *C.*; post definitionem, *N.* Responsio patet ex antea dictis.

146. Ad 5. *D.* Catholici distinguunt inter articulos necessarios et non necessarios scitu necessitate medii aut praecepti ad salutem, *C.*; credendos et non credendos, *N.* Postremam hanc distinctionem prorsus ignoraverunt catholici, prout et nunc quoque ignorant: quo sensu intelligi debet distinctio allata ex s. Bonaventura (4).

147. III. Obi. 1. Inter res revelatas haud paucae sunt, quae parum aut nihil refert ut credantur, ideoque absque salutis detrimento possunt non credi. 2. Inter catholicos praeterea plures reperiuntur, qui erronea uti vera credunt, et plures veritates revelatas ignorant; quod contingit protestantibus circa articulos non fundamentales. 3. Quod si dicatur, catholicos credere saltem implicite, quod credit ecclesia; quare idpsum sufficere non poterit ad salutem protestantibus, qui implicite credunt quidquid Christus docuit et in Scriptura continetur? 4. Alioquin nimis coarctaretur credentium et salvandorum numerus, cum catholici, cum infidelibus et sectis christianis universis comparati, pauci omnino sint, cum tamen Deus velit omnes homines salvos fieri. Ergo.

148. Resp. ad 1. *D.* Inter res revelatas haud paucae sunt, quae absque salutis iactura ignorari possunt, seu quarum notitia ad salutem necessaria non est, *C.*; quae possint non credi, si credendae proponantur, *N.* Hoc enim foret fidem detrectare Deo, summae veritati, ac propterea impium.

149. Ad 2. *D.* Errore materiali et ignorantia inculpabili, *Tr.* vel *C.*;

(1) Id patet ex verbis Apostoli, I. Cor. I, 10, 12.

(2) Quod reipsa protestantes ex proprio sensu, ac proinde diversimode intelligant articulos fidei in symbolo apostolico contentos, patet ex diversa ratione, qua exponunt articulum de ecclesia Lutherus, Calvinus, et ex anglicanis Pearsonius in sua huius symboli expositione.

(3) Matth. XVIII, 17.

(4) Sane s. Bonaventurae mens praeterquam quod patet ex iis, quae habet loc. cit., quaest. 1, et 2, in quaest. 3, n. 4, scribit: « Ideo ex hoc non potest concludi, quod aliquis per fidem teneatur omnes articulos explicite credere, sed implicite. Explicite autem, cum se offert opportunitas, utpote quando aliquis articulus illi praedicatur ab eo, cui debet credere.

errori formali et culpabili ignorantia, *N.* Primum est, quod contingere interdum potest rudibus catholicis, alterum proprium est haereticorum, qui scientes volentesque repudiant articulos ab ecclesia credendos propositos.

150. Ad 3. *Neg.* paritatem; multiplex porro est discrimen, quod intercedit inter catholicos, qui implicite credunt, quod credit et docet ecclesia, et protestantes, qui profitentur, se credere, quod Christus docuit et in Scripturis continetur. Etenim 1°, quod docet ecclesia, omnes facile per iuge eius magisterium semper vivens discere possunt; 2° quia in dubiis semper possunt solutionem obtinere, quoties eam interrogant; 3° si quis erraverit in aliquo peculiari articulo, corrigi illico potest, et ad veritatem revocari, cum per illam submissionem, quam catholicus profitetur ecclesiae, atque ab illa dependentiam, paratum se exhibeat ad eius doctrinam humili obsequio amplectendam. Contra vero Christus, qui coelum conscendit, interrogari nequit, et Scriptura mutari nequit ab ea, quae est; in dubiis neque Christus, neque Scriptura praebent solutionem; nam Christus vice sui visibilem constituit ecclesiam, quae oracula promat, nec per se visibiliter loquitur aut respondet; Scriptura vero mortua littera est ac muta; si protestantes errent, nemo est, qui eos corrigere possit ac ab errore retrahere, praesertim cum sint in prava dispositione obsistendi ecclesiae definitionibus. Demum hanc eandem fidei professionem elicere possent haeretici omnes, immo et deistae, dicentes, se credere, quidquid Deus novit ac vult; quin etiam et athei, profitentes, se tenere et credere, quidquid verum est (1).

151. Ad 4. *D.* Ex propria culpa, *Tr.* vel *C.*; ex parte Dei, *N.* Utique Deus sincere vult omnium hominum salutem sub ea tamen conditione, ut et ipsi velint eam sincere obtinere per media, quae Deus constituit. Quod si alii respuant revelationem, ut omnes infideles positivi, si detrectent se subiicere ecclesiae, quam Deus ipse magistram universalem constituit, ut omnes haeretici et sectarii, sibi solis imputare debent si versentur extra salutis viam. Nam quod attinet ad infideles pure negativos et ad haereticos materiales, qui ignorantia invincibili detinentur, Deus alia ratione ipsis praesto est, ut suo loco theologi docent.

CAPUT IV.

DE OBIECTO FORMALI FIDEI AC DE ULTIMO RESOLUTIVO FIDEI

152. Obiectum fidei formale motivum dicitur, quo homo movetur, seu inducitur ad credendum aliquid fide divina seu theologica, seu etiam ad assentiendum iis, quae credenda proponuntur. Cumque credere nihil aliud in sua notione importet, quam assentiri auctoritati alicuius aliquid testantis, exinde sequitur, in materia, qua de agimus, formale obiectum fidei consistere in auctoritate Dei revelantis, iuxta illud I. Io. v, 9: *Si testimonium hominum ac-*

(1) Cf. Bossuet: *Sixième avertissement aux protestants*, ubi refellit Chillingworth revocantem fidei professionem ad hanc formulam: *Je crois ce que Jésus-Christ veut que je croie, et ce qu'il a voulu enseigner dans sa parole*; ubi Bossuetus observat, eiusmodi fidei professionem huic alteri aequivalere: *Je crois tout ce que je veux, et tout ce qu'il me plait d'attribuer à Jésus-Christ, et à sa parole.* Tota tertia pars huius moniti sexti ad protestantes continet plenam systematis Juriei confutationem, quam nos paucis perstrinximus.

cipimus, testimonium Dei maius est, perinde ac si diceretur: Si assentimur ob testimonium hominum, multo magis assentiri debemus ob testimonium Dei.

153. Hic vero plures institui solent quaestiones, quarum dilucidatio valde confert ad pleniorem praesentis argumenti cognitionem. Ne tamen longiores simus, eas proponemus, subiicientes breviter, iuxta magis probatas sententias, unicuique solutionem.

154. Ac 1° cum ex s. Thoma obiectum formale fidei sit veritas prima seu Deus (1), quaeritur, utrum Deus tale obiectum sit in essendo, seu secundum naturam et essentiam nempe divinitatem, an vero in loquendo. Verum responsio patet: nam per illud constituitur fidei obiectum formale, quod vim habet intellectum movendi ad assentiendum; hoc porro est auctoritas Dei revelantis, ideoque loquentis, et quidem prout est summa sapientia et summa veracitas: scientia enim requiritur, ne possit falli, veracitas, ne velit fallere.

155. Sane Christus alloquens Nicodemum ait: *Amen dico tibi, quia, quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur* (2). Et hoc respectu sapientiae; respectu vero veracitatis, idem Christus: *Qui me misit*, inquit, *verax est, et Ego, quae audivi ab eo, haec loquor in mundo* (3). Apostolus vero scribit: *Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? Absit. Est autem Deus verax; omnis autem homo mendax* (4). Hoc insuper ratio ipsa suadet; nec enim formidinem assensus auctoritas excluderet, nisi, qui loquitur, sit summe sapiens, ut errare non possit, et summe verax, ut non possit decipere.

156. Quaeritur II. utrum divina revelatio, sive externa, sive interna (5), idest prout a subiecto divina revelatio suscipitur, constituat obiectum formale fidei, an vero sit tantum conditio ad fidem habendam. Communior sententia est, per divinam revelationem vere constitui motivum seu obiectum formale fidei, iuxta illa bibliorum oracula, quae passim id tradunt; sic Christus inquit: *Sicut dixit mihi Pater, sic loquor* (6), et I. Io. v, 6: *Spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas*; et apostolus: *Cum accepissetis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed* (*sicut est vere*) *verbum Dei* (7). Quo pariter spectant formulae illae: *Haec dicit Dominus; verbum Domini, quod factum est, etc.* Quae quidem non meram conditionem exprimunt, sed vere motivum ad credendum, seu auctoritatem Dei loquentis moventisque ad assensum praebendum.

157. Quaeritur III. utrum Deus, prout est summa veritas et summa veracitas, sit obiectum formale fidei, et utrum Deus sub ratione primae veritatis sit obiectum formale fidei, prout cognoscitur lumine naturae, vel prout cognoscitur supernaturaliter. Communior ac tenenda sententia est, Deum revelantem, ac prout summa veritas ac summa veracitas est, vere esse obiectum for-

(1) II, 2, q. 1, a. 1, ubi scribit: « In fide si consideremus formalem rationem obiecti, nihil est aliud quam veritas prima. Non enim fides, de qua loquimur, assentit alicui, nisi quia est a Deo revelatum. »

(2) Io. III, 11.

(3) Io. VIII, 26.

(4) Rom. III, 3.

(5) Id est sive immediata, sive mediata, quae nempe ab eo, qui immediate revelationem a Deo habet, accipitur.

(6) Io. XII, 50.

(7) I. Thess. II, 13.

male fidei, nec sufficere naturalem eius cognitionem ad eliciendum fidei theologicae actum; quamquam, ut mox videbimus, alii aliter id exponant. Manifesta huius sententiae videtur ratio, quia effectus non debet excedere causam; iam vero si sufficeret cognitio humana ratione parta, fides supernaturalis inniti posset veritati naturaliter cognitae, cum tamen fidei firmitas excedat quamcumque naturalem firmitatem, adeoque effectus excederet causam. Accedit, quod Deus hoc ipso, quod aliquid expresse revelet ut credendum, implicite saltem, suam ipsam scientiam et veracitatem revelet (1). Sunt, qui utramque sententiam coniungant simulque componant, tum scilicet eorum, qui adstruunt necessitatem cognitionis supernaturalis ad fundandam fidem, tum eorum, qui adstruunt sufficientiam cognitionis naturalis; immo utramque sub diverso respectu sufficere et requiri affirmant (2).

Ceteras quaestiones ut minus scitu necessarias praetermittimus, ut ad statuendas insequentes propositiones accedamus.

PROPOSITIO I.

Obiectum formale fidei est auctoritas Dei revelantis. Argumenta vero credibilitatis constituunt praeambulum aut conditionem ad formale obiectum habendum.

158. Etenim iuxta praemissa ratio, qua proxime et praecipue indu-

(1) Cf. Suarez *De fide*, disp. 3, sect. 6, ubi adnititur ostendere, naturalem evidentiam illius principii: *Deus est prima veritas, quae fallere non potest*, neque esse necessariam, neque etiam sufficere ad credendum per fidem infusam ea quae Deus revelat, et consequenter fidem non posse resolvi, vel fundari in prima veritate, ut evidenter cognita, sed ut credita per eandem fidem. Illud vero Apostoli Hebr. XI. Accedentem ad Deum oportet credere quia est, accipiendum ostendit de accessu ad Deum per fidem supernaturalem, et ante omnia sic credendum, Deum esse. Verumtamen Card. de Lugo, ut statim ostendemus, aliam viam inivit ad id efficiendum.

(2) Card. de Lugo *De fide*, disp. 1, sect. 6, n. 82 seqq., mediam viam tenet inter eos qui contendunt, sufficere ad fidem fundandam, uti ultimum eius resolutivum, cognitionem naturalem Dei veracitatis, et eos, qui ad hoc requirunt cognitionem supernaturalem, ut Suarezius, existimatque, assensum illum de summa Dei auctoritate, qui ad credenda mysteria revelata requiritur, debere quidem esse supernaturalem et elicitum ab eodem habitu fidei infuso, negat tamen, id fieri debere aut posse propter revelationem talis obiecti, sed debere supremam Dei auctoritatem aliunde cognosci, ut possit ad credenda alia propter revelationem movere. Quam suam sententiam pluribus evincere satagit, concluditque n. 100, quod, si Dei veracitas affirmetur sub conditione: *Si Deus loquitur*, *loquitur vere*; seu: *Si Deus est, est summe verax*, hic assensus non videtur indigere alio medio, sed posse ex apprehensione terminorum fieri. Si enim penetrantur termini, quod scilicet Deus in suo conceptu sit ens primum summe perfectum, et cumulus perfectionum, et simul apprehendam, quod veracitas summa sit maxima perfectio naturae intellectualis, statim ex terminis constat si sit Deus, debere esse summe veracem, neque ad hoc affirmandum indigemus alio motivo, vel medio. Hic autem assensus conditionalis videtur sufficere ad resolutionem assensus fidei: sequitur enim bene, incarnationem e. gr. esse veram, ex his duobus principiis: *Si Deus loquitur dicit verum*; et *Deus de facto loquitur et dicit, incarnationem factam*. Non possunt enim esse verae illae duae propositiones, quin sit vera etiam incarnatio. Potest ergo veracitas Dei affirmata, saltem sub conditione, esse ultimum motivum partiale, in quod resolvatur assensus fidei. Constituit praeterea, secus ac existimet Suarezius, posse habitum fidei elevare intellectum, ut circa ipsam veracitatem Dei eliciat assensum supernaturalem et perfectiorem ad fundandum assensum mysterii. Ex quo infert num. 113, esse eandem obligationem credendi super omnia veracitatem Dei, ut possimus credere, quod Deus dicit, nempe ante revelationem de eadem veracitate. Haec enucleatius evolvenda erant, eo quod de quaestione admodum difficili agatur.

cimur ad assentiendum fidei veritatibus, est, quia sunt a Deo revelatae. Nec enim fidei doctrinas credimus, quia intrinsece videmus eas veras esse, sed ideo, veras esse credimus, quia novimus, a Deo esse revelatas. Obiectum igitur fidei formale primarium recte constituitur in auctoritate Dei revelantis, eiusque infallibili scientia et veracitate.

159. Ut autem fidei veritates prudenter credamus, satis non est, eas esse a Deo revelatas, sed praeterea requiritur, ut certi simus, Deum per apostolorum et prophetarum ora fuisse locutum (1); id vero efficitur per argumenta seu motiva credibilitatis.

160. Argumenta porro seu motiva credibilitatis ea sunt, quae suadent ac prudenter inducunt ad credendum, aliquam religionem esse a Deo revelatam, quae propterea eius naturae esse debent, ut cum divino testimonio necessario et evidenter connectantur. Huius generis sunt potissimum miracula, et prophetiae eventu probatae, quae utpote humanas facultates excedentia, necessario atque evidenter divinam praescientiam atque omnipotentiam requirunt. Si quis enim se a Deo afflatum praedicet, doctrinasque aliquas Dei nomine se hominibus aperire, profiteatur, idque veris miraculis ac vaticiniis confirmet eventu comprobatis, profecto cuique ratione recte utenti suadet, se a Deo vere missum esse, ac doctrinas suas esse divinitus revelatas.

161. Ex quibus colligimus 1°, nihil rationabilius esse obsequio fidei. Siquidem quid magis rationabile, quam fidem adiungere Deo revelanti iisque veritatibus, quas certissime constet esse a Deo revelatas?

162. Colligimus 2°, magnopere eos decipi, qui autumant, rationem a fide penitus excludi; nam ratio in primis est, quae Deum docet nec decipere posse, nec decipi, eique revelanti fidem esse adhibendam. Rationis praeterea est argumenta diligenter expendere, atque etiam solerter excutere, ut verae a confictis revelationibus probe secernantur. Id enim nisi probe investigetur et iudicetur, nemo est, qui non videat, facillime homines in nequissimas fraudes induci posse, nec raro induci (2). Cum vero semel certo constiterit de facta revelatione, humana ratio subsistat, necesse est, nec revelatas veritates curiosius inquirere praesumat (3).

(1) Huc refertur prop. 21 ab Innocentio XI damnata: « Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, immo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus. » In quam propositionem consulendus Viva in Damnatarum thesium theologica trutina.

(2) Innumera pene exempla suppetunt eiusmodi deceptionum et hallucinationum, tum antiquis, tum recentioribus temporibus, sive penes ethnicos, sive penes haereticos, quin necesse sit ea singillatim persequi.

(3) Hic tamen animadvertendum est, per solam cognitionem naturalem eiusmodi motivorum nondum haberi aut elici actum fidei supernaturalis. Scite tamen animadvertit Card. De Lugo, loc. cit. n. 130, illa motiva credibilitatis habere duplicem influxum in fidei assensum, alterum immediatum, quatenus sunt ratio formalis partialis assentiendi mysteriis revelatis (modo dicto); alterum mediatum, movendi voluntatem, et media voluntate, excitando ad actum fidei sine formidine eliciendum, et ut sic, esse conditionem. Exponit vero illud (modo dicto) in toto numero circa propositionem ecclesiae, cui « non credimus, prout sunt praecise verba ecclesiae, sed prout sunt nuncium Dei, seu prout ex illis verbis integratur hoc, quod est, mysteria proponi mihi mediate ex parte Dei. Deinde haec eadem motiva sunt conditio etiam ad assensum fidei, quatenus eorum cognitio generat prius iudicium prudentis credibilitatis mysteriorum, ex quo iu-

Credibilia autem fidei motiva expenduntur ac vindicantur in tractatu de vera religione (1).

PROPOSITIO II.

De ratione fidei est, ut sit obscura.

163. Ad clariorem huius enunciationis intelligentiam nonnulla praemittenda sunt ; ac primo quidem dum dicimus, fidem de ratione sua obscuram esse, significamus, evidentiam intrinsecam credendorum excludi ex notione formali fidei ; secundo eiusmodi evidentiae defectum, seu obscuritatem fidei dicimus recte componi etiam cum iis, quae naturali ratione cognosci possunt.

164. Porro obiectum formale fidei involvere in sua notione obscuritatem seu inevidentiam credendorum, exinde patet, quod horum veritas et cognitio pendeat ex auctoritate testimonii, seu loquentis; iam vero testimonium, prout tale, non ostendit rem testificatam in se; alioquin non crederetur, sed videretur; de ratione igitur fidei est, ut res, quatenus credita, non sit visa, seu intellectu cognita, ideoque obscuritas, quae opponitur huic evidentiae, est de ratione formali fidei (2).

165. Huc referuntur Scripturae oracula, quae idipsum ostendunt. Nam ex apostolo : *Fides est argumentum non apparentium* (3), et Christus: *Beati*, inquit, *qui non viderunt et crediderunt* (4), ut alia eiusmodi praeteream. Nec dissentiunt patres, inter quos s. Augustinus scribit : *Quod intelligimus, debemus rationi, quod credimus auctoritati* (5); et iterum : *Turbam (fidelium) non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit* (6); et s. Gregorius M.: *Hoc veraciter dicitur credi, quod non valet videri* (7).

166. Et hoc quidem, spectata ipsa fidei natura; nam nemo est, qui non videat, plures veritates revelari posse, quae humanae mentis aciem excedunt, cuiusmodi sunt mysteria, de quibus cum agitur, quisque intelligit, fidem obscuram esse.

167. Recte autem eiusmodi, quam adstruximus intrinsecam inhaerentemque formali fidei obiecto, obscuritatem componi cum illa evidentia, quae nonnullarum veritatum per rationem haberi potest, intelligitur ex diverso medio seu motivo, quo eaedem veritates agnoscuntur. Interdum enim de eodem obiecto haberi potest scientia et fides, sed sub diverso respectu, ut suo loco ostendimus (8).

168. Quinimo illa ipsa, quae a s. Thoma fidei praeambula nuncupantur, quaeque praeexiguntur ad ea credenda, quae per solam revelationem divinam innotescunt, possunt obiectum fidei constituere. Idque duplici ratione contingere potest, tum nempe respectu rudiorum, qui demonstrationis vim assequi nequeunt sive existentiae Dei, sive

dicio movetur voluntas ad imperandum assensum fidei. » Supponit tamen doctus Cardinalis, id quod antea statuerat, praeveniri intellectum et voluntatem ab interioris gratiae illustratione et inspiratione.

(1) De his egimus in tract. *De vera religione*, part. 1, cap. 3, De notis divinae ac supernaturalis revelationis.

(2) De hoc argumento inter ceteros fuse agit Suarez loc. cit., sect. 7, et 8, quem neminem poenitebit consuluisse.

(3) Hebr. XI, 1.

(4) Io. XX, 29.

(5) Lib. *De utilitate credendi*, cap. 11, n. 25.

(6) Lib. cont. *Epist. Fundamenti*, c. 4, n. 5.

(7) Lib. 4, dialog. cap. 6.

(8) In tract. *De locis theolog.* part. 3; *De analogia rationis et fidei*, cap. 2, art. 1, prop. 4.

eius unitatis ac providentiae ; tum respectu doctiorum , qui , licet naturali lumine, illas veritates certissimas esse, cognoscant, attamen et ipsi easdem veritates fide theologica firmissime credunt, quin tamen fidei lumen rationis lumen aut impediat aut exstinguat ; quemadmodum si lumini solis lumen candelae adiungatur ad idem obiectum intuendum (1).

PROPOSITIO III.

Ad obiectum formale fidei non est necessaria revelatio immediata singulis hominibus.

169. Adstruitur haec propositio, tum adversus antiquos, tum adversus recentiores haereticos , qui ad excludendum ecclesiae magisterium commenti sunt , aut Deum immediate revelationem suam singulis hominibus proponere , aut saltem singulos interius immediate docere veritates credendas. Ex quo principio inferunt , debere unumquemque se facie ad faciem cum Deo constituere , ut ab eo , excluso hominum, idest ecclesiae, magisterio , quilibet aut admittat, aut respuat, quae credenda sint seu non credenda, per immediatum Spiritus sancti magisterium internum (2).

170. Sed perperam. Etenim illa revelatio ad formale fidei obiectum constituendum sufficit , quam Deus adhibere consuevit ipseque statuit , quae ad fidei unitatem confert, quae denique illusionibus obnoxia non est: atqui talis est revelatio mediata.

171. Ac primo quidem Deum consuevisse per mediatam revelationem, seu ministerio hominum aut angelorum suas veritates manifestare , tot habentur probationes, quot universa sacra Scriptura exhibet. Nam Deus in veteri testamento nonnisi paucos a se delectos homines allocutus est , ac per ipsos ceteros docuit. Ita allocutus est Adam, patriarchas, Mosem, prophetas, ut ex his ceteri eas edocerentur iuxta illud Psalmi LXXVII, 5: *Quanta mandavit (Deus) patribus nostris, nota facere ea filiis suis.* Hinc de Israëlitis scriptum est: *Crediderunt Deo et Moysi servo eius* (3); crediderunt scilicet Deo ut testificanti et immediate loquenti cum Moyse, Moysi autem ut sufficienter proponenti ; ac demum , ceteris omissis, apostolus id ipsum confirmat dicens: *Olim Deus loquens patribus in prophetis* (4), seu per prophetas. In novo autem foedere missus perhibetur Ioannes a Deo , *Ut omnes crederent per illum* (5). Cumque Christus immediate eos docuisset, qui audire potuerunt, ad

(1) Cf. Suarez loc. cit. sect. 9 , quae tota est de hoc argumento ; ubi ostendit, per habitum fidei infusae non destrui habitum scientiae acquisitae.

(2) Eminent aetate hac nostra inter protestantes pro hoc systemate De Gasparin, Vinet, Monod , aliique fanatici , qui se ridendos praebuerunt. De Gasparin, « Le principe chrétien (inquit) c'est la rencontre directe de l'âme avec Dieu... c'est le tête à tête avec Dieu ; » sed adversus eiusmodi hominem cf. *La quatrième lettre d'un solitaire du Jura à M. De Mermillod* in art. *Etudes sur M. De Gasparin* in *Annal. cathol. de Genève*, juil. 1858, in qua hic solitarius, seu D. Martin, ita hunc fanaticum vellicat, ut miseratio moveatur. Sic etiam Vinet in suo *Essai sur la manifestation des convictions religieuses.* Paris, 1842, c. 4, ideo summopere commendat principium protestans, « grâce auquel le fidèle ne reçoit plus au travers de ce milieu humain , qui est l'Eglise, des rayons pâles et mutilés, mais un torrent de lumières pures et chaleureuses qui irradient son esprit et embrasent son cœur, en le plaçant tête à tête avec le soleil des intelligences. » Eadem habet in sua *Lucilla* Monod, eadem Scherer, etc. Infelices protestantes nesciunt amplius, quo se vertant !

(3) Exod. XIV, 31.

(4) Hebr. I, 1.

(5) Io. I, 7.

reliquos misit apostolos, illis praecipiens: *Docete omnes gentes* (1), *Praedicate evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur* (2); *Eritis mihi testes..... usque ad ultimum terrae* (3). Hinc generatim apostolus scribit: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Ac ne quis suspicaretur, se haud locutum esse de verbo sensibili, subdit: *Quomodo audient sine praedicante* (4)? Oeconomia igitur, quam in proponenda sua revelatione in utroque foedere sectatus est Deus, non fuit immediata.

172. Quod vero mediata revelatio conferat ad fidei unitatem, exinde evincitur, quod, si unusquisque immediate per internum Spiritus sancti impulsum fidei veritates acciperet, foret sibi quilibet regula fidei, quin ullus eum arguere de errore posset, etiam in iis, in quibus quispiam hallucinatus esset, dum putat, se a Spiritu s. edoctum, cum nonnisi propriae imaginationi ac proprio sensui indulgeat. Eo vel magis, quod non semel angelus satanae in angelum lucis se transfiguret ad homines decipiendos, ut testatur Apostolus (5); actum proinde esset de fidei unitate.

173. Et sane experientia patefecit, quovis saeculo deceptos ac deceptores magno numero prodiisse, qui sub obtentu interioris revelationis se et alios in gravissimos et absurdissimos, immo vero et in perniciosissimos errores coniecerunt. Atque ut vetustiores omittamus, testes eiusmodi turpissimae deceptionis se praebuerunt anabaptistae, ac novissime mormones (6); ut alia silentio praeteream, quae paulo ante in prop. IV, capit. III, adduximus circa interius Spiritus sancti magisterium, circa Scripturae inutilitatem, quae exinde sequeretur, ac circa supervacuam ecclesiae institutionem.

Concludamus igitur, necesse est, ad obiectum formale fidei haud necessariam esse immediatam singulis hominibus revelationem, aut interiorem Spiritus sancti impulsum.

Difficultates.

174. I. Obi. Scriptura ipsa testatur, in novo saltem foedere Deum immediate allocuturum esse fideles singulos ad exclusionem externi cuiusvis magisterii. Etenim 1° Hier. XXXI, 33, de Deo legitur: *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam;* deinde subdit v. 34: *Et non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum.* 2° Cohaerenter ad eiusmodi praedictionem Ioannes evangelista scripsit: *Vos unctionem habetis a sancto, et nostis omnia* (7), et iterum: *Vos unctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis. Et non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio eius docet vos de omnibus, et verum est.... Et sicut docuit vos, manete in eo* (8). 3° Quod quidem innititur ipsis Christi verbis: *Unus est magister vester.... Ne vocemini magistri, quia magister vester unus est, Christus* (9); 4° et apostolus

(1) Matth. ult.
(2) Marc. ult.
(3) Act. I, 8.
(4) Rom. X, 14—17.
(5) II. Cor. XI, 14.
(6) Nos plura eiusmodi exempla exhibuimus ex sectis antiquis et recentioribus, quibus addere possumus aliud luculentissimum et contemporaneum, scilicet Mormonum. Cf. *Il Protestantesimo e la regola di fede*, part. I, sez. I, cap. unic. *Della regola teosofica*; nec non aliud opus, cui titulum fecimus: *Il Proselitismo protestante*, in appendice: *Del Mormonismo.*
(7) I. Io. II, 20. (8) Ibid. 27.
(9) Matth. XXIII, 8—11.

indefinite pronuntiat : *Spiritualis homo iudicat omnia, et ipse a nemine iudicatur* (1). Ergo.

175. *N. Ant.* Neque enim fieri potest, ut Scriptura sibi ipsi adversetur et contraria doceat. Itaque :

176. Ad 1. prob. *D.* Ad significandum abundantius divinae gratiae subsidium in nova lege perfectiori concedendum, *C.;* ad excludendum ecclesiae exterius magisterium, *N.* Nam in obiecto Hieremiae textu, ut exponit apostolus Hebr. VIII, 7, seqq. sermo est de substitutione novae legis evangelicae longe perfectioris legi seu testamento veteri, quamque Deus in fidelium cordibus per gratiam suam esset scripturus, ad discrimen veteris legis datae in tabulis lapideis et exteriori apparatu, nec non de latiori diffusione per omnes gentes novae legis prae vetere ad unum populum coarctata. Confundi igitur non debent interna revelatio, prout adversarii faciunt, et interius gratiae auxilium ad credendum; istud enim necessarium est omnibus et singulis, illa vero non item. Promittitur eo in loco peculiaris gratia et interna Spiritus sancti illuminatio danda hominibus hoc tempore gratiae ad credendum et ad intelligenda mysteria, quae illis praedicantur, iuxta illud Ioël. II, 28: *Effundam Spiritum meum super omnem carnem* (2).

177. Alter vero textus, seu potius continuatio eiusdem Hieremiae textus, de universali Dei cognitione intelligi debet, non tantum apud Iudaeos, verum etiam penes universas nationes per evangelicam praedicationem instruendas, ut patet ex verbis immediate sequentibus : *Omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum*, scilicet cognoscent docti et indocti, sapientes et rudes (3).

178. Ad 2. *D.* Ad exclusionem externi magisterii, *N.* Hoc supposito una cum interiori Spiritus sancti gratia, *C.* Nam eo ipso, quod Ioannes praemiserit : *Quod audistis ab initio, in vobis permaneat*, supponit fideles, quos alloquebatur, iam per externum magisterium fuisse edoctos, ut recte monet s. Augustinus (4). Ideo vero adiecit : eos necesse haud habere, ut aliquis ipsos doceret, ne hac occasione, et sub obtentu ulterioris instructionis deciperentur ab haereticis, qui iam ea aetate non paucos decipiebant; subdit siquidem Evangelista, concludens suam monitionem : *Haec scripsi vobis de his, qui seducunt vos* (5).

179. Ad 3. *N.* Christus enim, ut liquet ex orationis serie, a discipulis suis non doctoris munus, sed nominis ambitionem excludit et fastum pharisaeorum more. Alioquin apostolos non misisset ad docendum; Paulus non se doctorem gentium

(1) I. Cor. II, 15.

(2) Cf. Salmeronem *disput. in epist. divi Pauli*, tom. 15, disp. 17 in cap. 13, ep. ad Hebraeos ed. Colon. pag. 740, ubi totum hoc Hieremiae vaticinium docte exponit, confunditque haereticos eo abutentes.

(3) Cf. Salmeron. ibid. Post haec mirum est, vel ipsum Vinet in op. cit. *Essai* adhuc insistere his textibus ad suum subiiciendum systema de *convictione individuali*, seu spiritus privati.

(4) Tract. III in 1 epist. Ioannis, v. 11 — 13.

(5) V. 26. Praeclare Bellarminus ad hanc difficultatem solvendam hoc exemplo utitur : « Quomodo si catholicus aliquis scriberet catholicis, qui ab haereticis obsiderentur, et perturbarentur : Non necesse habetis, ut aliquis lutheranus aut calvinista doceat vos doctrinam Christi. Omnino enim, quae vos scire oporteat, iam didicistis, et tenetis ex praedicatione ecclesiae, adiuvante unctione Spiritus sancti, » lib. 3 *de verb. Dei*, cap. 10, a. 22.

nuncupasset (1), neque scripsisset, Christum dedisse *pastores et doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi* (2) seu ecclesiae suae (3).

180. Ad 4. *D.* Iudicio discretionis, *Tr.* vel *C.*; iudicio potestatis in fidei negotio, de quo agitur, *N.* Non aliud voluit apostolus in obiecto loco significare, quam solum spiritualem et perfectum posse de spiritualibus prudenter et cum cognitione causae rite decernere, ad discrimen hominis animalis, qui de his nihil intelligit, tanquam caecus, qui iudicare contenderet de colore. Idque ad propriam ceterorumque aedificationem, non autem quod se posset in iudicem erigere in controversiis fidei, ut haeretici contendunt. Qui praeterea in eo errant, quod, fideles omnes spirituales esse supponunt, dummodo sint protestantes, cum tamen exploratum sit, plures fideles carnales esse et animales (4). Ita vere est Scripturis abuti ad se ceterosque decipiendos.

181. II. Obi 1. Si ponatur intermedius Deum inter et hominem in iis, quae ad fidem pertinent, haec erit minus firma; 2. siquidem imminuitur eius certitudo eo ipso, quod hic intermedius, scilicet homo, minoris seu inferioris sit auctoritatis quam Dei auctoritas, a qua promanat; 3. minoris pariter est efficaciae, cum aliud sit inspicere solem in seipso, aliud vero per radios reflexos, qui minus lucent et ardent; 4. minus praeterea deceptioni obnoxius est, qui a Deo ipso immediate credendas veritates haurit, quam qui per alium; 5. satis enim est humani generis historiam evolvere, ut cuilibet pateat, quam multi et quam saepe integri populi turpiter decepti fuerint per falsas fictasque revelationes; 6. quod si nonnulli etiam decipiuntur, dum putant, se illustrari immediata revelatione aut inspiratione, nullum exinde iis provenit damnum, dum in bona fide versantur; 7. eo vel magis, quod eiusmodi deceptio ex orationis defectu repeti debeat ac debitae dispositionis, cum Christus omnibus pollicitus saepe sit, se daturum Spiritum bonum petentibus se (5). Ergo.

182. Resp. ad 1. *D.* Intermedius indiscriminatim sumptus, *C.*; electus a Deo una cum subsidiis omnibus, quae ad eiusmodi officium rite obeundum necessaria sunt, munitus, *N.* Deus profecto sapientissimus, cum ordinat media ad finem, optime novit haec idonea efficere, ita ut finis tuto obtineatur.

183. Ad 2. *D.* Homo, quo Deus tanquam intermedio utitur, minoris seu inferioris auctoritatis est quam Deus, in se, *C.*; prout est Dei instrumentum, *N.* Nam instrumentum a principali agente totam vim suam

(1) I. Tim. II, 7.

(2) Ephes. IV, 11, 12.

(3) Praeclare Augustinus adnotavit, illum proprie magistrum esse, qui doctrinam habet a se, nec eam ab alio mutuatur, cuiusmodi profecto exstitit Christus. Sic enim scribit *Retract.* lib. 1, cap. 12: « Per idem tempus scripsi librum, cuius est titulus *De magistro*, in quo disputatur et quaeritur et invenitur, magistrum non esse, nisi qui docet hominem scientiam, nisi Deum, secundum illud etiam, quod in Evangelio scriptum est: *Unus est magister vester, Christus.* »

(4) Cf. Estium in hunc loc. Quemadmodum olim gnostici se *spirituales* vocabant, catholicos vero *animales*, ita nunc protestantes se gerunt. Satis est quempiam esse haereticum aut protestantem, ut illico spiritualis evadat et ad iudicandum de omnibus idoneus, contra vero, quotquot catholici sunt, animales et spiritu destituti permanent. Optime quidem!

(5) Ita Monod in sua *Lucilla*, qui tamen nihil novi profert, et quod iam non fuerit a duobus saeculis a Bellarmino disiectum.

mutuatur; et Deus aeque potest efficaciter per se operari ac per instrumentum, cum quo et per quod operatur, ut per se patet.

184. Ad 3. *D.* Nisi Deus interiori luce et calore suppleret, *C.*; si suppleat, *N.* Dum homo Dei nomine exterius credendas veritates proponit, Deus praesto est auxilio suo interiori illustrationis et inspirationis, ut adaperiat cor audientium, eosque tali munit firmitate, ut nulla naturalis certitudo illius firmitatis gradui aequari possit; idque luculentissime constat ex innumeris prope martyribus, qui pro fide, quam nonnisi mediate acceperunt, inter horribilia supplicia occubuerunt. Assertores vero immediatae revelationis ne unum quidem martyrem hactenus inter suos recensere potuerunt.

185. Ad 4. *Neg.* Imo multo facilius deceptionis periculo obiiciuntur, qui immediatae revelationi aut illuminationi confidunt, quam qui mediate eam recipiunt. Nam illi destituti sunt credibilitatis motivis, quibus isti permoventur, ac facile sibi illudunt, aut illudi patiuntur. Historia anabaptistarum, mennonitarum, quakerorum, irvingianorum, adamitarum recentiorum, methodistarum, mormonum, aliorumque pene innumerorum fanaticorum indubium documentum est, quo ducat eiusmodi systema, ut taceam de sectis pietistarum, ceterorumque protestantium, quae exinde ortae sunt.

186. Ad 5. Qui imprudenter ac sine credibilitatis motivis fidem deceptoribus adiunxerunt, *C.*; qui his permoti sunt, *N.* Aeque enim imprudens est, qui cito credit, et qui credere detrectat, cum evidentia signa fidem adstruunt ac patefaciunt, vere Deum per suos legatos loqui aut esse locutum (1).

187. Ad 6. *D.* Si inculpate ita se gererent, *Tr.*; si ex propria culpa, neglecto scilicet, immo et reiecto ecclesiae magisterio, ut autonomi fiant sub immediatae divinae revelationis aut illuminationis obtentu, *N.* Iam vero isti omnes protestantes, qui pietistae, aut sentimentalistae passim audiunt, licet dulciter liquefieri in sua pietate videantur, superbiae tumore detinentur, et gravissimi habitualis peccati coram Deo rei sunt, cuius voluntati de se subiiciendis auctoritati et magisterio ecclesiae obsistunt, ut propriis indulgeant illusionibus. Protervi sunt, fidem omnem abiiciunt, seu fidei dogmata, ut totos se tradant sensuum commotionibus, ac turpiter hallucinantur, feminae praesertim (2).

188. Ad 7. *D.* Ex defectu etiam orationis, *C.*; solum, *N.* Nam praeter defectum debitae orationis decipiuntur eiusmodi sectarii ex defectu debitae humilitatis. Nunquam vero Christus aut eius apostoli superborum orationi quidpiam polliciti sunt. Tales porro sunt, quotquot per orationem suam defectionem ab ec-

(1) Cf. Milner, *Fin de la controverse religieuse*, lettre 6, *L'inspiration privée.* « Elle a entraîné une foule innombrable de chrétiens tant des temps anciens que des temps modernes, dans l'erreur, l'impiété et le vice; fanatiques modernes, anabaptistes, quakers, moraves, swedemborgiens, méthodistes, etc. » Vide etiam Grégoire *Histoire des sectes*, quibus plures alii addi possent.

(2) Cuius agendi ac sentiendi rationis inter ceteros nobis suppeditat luculentum exemplar celebris Madiai, quae in sua epistola ad propinquos data vere videtur pietate absorpta per has illusiones, interim protervam se ostendit adversus ecclesiam docentem. Haec femina ab Hetruria pulsa est, eo quod biblia corrupta disseminaret ad proselytismum faciendum inter catholicos. Hinc factum est, ut haeretici omnes incredulique eius patrocinium susciperent.

clesia ac independentiam obtegere satagunt, ut immediate Deum attingant, eiusque fulgenti lumine irradientur.

189. Ceterum in quocumque systemate semper intermedio aliquo opus est, scilicet aut Scriptura, aut doctore aliquo aut instructore ac duce, prout contingit ipsis protestantibus (1), nisi quod ipsi fallacibus ducibus se credunt, contra vero catholici ecclesiae infallibili, uti mox ostendemus.

PROPOSITIO IV.

Ad fidem catholicam praeter divinam revelationem necessaria est tanquam conditio propositio ecclesiae.

190. Praenotandum censeo ad enunciatae propositionis intelligentiam, duo concurrere ad obiectum fidei constituendum, ut credi possit et debeat; scilicet testificationem divinam, et eius applicationem, seu ut sufficienter proponatur. Primum est per se et formale in propositione fidei; secundum autem est tanquam conditio necessaria ex parte nostra. Huiusmodi porro applicatio haberi quidem posset sine propositione ecclesiae, si sermo esset de revelatione immediata et de fide mere theologica; sed si sermo sit de universa fide catholica, quae est ex revelatione mediata et debet esse in omnibus fidelibus una eademque, ad hanc, inquam, catholicam fidem, de qua nos in concreto loquimur, necessaria est, ut conditio, propositio ecclesiae; secus in concreto ipsum formale obiectum nutaret, quum eius deesset applicatio. Ut enim assensus, quem fidei obiecto materiali ob formale motivum auctoritatis Dei loquentis praebemus, sit firmus ac prudens, necesse est, ut nobis omnimoda certitudine constet, veritates, quae credendae nobis proponuntur, tanquam a Deo revelatae, easdem plane esse, quae a Deo revelatae perhibentur, nec unquam fuisse immutatas aut corruptas, sed in sua identitate iugiter permansisse; alioquin dubii haerere possemus, an id, quod credimus, vere fuerit a Deo revelatum, et quidem eo sensu, quo Deus id patefecit. Iam vero, certo id nobis constare non posse nisi per propositionem auctoritatis infallibilis, et eiusmodi auctoritatem solius esse ecclesiae, tum alias fusius ostendimus (2), tum vero hic et negative et positive paucis confirmamus.

191. Ac primo quidem negative: etenim talis esse auctoritas nequit Scriptura ipsa per se, neque ut est spiritu privato intellecta, neque prout est unicuique per Spiritum s. exposita; quae sunt tres hypotheses a protestantibus excogitatae.

Cum vero copiose de his paulo ante egerimus, ne iteremus, quae dicta sunt illic, nempe cap. II, propos. IV cum ageretur de obiecto materiali fidei, lectores ad eum locum remittimus.

192. Positive autem adstruitur: quia ecclesia sola est, cui Christus commisit praedicationem doctrinae suae in universo mundo, ac propterea eam communivit dotibus iis omnibus, quae necessario requiruntur, ne ipsa hoc in munere obeundo aut deficeret, aut decipi decipereque posset; alioquin enim fidem populorum in incerto consti-

(1) Hi solent substituere eos, quos vocant *expertos*, qua nominis mutatione ipsi autumant, se a catholicis differre, qui rudes instituunt in vera fide. Sed catholici docent fidem suae ecclesiae, dum illi *experti* doctrinam individualem tradunt.

(2) De hac ecclesiae dote egimus in tract. *De locis theol.* part. 1, cap. 4. art. 2. prop. 1.

tuisset, quod alienum est ab eius sapientia et bonitate. Huc referuntur Christi verba Petro dicta, cum super ipsum aedificaturum se veluti supra petram promisit ecclesiam suam: *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam;* item cum apostolis omnibus collective sumptis, ideoque ecclesiae universae missurum pollicitus est Spiritum veritatis, mansurum cum ipsa usque in aeternum (1); cum se iisdem adfuturum promisit docentibus *omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (2).

193. Huc pariter referuntur, quae scribit apostolus, sive cum vocat ecclesiam Dei vivi columnam et firmamentum veritatis (3), sive cum affirmat, quod Deus *dedit quosdam apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi; donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi* (4).

194. Quae quidem omnia, aliaque eiusmodi non pauca, nisi violenter contra suum genuinum sensum detorquere velimus, aperte ostendunt, per ecclesiam visibilem, indefectibilem atque perpetuam proponi debere veritates revelatas ac divina fide credendas. Item evincunt, propositionem hanc eam parere certitudinem, qua nulla maior excogitari possit, utpote quae ab ecclesia proveniat, quae, divino praesidio suffulta, nec decipi, nec decipere valeat, cum Dei nomine veritates ab eo revelatas credendas proponit; demum intelligitur, nullam aliam excogitari posse, quae illius defectum, ipsa abiecta, supplere queat.

195. Constanter autem diximus, necessariam esse propositionem ecclesiae, non autem expressam definitionem; sufficiens propositio siquidem ecclesiae diversimode haberi potest, iuxta ea, quae nuper animadvertimus, praeter expressam definitionem: nam haberi potest per eius practicum magisterium, per usum liturgicum, per catechismum, per generalem sensum patefactum in praxi quotidiana, per magis minusve explicitam declarationem aliaque eiusmodi. Quo fit, ut cum aliqui novatores insurgunt adversus sufficientem huiuscemodi propositionem, etiam antequam solemniter, quod in controversiam ab ipsis revocatur aut negatur, ecclesia definierit, illico haeretici ab omnibus conclamentur, ut factum est quoad Arium, Nestorium, Lutherum aliosque haeresiarchas.

Difficultates.

196. I. Obi. adversus probationes negativas: passim in sacris litteris Dei verbum ceu unicum credendorum motivum, illudque sufficiens exhibetur: sic ex gr. Ps. CXVIII, 105 legitur: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis;* et Isai. VIII, 20: *Ad legem magis et ad testimonium*, dicitur, non ad ecclesiam. In novo autem foedere Matth. IV, Christus perhibetur vicisse diaboli tentationes tribus apertis Scripturarum testimoniis, illa celebri formula: Scriptum est; quo exemplo suo nos docuit, quid agere in similibus casibus debeamus. Luc. XVI respondet Abraham diviti epuloni: *Habent Moysen et prophetas, audiant illos;* ac Sadducaeis Matth. XXII dixit Christus: *Erratis, nescientes Scripturas neque virtutem Dei;*

(1) Io. XIV, 16, 17.
(2) Matth. ult.
(3) 1. Tim. III, 15.
(4) Ephes. IV, 11, 12.

et in Actis apostolicis laudantur Beroeenses, *quotidie scrutantes Scripturas, si haec ita se haberent.* Act. XVII, 11. Ceterisque omissis, apostolus II, Tim. III, 16, absque ambagibus declarat, quod *omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia.*

Iam vero si Scriptura lucerna et lumen est, si ad ipsam provocatur, si ea refellitur, diabolus ipse, si Scriptura sufficit ad credendum, si error impiorum ex ignorantia Scripturarum promanat, si commendantur, qui eas scrutantur, si denique Scriptura utilis est ad docendum et ad arguendum: ecquis adhuc negaverit, eam esse sui interpretem, adeo ut ipsi fidere non debeamus (1)?

197. Resp. vel *Neg. ant.* vel *D.*; sub ecclesiae magisterio, *C.*; ad eius exclusionem, *N.*; alioquin nullae unquam sectae ortae fuissent, nullae in fide controversiae. Mirum sane est, post trium saeculorum luctuosum et constans experimentum adhuc protestantes insistere in eiusmodi naeniis ac strophis. Nemo catholicorum inficiatur Scripturarum utilitatem, vim atque praestantiam. Ast iure negant, per se solas eas valere ad fidei evidentiam ac certitudinem, quae ad fidem necessaria est, praebendam, ob incertum earum sensum et intelligentiam. Inserviunt Scripturae aedificationi sanctitatique comparandae, si pio sensu legantur, non autem ad singula fidei dogmata omni certitudine adstruenda, praesertim si in controversiam vocentur. Cum vero ad casus singulos revocantur protestantes, illico ipsis aqua haeret, et scinduntur. Ceterum pleraque adducta testimonia ad rem praesentem non faciunt.

198. Sane lex lucerna dicitur et est ad bene vivendum, non autem Scriptura universa ad fidei dogmata adstruenda, ita ut lis omnis dirimatur; protestantium agendi ratio evidenter id ostendit.

199. Item ad legem et testimonium revocantur Hebraei ad exclusionem divinorum incantatorum et pythonum, ut ostendit contextus (2).

200. Nec favet protestantibus, quod legitur apud Matthaeum de repulsione diaboli per tria Scripturarum testimonia; nec enim agebatur de fide adstruenda, sed de tentatione repellenda, quod utique fideles omnes pari modo praestare possunt. Addatur, diabolum haereticorum more abusum pariter esse Scriptura ad tentationem ingerendam per formulam: Scriptum est, idque praestitit per textum corruptum (3).

201. Abraham dixit epuloni: *Au-*

(1) Ita vulgaris Monod, qui proselytarum more non repetit, nisi quae protestantes cuiusvis aetatis et coloris effutierunt, licet millies catholici scriptores haec omnia protriverint. Sed, ut alias monuimus, protestantes, progressus praecones, sunt *stereotypi*, nec unquam progrediuntur.

(2) Sic enim se habet contextus: « Et cum dixerint ad vos: Quaerite a pythonibus et a divinis, qui strident in incantationibus suis; numquid non populus a Deo suo requiret pro vivis a mortuis? Ad legem magis et ad testimonium. » Nempe quidam in angustiis, quibus versabantur ob obsidionem duorum regum, consulebant, ut de exitu sciscitarentur pythones et divinos; quibus propheta edicit, a Deo quaerendam esse veritatem, a lege ac testimonio. Quid vero hoc commune habet cum fidei articulis? Cf. Sanctium in hunc loc.

(3) Verus sensus Psalmistae patet ex verbis sequentibus: *Ut custodiant te in omnibus viis tuis*; diabolus autem contentus fuit priora verba adducere: *In manibus tollent te*, suppressis posterioribus, quae sibi adversantur. Cf. Maldonat.

dicunt illos, idest: ipsis credant, non vero eos legant aut interpretentur dogmatice.

202. Sadducaei errabant, non eo, quod non legerent Scripturas, sed quod eas nescirent, seu non intelligerent (1), prout neque eas intelligunt haeretici dum privato eas sensu contra ecclesiae magisterium exponunt, uti Chrysostomus iam annotaverat (2).

203. Beroeenses, nondum fideles, scrutabantur Scripturas, exhibentes motiva credibilitatis in prophetiis eventu comprobatis, non vero, ut decernerent in rebus fidei.

204. Sic omnis Scriptura utilis est ad ea quatuor enumerata praestanda episcopis et ecclesiae pastoribus, quibus illa munera demandata sunt, non autem fidelibus singulis, qui fidem et instructionem a suis praepositis percipere debent.

Et en, qua facilitate machina illa dissolvatur, quam tanto apparatu ad sua paradoxa persuadenda haeretici protestantes nobis opponunt.

205. I. Instant 1° Nonne privato suae rationis usu fideles ea, quae ipsis ab ecclesia credenda proponuntur, percipiunt et iudicant; quidni igitur praestare id possent legendo Scripturas? 2° Plura praeterea praesto sunt adminicula, quibus id rite assequantur, parallelismus verbalis et realis, seu collatio textuum inter se, usus lŏquendi, canones exegetici, aliaque eiusmodi; 3° testante praesertim s. Augustino: *Nihil fere de illis obscuritatibus erui, quod non planissime dictum alibi reperiatur* (3). 4° Accedit, quod Scripturarum stylus admodum clarus sit omniumque captui accommodatus in iis, quae ad salutem sunt necessaria (4).

206. Resp. ad 1. *Neg.* paritatem; quae enim fideles ab ecclesia seu ecclesiae pastoribus percipiunt, iam sunt enucleata ac determinata appositis formulis; contra vero, quae in Scripturis habentur, ut plurimum sunt adhuc enucleanda ac determinanda, obscure dicta, ideoque per uniuscuiusque rationem illa accipi quidem possunt (non iudicari), sed non sine ingenti erroris formidine imo et deceptionis, uti experientia demonstrat.

207. Ad 2. *D.* Quae sufficiant privatae et scientificae exegesi seu commentario, *Tr.* Ad decernendum de fide, *N.* Siquidem, si protestantes audiamus, nulli praestantiores quam ipsi habentur in persequendis adminiculis recensitis, attamen quotidie magis inter se scinduntur per novas sectas, illis adminiculis non obstantibus.

208. Ad 3. *D.* Testatur s. Augustinus, nihil fere, *C.*; absolute, *N.* Haec fuits. Augustini mens eo loco, quod nihil fere eorum, quae per similitudines et figuras in Scripturis

(1) Apposite Maldonatus in hunc loc. « Videtur Christus (inquit) Calvinistis plane respondere, qui iisdem duabus de causis errare solent, quod neque Scripturas intelligant, quarum cognitione maxime gloriantur, et quod fidei christianae dogmata non Dei virtute, sed ingenio suo metiantur. Lectitant illi Scripturas, et quo melius intelligant, patrio sermone lectitant, nosque graviter accusant, quod eas nec ab omnibus, nec vulgari lingua legi permittamus; sed non propterea melius intelligunt, quia extra ecclesiam legi quidem possunt, intelligi non possunt. Quomodo enim eunuchus ille reginae Candacis, homo profanus, Isaiam legens intellexisset, nisi illi Philippus, ecclesiae doctor, sensum explicasset? Quasi vero Sadducaei non vulgari etiam lingua et diligentius, quam Calvinistae, Scripturam lectitarent: haeretici tamen, sicut calvinistae erant.

(2) Hom. LXX in Matth. n. 2.

(3) Lib. 2 *de Doctr. christ.* c. 6.

(4) Ita Monod in *Lucilla* ed. 2. itala, p. 214. Quae iampridem omnia dissoluta reperiuntur apud Bellarminum lib. 3 cit. *De verbi Dei interpretatione.*

dicta sunt, alibi illa ipsa absque similitudinum figurarumque involucro dicantur, ut patet ab exemplo, quod profert ex Canticis canticorum ad caritatem commendandam, de qua caritate gemina in Deum et in proximum alibi aperte disseritur (1). Ceterum hoc ipso in loco totus est sanctus Doctor, ut obscuritatem sacrarum scripturarum ac legentium pericula urgeat (2).

209. Ad 4. *Neg.* Si adeo enim apertus est, clarus omniumque captui accommodatus Scripturarum stylus, quî factum est, ut protestantes doctiores adeo dissenserint ac porro dissentiant inter se in iis etiam, quae maxime ad salutem sunt necessaria, cuiusmodi habentur sacramenta, Christi divinitas, originalis peccati propagatio, incarnatio Dominica aliaque id genus plura, quae tamen a protestantibus negantur, aut in dubium revocantur? Relinquenda sunt protestantibus verba, ac revocandi constanter sunt ad facta longe eloquentiora.

210. II. Inst. 1° Esto, nonnullos biblicos textus identidem obscuros inveniri; ast, ut loquitur apostolus, *Quod si etiam opertum est evangelium nostrum, in iis qui pereunt, est opertum, in quibus Deus huius saeculi (diabolus) excaecavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio evangelii gloriae Christi* (3); ideoque impiis et infidelibus Scriptura difficilis intellectu est, non autem piis seu recte dispositis; 2° hi enim habent in semetipsis Spiritum sanctum, toties omnibus promissum, qui eos intus illuminat, atque ad verum sensum assequendum ducit, iuxta illud Isaiae LIV, 13: *Et ponam... universos filios tuos doctos a Domino*, 3° et luculentius Christus ipse: *Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis* (4), et alibi passim: 4° hic solus, nulla vero exterior auctoritas est, qui verum Dei in Scripturis loquentis sensum praebere possit, prout apostolus illis verbis declarat: *Quis enim hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita et, quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quae a Deo donata sunt nobis* (5). Ergo.

211. Resp. ad 1. *D.* Et loquitur apostolus in obiecto loco de praedicatione evangelica, quam reprobi, suis cupiditatibus excaecati, voluntarie reiiciunt, *C.*; loquitur de Scriptura, seu de Evangelii libro scripto aut non scripto, *N.* Dat enim apostolus rationem, quare, non obstante adeo manifesta evangelica praedicatione, plures nihilominus in Christum non crederent, neque alludit quidem vel remotissime ad claritatem vel obscuritatem Scripturarum (6). Verum quod magis risu dignum est, haereticorum est praesumptio, quod ipsi soli pii ac recte dispositi haberi velint.

212. Ad 2. *D.* Doctos a Domino per interius gratiae auxilium, quod

(1) Adduxit ad duplicem hunc amorem commendandum s. Doctor illud Cantici canticorum: *Dentes tui sicut grex tonsarum*, etc.

(2) Sic enim hoc caput s. Augustinus orditur: « Sed multis et multiplicibus obscuritatibus et ambiguitatibus decipiuntur, qui temere legunt, aliud pro alio sentientes... ita obscure quaedam dicta densissimam caliginem obducunt.

(3) II. Cor. IV, 3, 4.

(4) Io. XIV, 26.

(5) I. Cor. II, 10 — 12. Et haec rursus Monod refricans, quae a Luthero et Calvino obiecta fuerunt catholicis tribus abhinc saeculis, ipse vero ut novissima inventa profert.

(6) Cf. Estium in hunc loc.

evangelicam praedicationem comitatur, *C.*; ad exclusionem externi ecclesiae magisterii, *N.* Hanc expositionem praebuit Christus ipse Io. VI, 44, 45 dicens: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum... Est scriptum in prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audivit a Patre meo, et didicit, venit ad me,* nempe nemo, qui verba solum extrinsecus sonantia audiverit, credet, sed ii, quorum cor per gratiam suam tetigerit Deus, eique dociles se praebuerint (1). Alioquin frustra misisset Christus apostolos suos ad docendas omnes gentes.

213. Ad 3. eadem esto distinctio, atque responsio, praeterquam quod verba, quae obiiciuntur, directa a Christo fuerint ad apostolos collective sumptos, seu ad ecclesiam docentem.

214. Ad 4. *D.* In sensu exposito, *C.*; secus, *N.* Ad textum vero apostoli reponimus, eius mentem esse, ut patet ex orationis serie, doctrinam, quam corinthiis praedicaverat a solo Deo, seu a Spiritus sancti revelatione se accepisse, quia ipse solus, utpote essentia Deus, potest scire, quae Dei sunt, ad eum modum, quo spiritus uniuscuiusque hominis potest cognoscere intima sua. Opponit autem hanc divinam scientiam de Christi mysteriis scientiae saeculari et humanae. Quid porro hoc commune habet cum protestantium commento de interpretatione Scripturarum ad ecclesiae exclusionem? A quonam ecclesia mutuata est doctrinam suam nisi a Spiritu sancto, seu a Deo, eius doctore (2)?

215. II. Obi. adversus probationes positivas: 1° contradictionem involvit, quod debeant ab ecclesia fidei obiecta credenda proponi; siquidem, nisi prius assumatur, ecclesiam existere, illam itidem infallibilem esse, unicam atque perpetuam, nequit ipsa certitudinem parere propositione sua; 2° iamvero haec omnia a priori ostendi non possunt, sed neque a posteriori seu per Scripturam, cuius divinitas, integritas, genuinus sensus, ecclesia non supposita, in controversiam veniunt. 3° Quod si haec omnia auctoritate seu propositione ecclesiae adstruantur, en nos in circulum vitiosum coniectos, quo probatur ecclesia per Scripturam, Scriptura vero per ecclesiam. 4° Ad summum testimonia, quae afferri consueverunt ad has ecclesiae praerogativas vindicandas, maiorem minoremve probabilitatem gignunt, eo ipso quod variam patiantur interpretationem textus, quibus illae innituntur. Porro simplex probabilitas certitudinem fundare non potest, quae ad fidem omnino necessaria est. Ergo.

216. Resp. ad 1. *Neg.* Immo vero propositio ecclesiae unica est ratio, qua contradictio declinari possit, ut patet ex iis, quae adversus protestantes disseruimus (3).

(1) Praeclare horum verborum sensum exponit Card. Toletus in suo Commentario in Evangelium Ioannis, scribens: « Dicit Dominus his verbis, omne exterius magisterium non sufficere ad credendum, nisi interius Deus illuminet et moveat cor ad credendum, iuxta illud I. Cor. III: « Neque, qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed, qui incrementum dat, Deus. » Ephes. I: « Deus, D. N. I. C. Pater gloriae det vobis spiritum sapientiae et revelationis, in agnitione eius; illuminatos oculos cordis vestri. » In eandem expositionem conveniunt ceteri interpretes omnes, Sanctius, Cornelius a Lapide, Maldonatus, aliique.

(2) Cf. interpretes, Bernardinum a Piconio aliosque passim, qui idcirco carpunt haereticos autumantes, ex adductis verbis colligere suam certitudinem de propria fide, iustificatione, electione, etc.

(3) In tract. *De locis theolog.* 1. cap. 4, art. 2, item *de vera relig.* part. 2, prop. 1 et 2.

217. Ad probationem autem quod attinet, nos ultro admittimus, imo contendimus, haud posse ecclesiam propositione sua illam parere certitudinem, quae ad fidem requiritur, nisi prius eiusdem existentia, unitas, infallibilitas ac perpetuitas supponantur aut assumantur, ac nos revera et assumimus et demonstramus.

218. Ad 2. Negamus falsam adversariorum suppositionem, dum autumant, nos ostendere recensita, scilicet Scripturae divinitatem ceteraque omnia, sive a priori sive a posteriori per argumenta intrinseca aut probationes ex Scriptura desumptas, aut ecclesiam eiusque proprietates ac dotes ex iisdem fontibus adstruere. Siquidem neutrum praestamus, sed per argumenta extrinseca, nempe per motiva credibilitatis, id efficimus. En processum nostrum: ecclesiam seu societatem christianam a Iesu salvatore nostro institutam esse, est factum per se luculentissimum, quod eisdem argumentis ac probationibus adstruitur, quibus quodcumque humanum factum historicum comprobatur ex. gr. existentia imperii romani. Haec porro ipsa societas christiana, seu ecclesia, quae a Christo originem habet, sese mundo obtulit tanquam divinitus missam ad hominum salutem praedicatione sua procurandam. Ut finem obtineret, seipsam miraculorum dono instructam prodidit, et praedictionum, quae eventu comprobantur, edendarum praeditam facultate, nec non sanctitate doctrinae, aliisque praeclarissimis donis munitam se exhibuit. Hisce brevi perculsa, illico multitudo ingens aures ei praebuit, et cooptata est in eiusdem sinum, edocta de omnibus, quae scitu necessaria erant, et primum de ecclesiae ipsius divina existentia deque eius unitate, infallibilitate, perpetuitate ceterisque dotibus, quibus a Deo instructa fuerat; et ex eius auctoritate ac magisterio didicerunt fideles, quinam fuerint libri a Deo inspirati, quinam genuinus illorum sensus, aliaque eiusmodi. Primis fidelibus alii temporis progressu iugiter adiecti sunt, et ita porro usque ad nos sine interruptione, sub magisterio apostolorum eorumque successorum, qui ab apostolis sacerdotio in triplici suo gradu delecti seu constituti sunt ad eandem fidem custodiendam et propagandam in subsequentes aetates (1).

(1) Ut pateat, interdum etiam graviores protestantes, qui nempe apud suos doctrinae ac moderationis laude excellunt, ignorare plane, quae ad ecclesiae constitutionem spectant, satis sit appellare ad celebrem Guizot, qui in sua *Histoire de la civilisation en Europe*, Paris, 1861, lect. 2, pag. 45, scripsit: « A la fin du IV, et au commencement du V siècle, le Christianisme n'était plus une croyance individuelle, c'était une institution; il s'était constitué, il avait son gouvernement, un clergé, une hierarchie déterminée pour les différentes fonctions du clergé, etc. » Verum sic merito eum perstringit cl. Martinet *Solut. de grands problèmes*, tom. 2, chap. 22 in nota: « Il est fort à regretter qu'en 1828 le célèbre professeur n'eût pas lu le Nouveau Testament: en ouvrant ce livre, qui était à consulter sur l'organisation primitive de la société chrétienne, il y aurait très-certainement vu, que dans les premiers temps tout à fait dans les premiers temps, il y avait des évêques, établis par l'Esprit-Saint pour gouverner l'église, des prêtres établis par les Apôtres, pour présider, des diacres adjoints par eux aux prêtres et aux évêques. Il aurait vu partout ce que les Apôtres (en particulier saint Paul dans ses lettres à Timothée et à Tite) disent aux évêques et aux fidèles sur leurs rapports réciproques, que l'attitude des premiers à l'égard des seconds était tout aussi indépendante et impérative, qu'elle l'a été depuis. En joignant à ces données celles qu'il aurait facilement trouvées dans les écrivains ecclésiastiques des premiers temps, tels que

219. Igitur per eadem credibilitatis motiva, quibus christiani primitus ac deinceps effecti sunt, per eadem facti sunt catholicae ecclesiae filii, quotquot crediderunt. Crediderunt autem omnes per propositionem ecclesiae omnia fidei mysteria, prout et nos nunc credimus, ac redituri sunt in posterum veri fideles omnes omnimoda certitudine.

220. Ad 3. *Neg.* Nam ex dictis nos minime probamus ecclesiam per scripturas, sed e contra probamus Scripturas divinas per ecclesiam, iuxta celebre s. Augustini effatum: *Ego vero evangelio non crederem, nisi me catholicae ecclesiae commoveret auctoritas* (1); adeoque hunc circulum vitiosum restituimus protestantibus, a quibus excogitatus est: ius unicuique suum. Ecclesiam autem probamus ex ipso facto suae existentiae et per motiva credibilitatis, quae maius in dies singulos robur acquirunt per temporis lapsum, cuiusmodi sunt eius propagatio, eiusque inter tot inferorum ac impiorum hominum adversus se perpetuas conspirationes perduratio, nec non martyrum ingens numerus et fortitudo, aliaque eiusmodi non pauca (2), quae evidenter eam credibilem faciunt.

221. Quod si magis arrideat dicere, nobis per argumenta historica, sin minus omnium, plurium saltem sacrorum librorum veritatem constare, ac proinde certos nos fieri de revelatione, quam continent; circuli vitiosi evanescit pariter difficultas. Scripturarum siquidem veritate veracitateque historice constituta, per easdem ecclesiae institutio divina et auctoritas legitime et sine circulo constituitur. Hac porro probatione posita, ecclesia de canone, de inspiratione universali, de sensu Scripturae nos certos reddet etiam sine circulo.

222. Ad 4. *D.* Si huic privatae ac scientificae Scripturarum interpretationi inniteretur certitudo, de qua agimus, *C.*; si testimonio authentico ecclesiae, *N.* Aliud est loqui de scientia, aliud de certitudine fidei; recte theologi omnibus scientiae adminiculis utuntur ad suas theses evincendas, et ad haereticos impugnandos; verumtamen, non his demonstrationibus innixi, sed propositione ecclesiae permoti, credimus, sicut cetera fidei nostrae mysteria, sic etiam praerogativas omnes et dotes, quibus ipsa a fundatore suo Christo se ornatam esse testatur.

223. Ac propterea, quod consequens est, ad formale fidei obiectum in concreto constituendum atque applicandum, necessaria omnino est ecclesiae propositio, tanquam conditio, sine qua nunquam veram fidem in singulis articulis habere possemus.

PROPOSITIO V.

Obiectum formale fidei in concreto spectatum talis est certitudinis, ut ei falsum subesse nullo modo possit.

224. Illud certum dicitur, cuius veritas adeo explorata est, ut ei denegari assensus rationabiliter non possit. Certitudo vero potest esse aut intrinseca, aut extrinseca: in-

saint Clément Pape, saint Ignace, et saint Polycarpe dans leurs lettres, Hermas dans le livre *Du Pasteur, etc. etc.* M. Guizot se serait fait une juste idée de la constitution primitive de l'Eglise, et il se serait épargné la fable absurde et ridicule de cette Eglise passant de l'état de pure association à l'état de démocratie presbytérienne, de cette démocratie à l'aristocratie épiscopale, de celle-ci à la monarchie pontificale.

(1) Cont. *epist. Fundamenti*, c. 4.

(2) Cf. tract. *de vera Religione*, part. 1, cap. 3, de existentia revelationis divinae, ubi motiva haec singillatim adstruximus et evolvimus.

trinseca est, quae oritur a claritate, qua veritas aliqua fulget, seu ab evidentia, qua ita percellit intellectum, ut is ab ea veluti rapiatur; extrinseca, qua nudam cognitionem de veritatis, ut aiunt, existentia ex auctoritate, seu aliorum testimonio acquirimus.

225. Certitudo, quam heic adstruimus, veritatum fidei catholicae profecto non est intrinseca, qualem nempe parit evidentia, seu qua ratio earum essentiam videat et connexionem ostendat. Eiusmodi enim certitudo, eo ipso quod ex evidentia et scientia oriatur, fidem ipsam excluderet, quae ex sui notione uti in prop. II. ostendimus, involvit obscuritatem.

226. Igitur certitudo, quam fidei vindicamus, est extrinseca: hac vero certitudine pollere obiectum formale fidei in concreto spectatum, facile patet. In concreto, inquam: etenim obiectum formale fidei quandoque abstracte tantum spectatur, scilicet veritas prima, et tunc idem sonat ac motivum formale et ultimum fidei: quandoque vero obiectum formale fidei spectatur in concreto, et tunc complectitur tum motivum ultimum fidei in se, tum etiam eius applicationem concretam et proxima motiva quoad nos. Quae quidem sunt argumenta credibilitatis, quae ad credendum inducunt, divinam revelationem esse factam, eamque in christiana religione contineri, ac ecclesiae magisterium, quo docemur, eas, quas credimus veritates, esse divinitus revelatas. Atqui tria haec singula motiva sunt indubia, ac praeter omnem dubitationis aleam certissima.

227. Sane, ut a primo exordiamur, quid certius, Deum nec decipi nec decipere posse? Esset enim vel ipsam Dei ideam destruere, ubi semel finxeris, posse Deum a veritate aut veracitate excidere. Sic etiam secundo, revelationem esse factam, eamque in christiana religione contineri, tot tamque conspicua et evidentia argumenta demonstrant, ut in meridiana luce caecutire oporteat, qui id inficiari velit. Tertio demum infallibile esse ecclesiae magisterium, praeter disertissima Scripturarum testimonia perpetuam constantemque christianorum traditionem, luculenter evincit ipsa christianae ecclesiae institutio, cui eadem adstipulantur credibilitatis motiva, quae, divinam factam esse revelationem, patefaciunt, iuxta analysin, quam in praecedenti propositione instituimus (1). Nulla ergo ex parte fieri potest, ut error fidei subrepat: quae ergo fide credenda proponuntur, sunt citra omne errandi periculum certissima.

228. Haec omnia confirmantur tum ex Scriptura, tum ex Patribus. Nam Ps. xcii, 5 dicitur: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis;* ac I. Io. i, 2: *Vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem, et apparuit nobis.* Ex patribus vero commemoramus s. Io. Chrysostomum, qui scribens de credibilitatis signis haec habet: *Nullus his contradixerit, nisi quis valde insanus et totus stupidus sit* (2); item s. Augustinum sic

(1) Cf. si lubet, nostram dissertat. italico idiomate conscriptam: *Della denominazione che la Chiesa cattolica dà alle comunioni da lei divise, di eretiche e di scismatiche* inter opuscula theologica, Milano 1858, vol. 1, part. 2, adversus pseudoepiscopum dubliniensem anglicanum Wathcley, et in appendice ad doctorem Stanley Faber Anglican.

(2) In orat. *Quod Christus sit Deus*, opp. ed. Nivelli; Paris, 1581, tom. 5, pag. 1109. In editione vero Montfauconii, tom. 1, pag. 579, haec eadem sic efferuntur:

perstringentem Manichaeos ex iisdem signis: *Quid ad haec respondetis, insani? Nempe ista manifesta sunt: nempe omnes, non dico calumnias contradictionis, sed etiam nebulas dubitationis expellunt* (1); cum quibus ceteri uno consensu conveniunt. Hinc merito s. Thomas, *Non enim crederet*, inquit, *nisi videret, ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid eiusmodi* (2), et iterum: *Quod intellectus convincatur, ut iudicet, esse credendum, quamvis non convincatur per evidentiam rei, idest, veritatis credendae, seu per evidentiam intrinsecam, sed per evidentiam extrinsecam* (3).

229. Ex his nonnulla iam colligimus corollaria, ac I. quod recte dicantur christianae religionis mysteria et dogmata, quamvis non evidentia, esse tamen evidenter credibilia, ac proinde evidenter vera; non evidentia quidem, cum sint in se obscura ac humanae menti impervia; evidenter autem credibilia quia evidenter constat, esse divinitus revelata. Certitudo autem, quam ex eiusmodi extrinseca evidentia acquirimus, geometricam quamcumque et mathematicam certitudinem adaequat, eo quod in intrinsecam resolvatur. Tam enim certum est, Deum esse trinum in personis, quam certum est, Deum nec decipi, nec decipere posse, ideoque idem non posse simul esse et non esse. Qua de causa diximus, quod, si obiecta fidei sunt evidenter credibilia, sint pariter evidenter vera.

230. II. Colligimus, fidem theologicam esse non posse sine firmissimo mentis assensu, qui omnem dubitationem excludat. Siquidem, ut certissima sunt nec ulli falsitatis periculo obnoxia, quae per eam credenda proponuntur, ita firmissimus et inconcussus sit oportet assensus, quo mens iisdem assentitur.

231. III. Colligimus, voluntarium quodcumque circa res fidei dubium absque gravi culpa esse non posse, immo fidei ipsius iacturam inducere. Nam voluntarium dubium non potest consistere cum ea assensus firmitate, quae fidei essentialis est. Hinc merito ab Innocentio XI proscripta est propositio, quae est n. XXI: *Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, immo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus* (4).

Difficultates.

232. Omittimus difficultates, a veteribus haereticis excogitatas ad evincendum, Deum sive per se, sive per alium decipere potuisse, utpote iamdiu obsoletas, atque perperam nonnullis Scripturarum locis suffultas, quae sensu negativo de permissione intelligenda sunt. Itaque hisce omissis, ne tempus frustra teramus in iis refellendis, quae vel rationi ipsi ac communi hominum sensui adversantur (5), alias difficultates ita persequimur.

« Nemo his contradixerit, nisi admodum insaniat, ac mente captus sit.

(1) Lib. 12 *cont. Faust.*, c. 43.

(2) II, 2, q. 1. art. 4 ad 2.

(3) Ib. q. 5, art. 2. Ita se habet contextus Angelici: « Intellectus convincitur ad hoc, quod iudicet, esse credendum his, quae dicuntur, licet non convincatur per evidentiam rei; sicut, si aliquis propheta praenuntiaret in sermone Domini aliquid futurum, et adhiberet signum, mortuum suscitando, ex hoc signo convinceretur intellectus videntis, et cognosceret manifeste, hoc dici a Deo, qui non mentitur, licet illud futurum, quod praedicitur, in se evidens non esset. »

(4) In quam propos. cf. Viva *Thes. damnat. theologica trutina*, tom. 1, part. 2.

(5) Copiose hoc de argumento egit Suarezius *De fide*, disp. 3, sect. 5.

233 I. Obi. 1° Eiusmodi certitudo omnimoda seu evidentia credibilitatis aut non datur, aut, si datur, non est omnibus accommodata: 2° non datur, cum de motivis singulis dubitari possit, ex. gr. de veritate miraculorum et vaticiniorum, de martyrum fortitudine, utrum a naturali causa provenerit, aut a supernaturali, perinde ac de ecclesiae dilatatione ac perduratione, aliisque eiusmodi; 3° praesertim cum aut omnia, aut pleraque eiusmodi signa seu motiva communia sint infidelibus et haereticis; 4° quia si reipsa daretur, tolleret libertatem assensus, cum intellectus ab evidentia ad assentiendum cogatur; 5° adeoque tolleretur et meritum, quod cum necessitate consistere nequit: 6° omnes crederent, quod tamen est contra experientiam tot incredulorum et haereticorum et infidelium, qui maiorem generis humani partem constituunt. 7° Sed praeterea, data etiam hac evidentia, non est omnibus accommodata: nam pueri ac rudes adulti infideles incapaces sunt eiusmodi evidentiae, quam non percipiunt: 8° illi igitur omnes crederent sine certitudine et evidentia, nisi velimus, praedicatores omnes debere coram infidelibus nova edere miracula, quod nemo dicet. Ergo.

234. Resp. ad 1. *Neg.* antecedens quoad utrumque membrum.

235. Ad 2. seu ad 1. prob. *D.* Dubitari potest de motivis singulis seorsum sumptis, *Tr.*; simul sumptis, prout militant pro divina revelatione, *N.* Esto enim, quod aliquod ex tot credibilitatis motivis singillatim spectatum illam non pariat certitudinem seu evidentiam, quae inducat ad credendum; attamen tanta illorum vis est, si simul spectentur, ut sanae mentis homini assensum extorqueant, si rite, ut par est, ea perpendat. Atque ut ad singula deveniamus.

236. Fieri utique potest, tum ut de aliquo miraculo in particulari dubitari possit, cum vel confundamus verum cum falso miraculo, quod a daemone aut praestigiatore patratum sit, et ita porro. Verum si consideretur miraculum et in sua natura (1) et in omnibus suis adiunctis (2), si praesertim plura eiusdem generis facta ad eundem finem conspirent, et alterum alterum suffulciat; impossibilis est deceptio. Talia autem sunt, quae adstipulantur christianae revelationi. Quod dictum est de miraculis, pari iure dicendum de vaticiniis.

237. Sic etiam, quod unus vel alter martyr occumbat pro falsa religione, potest contingere. Ast si martyrium in concreto spectetur, ratione habita tum motivi, tum modi, tum animi dispositionis, tum personarum, ac demum constantiae atque ingentis multitudinis quovis tempore, fructus, prodigiorum, quae identidem martyria comitata sunt, fieri nequit, ut cum furore temporaneo nonnullorum fanaticorum permisceatur, et non exhibeat illustre testimonium divinae revelationis (3).

238. Idem dic de ecclesiae dilatatione ac perduratione, quae intelligi debent non de materiali tantum, sed de formali, expensis accurate mediis, obstaculis, doctrina impervia quoad intelligentiam et cupiditatibus omnibus adversa quoad voluntatem,

(1) Cuiusmodi essent miracula, quae primae classis dicuntur, ut extincti resurrectio, multiplicatio alicuius rei, ac similia.

(2) Habita ratione patrantis, finis propter quem editur miraculum, virtutis, ad quam promovet, coram quibus patratur, aliisque eiusmodi spectatis.

(3) Cf. tractatum *De vera relig.* part. 1, cap. 4, prop. 5.

conspiratione omnium gentium infidelium ab initio, deinceps vero omnium et infidelium et haereticorum et schismaticorum et apostatarum sive apertorum sive occultorum, omnium sectariorum, omnium pene gubernio-rum, uti nunc fere contingit, quae omni ratione haereticis, seu protestantibus favent atque adblandiuntur, ut catholicos ubique locorum deprimant et insectentur ; attamen ecclesia iugiter et dilatatur et victrix semper perdurat (1). Hoc profecto mirandum spectaculum et credibilitatis argumentum nulla antichristiana et anticatholica secta praebet aut praebuit unquam, aut praebere poterit (2).

239. Iamvero, si tum haec, tum permulta simul coniungantur, eam vim illudque robur acquirunt ad patefaciendam divinae revelationis veritatem, ut scepticus sit oporteat, qui ei adhuc obsisteret (3).

240. Ad 3. *Neg.* Non modo omnia aut pleraque eiusmodi signa communia non sunt infidelibus et haereticis, sed isti ne unum quidem habent, aut sibi vindicant, et hac de causa instar vulpis, uvam attingere non valentis, ea spernunt et irrident; omnia naturalia immo carnalia sunt, quae favent haereticis et infidelibus, qui nonnisi terrena sapiunt, nec super terram se erigunt.

241. Ad 4. vel *N.* vel *D.* Si ageretur de evidentia intrinseca seu de evidentia rei, haec tolleret libertatem assensus, *Tr.*; si de evidentia credibilitatis ac proinde extrinseca, *N.* Haud dubie necessario intellectus adhaeret veritati evidenter cognitae; non ita vero, cum agitur de evidentia solum credibilitatis, quae relinquit veritatem in sua obscuritate. Hoc in casu potest voluntas totam suam exercere libertatem, nempe potest aut applicare intellectum ad considerationem eorundem motivorum, aut ab hac consideratione eum avertere ; potest cohibere consensum, aut etiam illum denegare ; potest se alio distrahere, una potius quam alia ratione eadem motiva expendere, ac incredulus proinde quis potest permanere.

242. Ad 5. Nego eiusmodi sequelam, tum quia rei difficultas et arduitas non necessario requiritur ad meritum; alioquin Christus meritus non fuisset in amando Deo, in quo nulla laborabat difficultate, attamen certum est plurimum meruisse; tum quia credibilitatis evidentia non omnem credendi difficultatem tollit, cum per illam ratio haud impediatur, quominus plura contra veritatem ipsam, quia obscura manet, congerat argumenta, prout quotidie fit.

243. Ad 6. *D.* Omnes crederent rite dispositi et motiva credibilitatis serio expendentes, *C.*; si prave dispositi sint neque serio expendant, *N.* Nam eo ipso, quod evidentia credibilitatis extrinseca sit nec tollat libertatem, fit ut stultorum, quorum infinitus est numerus, negligentia et malitia veritates divinitus revelatae praetermittantur, perinde ac si non extarent. Cupiditates, quae dominantur, transversos agunt homines: quo fit, ut instar noctuae, quae lucem fastidit, ab iis magnopere abhorreant ; at culpa non in solem, sed in infirmam pupillam transfertur.

244. Ad 7. *N.* Ad probationem autem desumptam ex pueris et rudibus, *D.* Nisi istorum incapacitati

(1) Cf. *L' idea cristiana della Chiesa avverata nel Cattolicismo*, cap. 20, quam edidimus Genuae 1862, vol. 3 in-12 magn.

(2) Cf. ibidem.

(3) Cf. Bosium *de signis ecclesiae*, quod quidem opus eruditissimum est ac valde utile.

suppleret immediata totius ecclesiae et sapientum virorum professio, praecipue vero interior divinae gratiae illuminatio et inspiratio, *C.*; si duplici hac ratione, aut alterutra saltem suppleatur, *N.* Utique evidentia, de qua disserimus, non est aequalis in omnibus nec eodem modo postulanda est in simplicibus credentibus ac in sapientibus; siquidem isti per se illam percipiunt penetrando eius media et principia, illi vero in fide et traditione ecclesiae et sapientum illam participant; nam illis satis est, quod videant, sapientissimos viros et multitudinem christianorum hanc fidem amplecti ut indubitatam et infallibilem, et quod audiant, illam esse confirmatam multis miraculis. Quod si neque haec sufficerent ad firmum de credibilitate iudicium efformandum, tum per divinam inspirationem et vocationem internam compleri potest; immo haec sola, ut docet s. Thomas (1), illa deficiente, potest huiusmodi credibilitatem complere (2).

245. Ad 8. *Neg.* Responsio patet ex modo dictis. Licet enim simplices homines non sint capaces huius evidentiae, immediate, ut ita dicam, et speculative deductae ex suis principiis et motivis; sunt capaces eius, mediante fide humana de miraculis, et aliis testibus et testimoniis huius fidei; et iuvari possunt interna Dei illuminatione. Ideoque praedicatores evangelii, qui versantur inter infideles, optime faciunt, dum illos post sufficientem instructionem admittunt ad baptismum, dummodo isti credant ex toto corde, prout Philippus cum eunucho fecit; neque necesse est, ut ipsi nova miracula patrent ad fidem suadendam, prout neque patravit Philippus.

246. II. Obi. 1° Motiva credibilitatis ad summum evidenter credibilem ac certam evincerent fidem revelationis in genere, non autem fidem catholicam, quae sola virtus est theologica. 2° Posita enim revelatione divina, incertum remanet, num ista integra ad nos pervenerit; incertum ubinam reperiatur, quaenam sint documenta, quae eam contineant, quinam illius sensus. 3° Innumerae prope sectae depositarias se praedicant, tum revelationis divinae, tum rectae eius intelligentiae, quaeque omnes et singulae seipsas veram ecclesiam proclamant. 4° Plerique idonei haud sunt sive ad absolutum sive ad relativum examen instituendum, quaenam ex his omnibus evidentiam credibilitatis vere praeseferat. 5. Unaquaeque viros doctos in propria secta enumerat, ad quos rudes se referre possunt ac debent. 6. Demum si ad praebendam certitudinem de vera fide evidentia credibilitatis sufficeret, iam posset homo absque gratiae interioris auxilio actum elicere fidei supernaturalis ac theologicae, quod tamen absurdum est. Ergo.

247. Resp. ad 1. *Neg.* Motiva enim credibilitatis eo ipso, quod certam ac evidentem efficiant revela-

(1) Quodlib. 2, art. 6.

(2) Cf. Suarez *De fide*, disp. 4, sect. 5, n. 7—10, ubi hoc argumentum evolvit, ostenditque, necessario semper requiri in eo, qui credit, evidentiam extrinsecam, sive immediatam, sive mediatam: illam sibi comparant sapientes: hanc infantes ac rudes habere possunt et adipisci morali certitudine, cui si concurrat, prout profecto hisce in casibus concurrit, interior divina operatio, idest, illustratio et inspiratio gratiae, fit, ut et isti evidentiam necessariam ad fundandam fidem adipiscantur. Ex quibus concludit eximius auctor, ob hanc causam praedicatores evangelii, qui versantur inter infideles et catechizant adultos nuper conversos, posse illos admittere ad baptismum post sufficientem instructionem.

tionem divinam in genere, reddunt certam ac evidentem fidem catholicam in specie; siquidem signa illa, sive motiva non adstipulantur revelationi in abstracto, sed in concreto; in concreto autem seu in realitate non habentur nisi in ecclesia catholica, nempe in illa societate, quam Christus ipse instituit, quamque magistram voluit esse universo hominum generi, et quam propterea divinis characteribus instruxit ac divinam patefecit. Quo fit, ut iisdem credibilitatis motivis, quibus christiani efficimur, efficiamur catholici, uti toties adnotavimus.

248. Ad 2. *Neg.* Siquidem de his omnibus certi reddimur ab ipsa illa societate a Christo instituta in eum finem, ut nobis per ipsam constaret vera revelatio, eius integritas, sensus ac cetera eiusmodi. Qua de causa eandem ecclesiam divinae suae revelationis depositariam, custodem, interpretem, testem, propagatricem perpetuam effecit.

249. Ad 3. *D.* Falso ac mendaciter, *C.*; vere ac merito, *N.* Nulla istarum sectarum potest sibi vindicare motiva credibilitatis, eo ipso quod sero emerserint, neque idcirco possunt se aut revelationis depositarias dicere aut verborum divinorum interpretes, aut se veram ecclesiam proclamare; sed necessario omnes et singulae sunt revelationis usurpatrices ecclesiaeque simulacra et larvae, quae aliter vera esse nequeunt, quin Christus mentitus fuerit nosque fefellerit falsis promissis (1).

250. Ad 4. *Neg.* Nihil immo facilius tam doctis quam indoctis, si bona fide agere velint, quam eiusmodi examen sive absolutum, sive comparativum inter veram ecclesiam et falsas sectas instituere, ut illico percipiant, pro qua societate motiva credibilitatis militent. Satis enim est nosse, quaenam christiana societas seu ecclesia nunquam coeperit nisi a Christo, et deinceps usque in diem hanc perseveraverit; eam porro solam ecclesiam catholicam esse, non solum perpetua et absque ulla interruptione perseverantia et successio evincit, verum etiam sectae omnes licet invitae id evidenter ostendunt, quum omnes et singulae temporum decursu ab illa prodierint. Difficile foret tum doctis, tum praesertim indoctis examen intrinsecum veritatis instituere, de quo hic non agimus; sed quod attinet ad extrinsecum, ex dictis facillimum est. Agitur enim de facto omnibus pervio.

251. Ad 5. *D.* Si ageretur de examine interno veritatis, *Tr.* vel *C.*; si de examine extrinseco, *N.* Etenim ad hoc posterius examen instituendum omnes iuxta dicta ex aequo, tam docti, quam indocti sunt comparati, cum agatur de facto omnibus cognito ac luculentissimo, aut saltem de quo cito instrui possunt. Docti porro, quos unaquaeque secta enumerat, sunt ex illis de quibus Christus dixit: *Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae qui abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (2), et apostolus: *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt* (3). Qui omnes, dum in ceteris, scilicet in politicis, in physicis, in mathesibus, in industria, etc. Argi sunt, in negotio omnium maximo religionis noctuae sunt (4).

(1) His promissionibus nitebatur ecclesia prius etiam, quam in Evangeliis legerentur. Ideoque iam eorum possessione fruebatur ecclesia ante sacros libros, et fideles per solam praedicationem firma fide eas tenebant.

(2) Matth. XI, 25. (3) Rom. I, 22.

(4) Mirum est, quot paralogismis se involvant eiusmodi docti homines, ut suas falsas sectas fulciant, quot contortis Scri-

Addo, etiam rationalistas, deistas, incredulos, pantheistas, atheos suis doctis sapientibusque gloriari.

252. Ad 6. *D.* Si evidentia credibilitatis sufficeret ad eliciendum fidei actum, *C.*; si sufficiat ad solam certitudinem extrinsecam veræ fidei, *N.* Duo hæc permisceri inter se non debent. Fieri enim potest, ut quis humana ratiocinatione humanisque mediis sibi comparet eiusmodi certitudinem, nec tamen credat fide divina et theologica. Hanc nemo habere potest sine pio credulitatis affectu, qui proprius gratiæ est. Ideoque negatur sequela, quae supponit, perinde esse acquirere certitudinem de veritate fidei, et habere fidem, quae duo valde inter se differunt. Fieri tamen potest, ut fidei lumen conferat aliquo modo ad habendam evidentiam illam per modum congruentis dispositionis ex parte subiecti, vel tanquam unum ex motivis, quod potest eam evidentiam iuvare, complere ac confirmare; quo sensu s. Thomas affirmavit, *lumen fidei facere videre, obiecta fidei esse credenda* (1).

Corollarium.

De ultima fidei resolutione.

253. Ex hactenus de fidei obiecto materiali ac formali constitutis difficile haud erit analysin exponere, ex qua inferatur, quodnam sit motivum, per quod credens inducatur ad credendum, ut sic demum possit reddere omni poscenti se rationem de ea, quae in ipso est, spe, seu, quare credat fidei veritatibus, aut vera esse, quae credit (2).

254. Poterit igitur respondere, 1° se ideo credere, veritates, quibus assensum praebet, esse veras, quia Deus, qui eas revelavit, nec falli, nec fallere potest. Hoc enim est ultimum motivum et fidei ratio formalis. 2° Se ideo credere revelationem divinam esse factam eamque in christiana religione contineri, quia id evidenter demonstrant argumenta credibilitatis, miracula a Christo patrata, prophetiae exitu comprobatae, admirabilis evangelii propagatio, etc. 3° Tandem se ideo credere, eas, quas tenet, veritates divinae revelationis deposito contineri, quia infallibili ecclesiae magisterio, de quo constat per eadem credibilitatis motiva, sibi credendae proponuntur. Quae duo sunt, licet diversimode, motiva proxima quoad nos et post divinam revelationem fidei fundamenta.

255. Notandum tamen est primo, heic agi de cognitione naturali, quae scilicet naturali lumine ac naturalibus mediis comparari potest, cuiusmodi est divina sapientia et veracitas, nec non mo-

pturarum interpretationibus, qua ignorantia laborent circa religionis catholicae genuinam doctrinam! Satis est eorum volumina vel leviter versare, ut statim appareat haec ipsorum agendi ratio. Longa experientia id me docuit, cum tot istorum volumina evolverim.

(1) II, 2, q. 1, art. 4 ad 3, et art. 5 ad 1. Cf. Suarez op. cit. disp. 4, sect. 6, qui n. 2 et 3, plures easque gravissimas adducit rationes, quibus ostendit, credibilitatem nullo modo actibus fidei posse accenseri, tum quia ipsa revelata non est, tum quia non est obscura, prout competit fidei, tum denique, quia iudicium credibilitatis non est tam certum, sicut assensus fidei, ideoque a lumine fidei esse non potest.

(2) Ut clara habeatur notio eius, quod dicitur resolutivum fidei, placet id exponere verbis ipsis Card. de Lugo, qui in resolut. *de virtute fidei divinae*, disp. 1, sect. 2, n. 7, sic scribit: « In illud ultimo resolvitur fides, quia ultimo resolvi nihil est aliud, nisi quod interroganti non sit ulterius progrediendum, cum reddatur ei ultima ratio nos movens, et ad quam nulla alia nos movet, sed ipsa movet ad aliud credendum.

tiva credibilitatis humana cognitione visa et expensa; idem dic de ecclesia, naturali pariter cognitione per illa eadem credibilitatis motiva uti vera deprehensa ; quae quidem omnia sunt inductiva ad fidem, sed per se sola non constituunt fidem theologicam, quae sine praeveniente interiori gratia, aut gratia infusa et habituali, haberi nequit, ut paulo ante animadvertimus (1).

256. Notandum 2° ecclesiae propositionem esse quidem conditionem quoad nos, ut credamus in individuo veritates ab ipsa propositas in divina revelatione contineri, minime vero in se, quasi nempe auctoritas ecclesiae ad formale fidei obiectum spectaret, quod non est, nisi prima veritas, ut vidimus, seu auctoritas Dei revelantis ; nec creditur ecclesiae, nisi quia Deus revelavit, illi credendum esse. Ex his patet, ultimam demum fidei resolutionem ad Deum summam veritatem referri, et in illo acquiescere. Accedit, quod ad fidem divinam seu theologicam haud essentialis sit propositio ecclesiae, ut patet ex revelationibus privatis. Qui enim eas certo habent, tenentur Deo sibi loquenti assentiri firma fide, ut constat ex Abraham, prophetis, ac ipsa B. Virgine, qui Deo aliquid revelanti sibi crediderunt, et quidem firmiter ; nam *credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad iustitiam* (2), atque B. Elisabeth fidem commendavit B. Virginis illis verbis : *Beata, quae credidisti* (3); contra vero Zacharias, eo quod haesitaverit, in reprehensionem et poenam incurrit (4): neque tamen in his locum habuit ulla ecclesiae propositio (5). Fides porro haec, licet theologica et divina sit, non est tamen catholica, quamdiu intra fines privatae revelationis consistit, seu non est universalis et communis omnibus, quod tamen ad catholicitatem requiritur.

257. Exinde patet discrimen, quod intercedit inter fidem theologicam seu divinam, et fidem catholicam, quod omnis fides catholica sit theologica et divina, non vero omnis divina et theologica fides sit catholica. Ad hoc enim, ut sit catholica, necesse est, ut ab ecclesia, tamquam regula proxima, credenda proponatur. Quamdiu vero ab ecclesia aliquid etiam divinitus revelatum credendum non proponitur, nemo tenetur ostentanti privatas revelationes credere. Iam vero ecclesia nihil credendum proponit, nisi quod in sacris libris et divina traditione continetur. Ceteras revelationes privatas interdum approbat

(1) Cf. Suarez, disp. 3, sect. 10, n 10, ubi ostendit, fidem non resolvi tandem aliquando in auctoritatem humanam ecclesiae, nec resolvi secundum se sumptam in auctoritatem divinam ecclesiae, resolvi tamen in illam quoad nos, implicite tamen in divinam auctoritatem semper resolvi. « Nam (ut ipse scribit) licet credamus ecclesiae definienti, si interrogemur, cur illi credamus, respondebimus: Quia habet infallibilem assistentiam Spiritus sancti; et si iterum interrogemur, cur hoc credamus, respondebimus: Quia Deus revelavit, cui credimus propter auctoritatem suam, non propter ecclesiae auctoritatem, licet ipsa nobis proponat ipsammet revelationem Dei. Nihilominus tamen quoad nos proposita est ecclesia, ut a Spiritu s. regitur, tanquam proxima et sufficiens regula credendi, quia non possunt fideles omnes doctrinam fidei per se expendere, aut semper resolutionem facere in auctoritatem divinam expresse cogitatam, quae nimis excellens et spiritualis est. Ecclesia autem est sensibilis regula, quam facilius audiunt et percipiunt; in illa tamen auctoritatem divinam quasi loquentem supponunt, et ita implicite saltem suam fidem in Deum resolvunt. »

(2) Rom. IV, 3.

(3) Luc. I, 45.

(4) Ibid. v. 20.

(5) Cf. Suarez, disp. 3, sect. 10, n. 5, seqq.

et commendat ad aedificationem, non autem ad fidem constituendam, quae unice fundata est super fundamentum apostolorum et prophetarum.

258. Notandum tertio, maioris perspicuitatis gratia, ecclesiam sub duplici respectu spectari posse in argumento, de quo agimus, scilicet vel prout est auctoritas humana, vel prout est auctoritas divina. Spectatur ut divina, quatenus dirigitur a Spiritu sancto, atque ut regula fidei proxima dicere potest: *Visum est Spiritui s. et nobis;* atque in ordine logico est primus relate ad nos articulus fidei, utpote a Deo revelatus, ex quo deinde ceteri nobis credendi proponuntur, seu promanant. Spectatur autem ut auctoritas humana, quatenus est naturaliter cognita per motiva credibilitatis, quae pro ea militant. Quo sensu scribebat s. Augustinus de eadem ecclesia: *Sunt alia multa, quae in eius gremio me iustissime teneant: tenet consensio populorum atque gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa sede Petri apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad praesentem episcopatum successio sacerdotum: tenet postremo ipsum catholicae nomen, quod non sine causa inter tam multas haereses sic ista ecclesia sola obtinuit... Ista erga tot et tanta nominis Christiani carissima vincula recte hominem tenent credentem in catholica ecclesia, etiamsi propter nostrae intelligentiae tarditatem, vel vitae meritum veritas nondum se apertissime ostendat* (1). Quibus recensuit praecipua motiva credibilitatis. Contra vero idem s. Doctor loquens paulo post de eadem ecclesia, prout est auctoritas divina proponens veritates fide credendas, subdit: *Ego vero evangelio non crederem, nisi me catholicae ecclesiae commoveret auctoritas* (2).

259. Igitur ad cognoscendam ecclesiam sub priori respectu quemadmodum et ad cognoscenda credibilitatis motiva humana ac naturali cognitione, opus per se non est fide aut gratia supernaturali; ad credendum autem ecclesiae, perinde ac reliquis veritatibus fidei a Deo revelatis, necessaria omnino est gratia supernaturalis ad fidem (3).

CAPUT V.

DE ACTU FIDEI

260. Nequit germana actus fidei haberi notio, quin prius statuatur, quid proprie sit credere. Porro ex s. Thoma, praeeunte s. Augustino, *credere est cum assensione cogitare.* Duo igitur elementa ad credendum concurrant necesse est, cogitare, quod est instar generis, assentire, quod locum differentiae obtinet. Sic vero loquitur s. Augustinus: *Quis enim non videat, prius esse cogitare quam credere? Nullus quippe credit aliquid, nisi prius cogitaverit esse credendum... necesse est, ut omnia, quae creduntur, praeveniente cogitatione, credantur. Quamquam et ipsum credere nihil aliud est, quam cum assensione cogitare. Non enim omnis, qui cogitat, credit, cum ideo cogitent plerique, ne credant: sed cogitat omnis, qui credit, et credendo cogitat, et cogitando credit* (4).

261. Exinde colligit s. Thomas, quod *ipsum credere est actus intel-*

(1) Contr. epist. *Fundamenti*, cap. 4, n. 5.

(2) Ibid. cap. 5.

(3) Cf. Suarez, disput. 3, sect. 10. Egregie etiam de hoc argumento egit card. de Lugo in op. *De fide*, disp. 1, sect. 5, seqq.

(4) Lib. *De praedest. sanct.* cap. 2.

lectus assentientis veritati divinae ex imperio voluntatis a Deo motae per gratiam, et sic subiacet libero arbitrio in ordine ad Deum : unde actus fidei potest esse meritorius (1).

262. Ex his igitur habemus, quod fides tanquam in subiecto resideat in intellectu, ad assentiendum tamen moto a voluntate. Nam cum intellectus ad assentiendum veritatibus revelatis permoveri non possit ab intrinseca evidentia rationis, prout movetur ad assentiendum sive primis principiis immediate, sive mediate conclusioni ex visione principiorum, seu veritati naturaliter cognitae; opus est, ut determinetur ad credendum seu assentiendum ex imperio voluntatis. Ut vero actus hic sit supernaturalis, requiritur, ut tum intellectus tum voluntas divinae gratiae illustratione atque inspiratione praeveniantur et adiuventur. Quo fit ut fidei theologicae actus inde proveniens sit onthologice supernaturalis. Haec autem gratiae operatio, qua afficiuntur intellectus et voluntas, illa est, quae vulgo pia affectio seu pius credulitatis affectus nuncupatur, atque omnino necessaria est ad actum fidei supernaturalem eliciendum, uti insequente propositione adstruemus.

263. Interim ex praemissis patet, quod actus fidei presse definiri possit: Assensus firmus in auctoritate Dei obscure revelantis fundatus. Dicitur assensus ad significandum, illum actum proprium esse intellectus, licet sit a voluntate imperatus; additur vero firmus, quo distinguitur ab opinione; demum in auctoritate Dei fundatus, quo significatur obiectum fidei formale, et distinguitur ab actu scientiae et a quovis evidenti; ideo vero subditur obscure revelantis, ut distinguatur obiectum materiale, circa quod fides versatur, cuiusmodi sunt mysteria, aut quidquid subest rationi formali fidei, quod est obscurum (2).

(1) II, 2, q. 2, art. 9.

PROPOSITIO

Ad actum fidei theologicae eliciendum praerequiritur necessario pius credulitatis affectus ex gratia proveniens.

264. Licet hoc de argumento agatur in tractatu de gratia, ubi ostenditur, etiam ad fidei initium necessariam gratiam esse, secus ac docebant semipelagiani, nihilominus ad pleniorem huius nostri argumenti tractationem nonnulla attingimus scitu valde utilia.

265. Ac primo animadvertimus, quod non debeat permisceri iudicium practicum, ut vocant, intellectus, quo sibi persuadet esse credendum ob motiva credibilitatis naturali ratione cognita cum praevia illa proxima dispositione, qua intellectus inducitur ad inclinandam voluntatem, ut imperet assensum obiectis supernaturalibus. Etenim, uti iam paulo ante innuimus, illud praevium iudicium practicum intellectus, utpote necessarium et ortum ex evidentia extrinseca motivorum, naturale est (3); contra vero illa dispositio proxima ad inclinandam voluntatem est supernaturalis libera et a gratia procedit ; multo vero magis ipse fidei actus.

266. Animadvertimus secundo, sub generica actus fidei denominatione nos comprehendere tum actum fidei elicitum ex imperio voluntatis, tum praeviam illam proximam dispositionem voluntati praeeuntem, quae ad imperandum eiusmodi assensum voluntatem inducit. Quae licet per se nondum actus fidei sit, est tamen quaedam eius inchoatio,

(2) Cf. Suarez, disput. 6, sect. 1, seqq.
(3) Ibid.

et quamvis nondum rationem meriti de condigno habeat, habet nihilominus rationem meriti de congruo, seu, ut loquitur s. Augustinus (1), impetratorii saltem mediate per poenitentiam et caritatem, ad obtinendam gratiam sanctificantem, et per eam meritum de condigno (2).

267. Quibus ita dispositis, sic accedimus ad veritatem propositionis vindicandam. Sane ad actum fidei theologicae eliciendum necessario praerequiri pium credulitatis affectum, ex multiplici capite ostenditur.

268. Nam I. sacrae litterae aperte docent, piam eiusmodi affectionem seu motionem voluntatis, inclinantis intellectum ad assensum, requiri ad internum fidei divinae actum, seu ad divine credendum. Nam Apostolus Rom. X, 10, scribit: *Corde enim creditur ad iustitiam;* quae verba explanans s. Thomas, *Corde,* inquit, *idest voluntate. Nam cetera, quae ad exteriorem Dei cultum pertinent, potest homo nolens, sed credere non potest nisi volens. Intellectus enim credentis non determinatur ad assentiendum veritati ex necessitate rationis: sicut intellectus scientis, sed ex voluntate: et ideo scire non pertinet ad iustitiam hominis quae est in voluntate, sed credere* (3).

269. Confirmatur II. ex facto, quo constat, positis etiam omnibus motivis ex parte obiecti ad credendum, hominem posse assensum cohibere, immo etiam dissentire. Siquidem Christo et Apostolis praedicantibus ac munientibus praedicationem suam ingenti multitudine miraculorum, attamen ex tot audientibus et videntibus signa illa quidam assentiebantur, quidam vero, imo plerique dissentiebant, prout evangelica historia et apostolica scripta testantur. Obiectum igitur, etsi uti maxime credibile expositum, non determinat sufficienter ad assensum, sed opus est pia affectione ex gratia proveniente, ut voluntas moveat intellectum ad assentiendum (4).

270. III. Idipsum adstruitur ex ipsa ratione meriti, quod inest libero assensui, quem praebet credens veritatibus revelatis; ac proinde a voluntate pendet, iuxta illud, quod de Abraham legitur: *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad iustitiam* (5). Haec autem intelligi debent de actu in se, non autem ex parte subiecti, cui ad meritum presse dictum necessario concurrant necesse est cetera, quae ad meritum requiruntur, scilicet status gratiae et caritas; alioquin non haberetur nisi meritum improprie dictum, seu de congruo, iuxta dicta.

271. Atque haec quidem quoad praeviam voluntatis dispositionem ad inducendum intellectum, ut assentiatur fidei obiectis, quam ex gratia provenire diximus, definitumque est ex Tridentino sess. VI, can. III, cui praeiverat Coelestinus epist. 21

(1) Lib. *De spir. et litt.* cap. 33 et 34, et in lib. *De praedest. sanct.* et alibi passim.

(2) Cf. Suarez, disput. 6, sect. 7, n. 15, seqq.

(3) Lect. II. in hunc loc. Apost. ad Rom.

(4) Quin etiam fieri potest, ut non obstante pia affectione, tamen voluntas resistat, nec intellectum ad assentiendum moveat, quia voluntas semper libera est sub gratia, et plures etiam non credunt, quamvis gratia praeventi, sed eidem obluctantur. Quod profecto non accideret, si aut motiva credibilitatis, aut gratia cogerent ad assentiendum. Itaque gratia necessaria est ad assensum fidei supernaturalem, atque ut assensus sit supernaturalis.

(5) Genes. XV, 6, et Rom. IV, 3.

ad episcop. Galliarum cap. 9 (1). Quod vero spectat ad actum ipsum voluntatis, imperantis consensum, de fide pariter est adversus eosdem Semipelagianos ac Pelagianos, ipsum esse ex gratia. Quo referuntur illa omnia, quae in tractatu de gratia attulimus ad hoc fidei dogma propugnandum. Hic solum notamus, hunc actum supernaturalem esse ex intrinseca natura et specie talis actus seu quoad substantiam, et non solum per accidens aut ratione modi, ac proinde semper hunc actum necessarium esse ad subiiciendum intellectum fidei christianae.

272. Si vero sermo sit de iudicio practico intellectus, quod ex se diximus naturale esse, sed hoc ut evadat supernaturale, necesse est, ut accedat supernaturalis illuminatio, quae elevet intellectum ad concipiendum illud obiectum altiori ac supernaturali modo, ut voluntas ad illud etiam supernaturaliter credendum afficiatur, et ita possit intellectum movere, sicut oportet (2). Quae quidem complexus est s. Thomas, scribens, eum *qui credit, habere sufficiens inductivum ad credendum, ex testimoniis et miraculis, et quod plus est, ex instinctu Dei interius moventis* (3).

Difficultates.

273. I. Obi. Adversus primam partem: 1° intellectus natura sua fertur in verum: ergo, hoc ipsi intellectui proposito, nullo indiget voluntatis imperio, ut assentiatur vero revelato ; 2° praeterea etiamsi verum, quod proponitur, non est evidens evidentia intrinseca, potest tamen in ipsum suapte natura ferri ad eum modum quo voluntas sponte fertur in bonum sibi conveniens, etiamsi non est usquequaque bonum ac evidenter bonum, sed solum ut tale apprehensum. 3° Sane daemones etiam sine pia affectione credunt, uti testatur s. Iacobus; fides igitur haberi potest sine voluntatis imperio; 4° eo vel magis quod formale fidei obiectum sufficienter per motiva credibilitatis intellectui proponatur, ut per se assentiri possit veritatibus propositis, et per internam gratiae illustrationem persuadeatur; 5° nam evidentia credibilitatis intellectum ita determinat ad assentiendum, ut non possit saltem prudenter dissentire; 6° quod quidem quotidie experimur in factis humanis, quae absque ulla pia affectione aut voluntatis imperio credimus vix nobis sufficienter proposita. Ergo.

274. Resp. ad 1. *D.* Intellectus suapte natura fertur in verum sive immediate sive mediate evidens, *C.*; in verum credibile quidem, sed obscurum, *N.* Tale autem est omne fidei obiectum, prout ipsi subest, iuxta dicta, seu sub ratione formali fidei, quae obscuritatem involvit in sua notione.

275. Ad 2. Neg. paritatem: ratio est, quia intellectus liber non est, sed determinari debet vel ab obiectis vel a voluntate; sed ab obiectis non determinatur, nisi ex evidentia: voluntas autem libera seipsam determinat. Et sane alia est ratio intellectus respectu veri, alia vero voluntatis respectu boni; nam inevidentia sive obscuritas obiecti retardat intellectum et quodammodo amovet ab assentiendo, praesertim si agatur de re in se ardua ac difficili, quae eius captum excedat, contra vero voluntas fertur in obiectum, quod ei sese offert uti bonum sub aliqua ratione saltem, praescindendo ab aliis respectibus,

(1) Apud Coustant col. 1191.
(2) Cf. Suarez, sect. 6, n. 14.
(3) II, 2, q. 2, art. 9 ad 3.

propter quos deberet ipsum aversari atque respuere. Quapropter intellectus indiget imperio voluntatis, ut se subiiciat veritatibus fidei credibilibus quidem, sed in se tamen obscuris et inintelligibilibus, secus ac accidat inclinationi voluntatis in ordine ab bonum etiam partiale.

276. Ad 3. *D.* Daemones credunt fide coacta ac non voluntaria, ac proinde naturali, *C.*; theologica et infusa, *N.* Inviti enim daemones credunt ac propterea contremiscunt, inducti ex motivis credibilitatis et de revelationis divinae exisfentia ob moralem evidentiam certi effecti, quin tamen assensum appretiative summum revelatis praebeant, sed iuxta credibilitatis motiva naturali lumine cognita; ideoque nullo indigent voluntatis imperio ad ita credendum (1).

277. Ad 4. *Neg.* Etenim motiva credibilitatis sufficienter non proponunt intellectui obiectum formale fidei seu motivum, ita ut sine voluntatis imperio permoveatur ad credendum, seu ad assentiendum obiecto obscuro, cuiusmodi sunt, quae subsunt fidei. Illustratio vero interna solum eo dirigitur, ut intellectus voluntatem inclinet ad imperandum assensum, ut hic sit supernaturalis.

278. Ad 5. *Trans.* Nam cum evidentia credibilitatis non tollat obscuritatem obiecti, eo ipso necessario non rapit, seu necessario non determinat intellectum ad assentiendum, ideoque poterit saltem imprudenter cohibere aut etiam negare assensum. Huius rei exemplum suppeditant, quotquot se imprudenter determinant ad peccandum seu violandum praeceptum, quod bonum agnoscunt. Ut igitur intellectus ad assentiendum determinetur, requiritur imperium voluntatis, pio affectu permotae.

279. Ad 6. *D.* Assentimur et credimus, absque pia affectione et voluntatis imperio, sufficienter propositis ut evidenter simul credibilibus et evidenter veris, *C.*; ut evidenter solum credibilibus, *N.* Ideo autem passim facta humana absque imperio voluntatis admittimus, quia constant evidentia morali saltem testimonii, e. g. Romam existere, ac propterea non solum ut evidenter credibilia, verum etiam ut evidenter vera proponuntur. Quod si solum ut credibilia, sed non ut evidenter vera proponerentur, profecto non ita facile admittuntur, ut patet ex factis extraordinariis, quibus nonnisi aegre assensus praebetur (2). Talia autem sunt quae credenda proponuntur per sola credibilitatis motiva, et de quorum intrinseca veritate nobis non constat; ut omittam, longe firmiori assensu credi, quae fide proponuntur, quam quaevis humana facta; haec autem maior firmitas a pia voluntatis affectione dependet.

280. II. Obi. Adversus alteram partem: 1° fides est principium meriti ac salutis, ergo tales non sunt praedispositiones, quae fidem praecedunt, scilicet pia affectio et practicum credendi iudicium; alioquin meritum haberetur ante eius principium, quod dici sine contradictio-

(1) Vid. Suarez, disput. 5, sect. 6, n. 7.

(2) Huius rei exemplum nobis quotidie praebent haeretici et incredduli, qui non solum non credunt miraculis, quae omnimoda certitudine constant ex processibus, severissimo examine comproba-tis, sed ea irrident, nec dignantur quidem fundamenta eiusmodi certitudinis expendere. Quin etiam a priori eorundem impossibilitatem statuunt. Quid agendum cum eiusmodi hominibus? Caeci sunt ducesque caecorum.

ne nequit. 2° Fieri praeterea potest, ut quis se ad veram fidem convertat ex motivo mere naturali, immo et interdum vitioso, ex. gr. ad sibi comparandas divitias, aut commoda procuranda, aut celebritatem nominis, aliaque eiusmodi, quae cum pia illa voluntatis affectione componi nequeunt aut practico credendi iudicio, ideoque ex gratia supernaturali promanare non possunt. 3° Quod si istiusmodi affectio supernaturalis admittitur, deberet pariter supernaturalis habitus admitti, quin possit assignari, quis sit; idem dic de iudicio practico supernaturali; 4 accedit, iudicium practicum haud exigere concursum gratiae, tum quia obligatio credendi naturaliter cognoscibilis est ac evidens, tum quia homo ex se vires sufficientes habet ad propositum obiectum cognoscendum, quin opus sit pia affectione supernaturali. Ergo.

281. Resp. ad 1. *D.* Fides formalis est principium meriti proprie dicti, ac proinde salutis, *C.*; inchoationes ac praedispositiones ad fidem sunt principium meriti presse sumpti, *N.* Ut enim paulo ante animadvertimus, eiusmodi fidei conceptiones quae ex pia affectione proveniunt, rationem meriti non habent nisi de congruo atque impetratorie, si cetera eas concomitentur necessaria, non autem de condigno, quod est meritum presse sumptum. Ceterum, quamvis fides formalis aliquo vero sensu dici possit prima gratia, absolute tamen prima reipsa gratia non est, cum plures aliae praecesserint. Quo spectant damnatae propositiones: *Nullae dantur gratiae nisi per fidem* (1); *Fides est prima gratia et fons omnium aliarum* (2); item: *Pagani, iudaei, haeretici, aliique huius generis nullum omnino accipiunt a Iesu Christo influxum* (3). Ideoque non datur meritum ante principium meriti.

282. Ad 2. *D.* Possunt per illa permoveri ad conversionem mediate et remote, *C.*; proxime et immediate, *Subd.*; ad professionem externam, vel ad fidem mere humanam ac naturalem, *C.*; ad fidem internam, theologicam ac supernaturalem, *N.* Recensita motiva interdum adminicula sunt ac media, quibus divina providentia utitur ad procurandam nonnullorum conversionem, sed per se nihil ad conversionem conferunt. Si qui vero ob illa converterentur, ipsorum conversio esset falsa ac pure naturalis, quae certe salutem non afferret.

283. Ad 3. Negamus, assignari non posse habitum, ex quo actus sive piae affectionis, sive practici iudicii erumperet; eiusmodi enim oriretur ex morali virtute infusa, nempe prudentiae, qua iudicatur, honestum ac laudabile esse se Deo subiicere et propositae revelationi divinae obsequi; cui virtuti si accedat supernaturalis gratia, fit supernaturalis saltem ratione principii (4).

284. Ad 4. *Neg.* Indiget enim practicum hoc iudicium gratiae supernaturalis concursu, ut in actum fidei supernaturalis erumpat; alioquin non esset nisi actus fidei naturalis per cognitionem naturalem praehabitam, non autem sicut oportet ad salutem, ut loquitur Arausicanum concilium II, et evincitur ex sacris litteris, prout legitur de Lydia purpuraria: *Cuius Dominus aperuit cor intendere his, quae dicebantur a Paulo* (5).

(1) Prop. 26 Quesnelli.
(2) Prop. 27 in constit. *Unigenitus.*
(3) Prop. 5 ab Alexand. VIII praescripta.
(4) Cf. Suarez, loc. cit. nec non Card. de Lugo, op. cit. disp. 1, § 8.
(5) Act. XVI, 14.

285. Et haec de actu fidei deque proximis eius praeviis dispositionibus satis dicta sunt. Quod spectat ad fidei subiectum et ad eius effectus, prolixas solent scholastici disputationes texere; nobis satis sit communem doctrinam attingere, ne haec denitus ignoretur.

286. Itaque, praeeunte Angelico doctore, capaces fidei sunt viatores omnes, sive angeli sive homines; homines porro aliquo sensu censentur in purgatorio detenti, quatenus iustorum animae a patria adhuc exulant, quae adhuc ambulant per fidem (1). Quod vero spectat ad beatos, certum est, de via ordinaria non amplius in ipsis posse inveniri actum fidei infusae, iuxta illud Apostoli: *Cum venerit, quod perfectum est evacuabitur, quod ex parte est* (2), et iterum: *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem* (3). Ubi autem clara habetur visio profecto fides locum habere nequit. Dixi de via ordinaria; nam non desunt theologi, qui censeant, de potentia Dei absoluta posse fidem et visionem in eodem subiecto cohaerere (4).

287. De damnatis pariter consentiunt theologi, paucis refragantibus, nullum in illis esse aut esse posse actum verae fidei infusae seu supernaturalis, saltem de potentia ordinaria; destituti siquidem sunt omnibus gratiae auxiliis, sine quibus vera fides non potest haberi, nulla in ipsis est pia affectio et honesta voluntas. Si quid igitur credunt, fide tantum naturali atque ex evidentia signorum id praestant. Quod etiam de daemonibus tenendum esse, paulo ante diximus (5). De potentia absoluta nihil, quod adiiciamus, habemus, cum perspectum penes omnes sit, absolute id non repugnare.

288. Nunc de effectibus actus fidei. Multiplices hi numerantur morales effectus, prout diversa ratione eos producit. Etenim interdum producit per modum dispositionis tum proximae tum remotae; proxime disponit ad habitum fidei; remote ad totam iustitiam: qua de causa concil. Trid. fidem vocat fundamentum iustitiae (6). Interdum producit per modum meriti, et quidem in homine iusto de condigno, in peccatore de congruo. Rursum effectus producit per modum impetrationis, cui effectui tribuuntur miracula imo et effectus omnes orationis. Insuper maxime promovet et excitat voluntatem ad actus bonos ac sanctos persequendos proponendo supernaturalia obiecta, quae magnam vim habent ad voluntatem in bonum permovendam; quo fit, ut fides non tantum virtus speculativa sit, sed etiam practica.

289. Praeterea fidei est excitare timorem, dum divinas comminationes proponit: nec solum timorem servilem, cuiusmodi est qui pro obiecto poenam habet, verum etiam, imo potissimum, timorem filialem, qui coniungitur cum caritate et ex ea nascitur. Sic etiam fides producit spem tanquam proprium eius effectum, dum futura bona ob oculos ponit uti bonorum operum mercedem et fructum, iuxta eiusdem fidei definitionem, quam exhibuit Apostolus Hebr. XI, 1, quam superius enucleavimus. Demum vim habet fides purificandi cor, non quidem, prout autumant haeretici protestantes, immediate et formaliter homi-

(1) Cf. Suarez, disput. 7, sect. 5, n. 6.
(2) I. Cor. XIII, 10.
(3) Ibid. v. 12.
(4) Cf. Suarez, disp. 6, sect. 9, n. 7.
(5) Ibid.
(6) Sess. 6, cap. 7 et 8.

nem iustificando, sed dispositive et fundamentaliter, excitando voluntatem ad reliquos actus, per quos purificatur et recte disponitur cor ad caritatem et gratiam, formaliter ipsum purificantem: *Fides, quae per caritatem operatur*, ut inquit Apostolus (1).

290. Tantum enim abest, ut fides iustificans in sensu protestantium per specialem de propria sanctitate fiduciam promoveat sanctitatem, ut licentiam potius praebeat ad omne peccatum, quod iuxta ipsos non imputatur iis, qui tali fide muniti sunt. Quod si nonnullis Deus per privatam revelationem patefaciat statum gratiae, in quo versantur, eiusmodi revelatio et fides, quae exinde exsurgit, sanctitatem supponit, non autem confert, et iuvat ad spiritualem profectum et consolationem (2).

CAPUT VI.

DE NECESSITATE FIDEI

291. Duplex a theologis distingui solet necessitas, scilicet necessitas medii ac necessitas praecepti.

Necessitas medii illa dicitur, quae oritur ex ipsa rei natura, et illa est, sine qua finis obtineri nullatenus potest, qui in subiecta materia est aeterna salus; necessitas vero praecepti ea est quae ex speciali mandato oritur, quod nisi servetur ab iis, qui possunt ac debent, finis obtineri nequit. In re vero, de qua agimus, hoc praeceptum seu mandatum potest esse aut divinum aut ecclesiasticum, prout a Deo vel ab ecclesia imponitur.

(1) Gal. V, 6.
(2) Cf. Suarez, disput. 6, sect. 10, n. 6.
(3) Haeres. l. 1, c. 25, ed. Massuet.
(4) Lib. *De haeres.* haeres. 8.
(5) Haeretic. fabul. lib. 1, cap. 1, seq. Cf. circa hos haereticos Laurent. Cozza in comment. supra libr. s. Augustini *De haeresibus*, nec non Travasa *Storia critica delle vite degli eresiarchi dal primo secolo della Chiesa*. Venezia 1752.
(6) Lib. *de peccato origin.* c. 26.
(7) Vid. libr. *symbol. reformator.*
(8) De his agit Suarez, disput. 12 *De necessitate fidei*, sect. 2.

292. Circa necessitatem medii praecipua quaestio est. Non defuerunt ex haereticis, qui docuerint, sufficere ad salutem cognitionem unius summi ac veri Dei, naturali lumine comparatam. Tales II. ecclesiae saeculo fuerunt gnostici, testibus Irenaeo (3), Augustino (4) et Theodoreto (5); qui propterea Pythagorae, Platonis, Aristotelis, aliorumque summorum virorum ethnicorum imagines venerabantur. Saeculo V idem docere visus est Pelagius, referente Augustino (6). Hunc eundem errorem renovavit Zwinglius, qui in expositione fidei ad Franciscum I inter beatos recensuit Herculem, Theseum, Antigonum, Aristidem aliosque gentilitatis heroës (7).

293. Ex theologis catholicis nonnulli censuerunt, ad salutem satis esse solam Dei existentiae eiusque providentiae fidem, quae, quamvis per se naturalis sit, eam tamen dixerunt implicite supernaturalem, quia, qui Deum ut primam rerum causam agnoscit naturali rationis lumine, in votis saltem habet cetera cognoscere et praestare, quae ad salutem pertinent (8). Quid porro de utraque necessitate iuxta sanam catholicam doctrinam sentiendum sit, in sequentibus propositionibus statuemus.

PROPOSITIO I.

Absque fide theologica ac supernaturali nemini salutis aeternae aditus patet.

294. Et sane nemo salutem consequi potest, nisi Deo gratus et acceptus sit; porro, testante Apostolo Hebr. XI, 6: *Sine fide impossibile*

est placere Deo. Ne quis vero existimet, intelligi Apostolum posse de fide naturali vel implicita, idcirco eius definitionem praemiserat, quod nempe fides sit sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium, et qua iustificati sunt veteris testamenti patriarchae.

295. Idipsum innumeris prope locis docet idem Apostolus et inculcat scribens, hominem iustificari per fidem. Quam doctrinam ita exponit Tridentinum concilium sess. 6, cap. 8: *Cum vero Apostolus dicit* (Rom. III) *iustificari hominem per fidem, et gratis, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus ecclesiae catholicae consensus tenuit, et expressit: ut scilicet per fidem ideo iustificari dicamur, quia fides est humanae salutis initium, fundamentum, et radix omnis iustificationis: sine qua impossibile est placere Deo, et ad filiorum eius consortium pervenire.* Sed si fides iuxta catholicae ecclesiae sensum est humanae salutis initium, estque radix et fundamentum totius iustificationis, nemo profecto sine hac fide iustificari, nemo salutem assequi potest.

296. Quod denique contraria sententia catholicae doctrinae ineluctabiliter adversetur, patet ex damnatione propositionum ab Innocentio XI facta; nempe 1° *Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris;* 2° *Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo, ad iustificationem sufficit* (1).

297. Cum vero dicimus, fidem supernaturalem necessariam omnibus ad salutem et quovis tempore fuisse, eam designamus, quae non tantum ex obiecto materiali talis sit, sed potissimum, immo et absolute ex obiecto formali seu auctoritate Dei revelantis, ut patet ex Apostolo, Rom. IV, 3; ubi rationem reddens, quare Abrahae fides reputata fuerit ad iustitiam, ait: Credidit Abraham Deo, seu Deo revelanti credidit ob eius auctoritatem. Et reipsa haec est fides, quam Scriptura perpetuo commendat, et necessariam ad iustificationem et salutem adstruit.

298. Dum affirmavimus, nemini aditum ad salutem patere, nisi per fidem, comprehendimus tum infantes, tum adultos; hoc tamen facto discrimine, quod infantes salventur per virtutem fidei infusam, quae et habitualis est ac infunditur per baptisma; adulti vero, nisi ipsi fidei actum eliciant, cuius capaces sunt, salutem aeternam non possunt adipisci.

PROPOSITIO II.

Quovis tempore omnibus adultis necessaria est fides explicita in Deum remuneratorem et reparatorem.

299. Utraque propositionis pars ex Scripturis luculenter demonstratur. Et quidem necessariam esse fidem explicitam in Deum remuneratorem, nos dubitare non sinunt, quae leguntur Hebr. XI, 6: *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit;* in quibus verbis ratio continetur ultimi finis et obiecti beatitudinis supernaturalis, in qua consistit essentialis remuneratio sanctorum; deinde includitur Deus, ut est principalis auctor iustitiae et remissionis peccatorum; demum ratio etiam redditur huius necessitatis, quia, cum fides non solum sit necessaria propter se, sed etiam propter voluntatem (siquidem ad salutem necessarium est diligere Deum, ut supernaturale bonum, et sperare il-

(1) Prop. 22, et 23; in quas cf. Viva in *Trutina theolog. damnatar. thesium.*

lum et in illo spe infusa et supernaturali), hinc deducitur necessitas fidei supernaturalis, sine qua illi actus voluntatis haberi nequeunt (1).

300. Sed praeterea necessariam esse eadem ratione fidem in Deum reparatorem seu in mediatorem, a Deo pro generis humani salute mittendum aut missum, idest in Christum, ex iisdem Scripturis apertissime constat. Nam s. Petrus Act. IV, 12, *Nec enim*, inquit, *aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*; I. Io. II, 2: *Ipse* (Christus) *est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*; as s. Paulus generatim pronuntiat Rom. III, 24, 25: *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius*, et alibi passim.

301. De Patrum doctrina hac super re non est ambigendum; omnes siquidem unanimes sunt (2). S. vero Augustinus dogmatice eam adstruit adversus Pelagianos in lib. 2 *De peccato originali*, cap. 26, et saepe alibi (3). Ratio vero aperta est; Deus enim, supposito peccato, statuit redimere homines per Christum, et ideo in honorem eius neminem salvari voluit nisi per fidem ipsiusmet Christi.

302. Verum hic sedulo distinguenda sunt certa ab incertis, id est, ab iis, quae in controversiam veniunt penes theologos. Certum est, fidem aliquam explicitam quovis tempore necessariam fuisse ad salutem in Christum, ut ex demonstratis constat.

Attamen plures gradus hac in fide distinguuntur; nempe 1° in Christum sub generica ratione mediatoris, iustificatoris et salvatoris, praescindendo a mediis particularibus ad salutem hanc obtinendam et efficiendam; 2° vel in Christum sub formali ratione redemptoris seu mediatoris, qui Deus et homo sit; vel 3° in Christum redemptorem, praescindendo a modo, quo eam redemptionem esset effecturus; vel 4° in Christum, qui esset redempturus hominem per passionem, mortem ac resurrectionem suam.

303. Porro quoad tres posteriores gradus plures doctores contendunt, probabilius sufficientem fuisse veteribus fidem implicitam, etiam respectu iudaeorum, quibus satis per se erat credere explicite in Deum salvatorem et remuneratorem ac iustificatorem per media a sua providentia disposita, in qua generalitate redemptio per Christum continetur. Dixi per se, praescindendo a praecepto, quod ipsis datum fuisset, non autem tanquam medium, sine quo obtineri non posset salus respectu eorum, qui laborassent ignorantia invincibili eiusmodi fidei explicitae. Hac de causa propositionem nostram enunciavimus generatim de necessitate fidei

(1) Cf. Suarez, disput. 12, sect. 3, n. 11.

(2) Ambrosius, Hieronymus, Leo M., Fulgent., Bernardus apud Suarez, loc. cit.

(3) In l. 1 contr. duas epist. Pelag., c. 21, et lib. 3, c. 4. Lubet hic verba s. Doctoris afferre ex lib. 1, cap. 21 contr. *duas epist. Pelagian.*, quae plane decretoria sunt: « Quantaclibet (inquit), fuisse virtutis antiquos, peaedices, iustos, non eos salvos fecit nisi fides mediatoris, qui in remissionem peccatorum sanguinem fudit. Ipsorum enim vox est: Credidi, propter quod locutus sum. Unde ait et Apostolus Paulus: Habentes autem eundem spiritum fidei, secundum quod scriptum est: Credidi, propter quod locutus sum; et nos credimus, propter quod et loquimur. Quid est: Eundem spiritum, nisi: Quem iusti quoque illi habuerunt, qui ista dicerent? »

explicitae in Deum remuneratorem et reparatorem.

Difficultates.

304. I. Obi. Adversus prop. 1. Apostolus Rom. I, 21, de antiquis philosophis scribit: *Cum cognorissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt*; et ibidem, II, 10: *Gloria, et honor, et pax, omni operanti bonum*; et iterum 14: *Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea quae legis sunt, faciunt*, adiungens 13: *Factores legis iustificabuntur*. Ergo naturalis Dei cognitio sufficiens est una cum naturalis legis observatione ad iustitiam, adeoque ad salutem assequendam. 2. Patres idipsum docent; sic s. Iustinus M. apolog. I, n. 46, aperte scribit: *Qui cum ratione vixerunt, christiani sunt, etiamsi athei existimati sint; quales apud graecos fuere Socrates et Heraclitus; apud barbaros autem Abraham, Ananias, Azarias, Misaël et Elias*; Clem. Alex. lib. 1 stromatum: *Ipsa quoque* (philosophia) scribit, *Graecos paedagogi more ducebat, sicut lex Hebraeos ad Christum* (1), et ibidem paulo post: *Quamquam per se quoque aliquando Graecos iustificabat philosophia* (2). Origenes comment. in epistolam ad Rom. Iudaeis et Gentibus, utrisque nondum credentibus, salutem tribuit (3); idipsum sensit s. Ioannes Damascenus (4), aliique haud pauci. Ergo.

305. Resp. *Neg. cons.* Neque obiecta Apostoli verba contrarium suadent. Nam dum ipse affirmat, veteres sapientes potuisse ex Dei naturali cognitione Deum glorificare, loquitur de illa glorificatione, quae exurgit ex confessione et cultu unius veri Dei, quae per se non sufficit sd iustificationem, sed solum ad removendum obicem gratiae Dei, qua positive se reddiderunt indignos per turpem idololatriam, quam professi sunt (5).

306. Dum vero subdit: *Gentes, quae legem non habent*, id unum adstruit, Gentes, si quid boni operatae sunt ad legis naturalis praescriptum, naturali lumine id praestitisse, eo quod Deus in ipsorum cordibus legem illam scripserit; quod erat illi propositum. Ceterum nec asserit Apostolus, Gentes omnia legis naturalis mandata servasse, multo vero minus, hac de causa iustificatas fuisse.

307. Postremis verbis: *Factores legis iustificabuntur*, eos designat, qui legem universam observant spiritu fidei, ad discrimen eorum, qui legem habuisse gloriabantur scriptam, quam tamen non servabant (6).

308. Ad 2. *D.* S. Iustinus et Clemens Alex. senserunt, antiquos philosophos, quidquid iuxta rectam rationem de Deo docuere, Christo seu Verbo, quod illis lumen rationis contulit, in acceptis referre debuisse, ideoque lato hoc sensu fuisse christianos, *C.*; de adepta vel non adepta iustificatione et salute, de qua non disseruerunt, sunt locuti, *N.* Itaque de hoc argumento ne verbum quidem protulerunt. Quorsum enim id fecissent, si toti in eo erant, ut ostenderent, quod a Verbo, illuminante per rectam rationem omnem hominem venientem in hunc mundum, id adepti fuerint? Dum

(1) Pag. 282.; ed. Sylburgi Colon. 1788.

(2) Pag. 317.

(3) Lib. 1, ed. de la Rue, opp. tom. 4.

(4) In oratione *De iis qui in fide dormierunt*, c. 12, opp. edit. Le Quien, tom. 1.

(5) Cf. Estium et Bernard. a Piconio in hunc loc.

(6) Cf. quae de his scripsimus in tract. *De gratia*, part. 1, cap. 2, prop. 2.

vero ad rectae rationis normam operati sunt, negative, seu ut dictum est, removendo obicem, quodammodo ad gratiam adipiscendam se disposuisse, cui obsequentibus Deus gratuita sua misericordia largitus esset (1).

309. Origenes vero ante omnia constituit, vitam aeternam non tribui nisi credentibus in Christum, sive isti sint iudaei, sive gentiles; quod si tamen tum iudaei, tum gentiles non credentes aliquid boni operentur, non sint destituendi omni mercede, nempe hac in vita. Exponit siquidem illa Apostoli verba Rom. II, 10: *Gloria et honor et pax omni operanti bonum, iudaeo primum et graeco.* Eius mens aperte patet ex toto contextu, adeoque extra rem eius urgetur auctoritas (2).

310. Oratio porro, quae sub nomine s. Ioannis Damasceni circumfertur: *De iis qui in fide dormierunt,* ex criticorum iudicio, illius genuinus foetus non est, nec paucis erroribus scatet (3).

311. Si qui autem alii sint patres, qui contrarium suadere videantur, ipsi intelligendi sunt de fide explicita in Christum eiusque mysteria, quae ante eius adventum ad salutem minime necessaria erat, neque iudaeis, neque gentilibus, iuxta ea quae sub finem propositionis adnotavimus.

312. Quo sensu scripsit s. Ioan. Chrysostomus: *Poterant homines* (in veteri testamento) *etiam ipsum* (Christum) *non confessi, salvari; non enim Christi, qui nondum venerat, ab illis cultus petebatur, sed ut, idolorum cultu spreto, solum Deum conditorem omnium noscerent... Tunc enim sufficiebat unum Deum nosse; nunc autem non ita est, sed necessaria est ad salutem Christi cognitio* (4).

313. Eodem sensu accipienda sunt, quae s. Cyrillus Alex. scripsit, comparationem instituens inter Moysen et Christum, quod ille per legis anfractus, Christus per fidem ad salutem adduxit (5).

314. Dum vero s. Gregorius Nazianz. scribit: *Mihi admodum probabilis* (sermo) *neminem videlicet eorum, qui ante Christi adventum numeros omnes virtutis impleverunt, id citra Christi fidem esse consecutum* (6), id unum significat, sibi valde probari eiusmodi sententiam.

315. Nec aliter sensisse visus est s. Thomas, ut patet ex iis, quae habet II, 2, q. 2, art. 7 ad 3: *Si qui tamen fuerunt salvati, quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt salvati absque fide mediatoris; quia, etsi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in divina providentia, credentes, Deum esse liberatorem hominum secundum modos sibi placitos, et secundum quod aliquibus veritatem cognoscentibus Spiritus revelasset.*

316. II. Obi. 1. Repugnat damnari innumeros prope homines absque propria culpa; eo vel magis, quod Deus velit omnes homines salvos fieri (7). 2. Tales porro

(1) Cf. Maran praef. in opera s. Iustini, part. 2, cap. 2, n. 5, ubi accurate de mente Iustini disserit, eumque vindicat a nonnullorum prava eius verborum interpretatione. Idipsum praestitit quoad Clementem Alex. Lumper, dum eius doctrinam expendit, ac prolixe de hoc egit argumento.

(2) Leg. lib. 2, pag. 483, seqq. ed. opp. de la Rue.

(3) Vid. praef. P. Le Quien.

(4) Hom. XXXVI in Matth., alias XXXVIII, n. 3.

(5) Lib. 3 *De adorat. in spirit. et verit.* opp. ed. Paris 1638, tom. 1, cap. 2, pag. 82, seqq.

(6) Orat. 15 *in Machab. laudem*, n. 1, ed. Paris. 1778, tom. 1, pag. 287.

(7) I. Tim. II, 4.

sunt, qui invicibili ignorantia laborantes carent supernaturali fide in Deum mediatorem; quotquot nempe existunt, quibus fides praedicata non est, cum fides sit ex auditu, nec auditur, teste Apostolo, sine praedicante; qui reipsa prope innumeri sunt. 3. Nec est, quod dicatur, istos interius a Deo illuminari, ut iustificationem assequantur. Nam non minus supernaturalis est illuminatio quam iustificatio, quatenus utraque est opus gratiae; hinc, si potest homo per cognitionem naturalem disponi ad supernaturalem illuminationem, etiam poterit immediate disponi ad iustificationem; 4. non est enim magis promissa gratia illuminans quam iustificans facienti, quod in se est, per cognitionem naturalem; 5. nec est verisimile, Deum exigere medium ad iustitiam obtinendam, quod sine miraculo fieri non potest; porro illuminari et doceri de fide sine praedicante est miraculum, ac praeter legem ordinariam. 6. Dicendum est igitur, illi deberi gratiam sanctificantem immediate, cui impossibilis est iustificatio per fidem; 7. nisi dicere malueris, istis omnibus sufficere votum implicitum placendi Deo, quod per fidem naturalem haberi potest, et in quo implicite continetur desiderium credendi et habendi fidem. Ergo hoc sufficit ad salutem, saltem in casu necessitatis, in quo accessus ad Deum per fidem est impossibilis. 8. Neque ab his abludere videtur Angelicus, qui 1, 2, q. 89, art. 6, docet, puerum ante fidem, qui sc. faciat, quod in se est, deliberando, quid deceat vel non deceat secundum rectam rationem, fore iustificandum; iam vero ille iam adultus non potest facere, quod in se est, fide utendo, cum supponatur, illam nondum habere; ergo faciet, recta ratione utendo; ergo tunc sufficit naturalis cognitio sine fine ad iustificationem.

317. Resp. ad 1. Concedimus, nullum damnari absque propria culpa; quicumque enim damnatur, damnatur vel ob culpam originalem non deletam, vel ob voluntarium peccatum. Deus quidem vult omnes homines salvos fieri, sed per media a sé statuta, ac praecipue per fidem supernaturalem in Deum creatorem, iustificantem et salvantem.

318. Ad 2. *D.* Et isti propterea non damnantur praecise ob infidelitatem negativam, sed damnantur vel ob peccatum originale, vel ob peccata actualia, ut dictum est, *C.*; secus, *N.*

319. Ad 3. *D.* Si diceretur, hominem infidelem illuminari interius illuminatione naturali ad iustificationem assequendam, *C.*; si illuminatione supernaturali, *N.* Quum theologi docent, infidelem rite viventem a Deo interius illuminari, haud loquuntur de illuminatione naturali, quae certe nihil ad iustificationem ac propterea ad salutem conferret, ut fides docet; sed aiunt, Deum ipsi praesto fore auxilio gratiae suae ad fidem, aut revelatione interna, aut praedicatione.

320. Ad 4. Falsum negatur suppositum, dum assumitur, infidelem per illuminationem naturalem praeparari aut perduci ad iustificationem; quae profecto naturalis illuminatio ac iustificatio nuspiam promissa est.

321. Ad 5. *D.* Si non spectaret ad divinam providentiam offerre sufficientia media ad salutem omnibus hominibus, *C.*; si talis sit Dei supernaturalis providentia, *N.* Hoc ipso enim, quod Deus vult omnes homines salvos fieri, ac nemo possit salutem adipisci sine fide; omnibus non ponentibus obicem, quandoque etiam obicem ponentibus (quia non ex merito), largitur ex

sua misericordia ac intuitu meritorum Christi, aut illustrationem internam supernaturalem, seu revelationem, aut efficit, ut habeant instructionem externam de iis, quae ad fidem pertinent, et sic iustificari et salvari possint. Ideoque inter miracula non referenda est haec agendi ratio, quae spectat ad ordinariam supernaturalem Dei providentiam.

322. Ad 6. *Neg.* Sequelam, ut patet ex dictis. Atque hic obiter adnotamus differentiam, quae intercedit inter primam gratiam iustificantem et primam auxiliantem seu vocantem, quod ad illam necessaria sit in adultis dispositio, ad istam vero non sit necessaria, sed satis adultis sit, ut non ponant obicem, seu faciant, quod in se est: quin etiam nec absolute hoc ipsum est necessarium, cum constet, a Deo positive indignis interdum hanc suam gratuitam vocationis gratiam conferri, et quidem, cum voluerit, et quomodo voluerit.

323. Ad 7. *N.* Votum enim, sive explicitum, sive implicitum, quod oriatur ex sola fide naturali, ex dictis nihil confert ad iustificationem, ideoque in nullo casu sufficit ad salutem obtinendam.

324. Ad 8. *N.* ad prob. *D.* Ex s. Thoma puer, qui faciat quod in se est, foret iustificandus mediate, *C.*; immediate per actum naturalem, *N.* Alioquin s. Doctor minime scripsisset: *Si aliquis taliter nutritus ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quae sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei praedicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium* (1).

PROPOSITIO III.

Post sufficientem fidei christianae promulgationem omnibus necessaria est fides explicita in SS. Trinitatis et Incarnationis mysteria, saltem necessitate praecepti.

325. Haec propositio, in qua agitur de necessitate praecepti credendi explicite mysteria SS. Trinitatis et Dominicae Incarnationis post sufficientem fidei christianae promulgationem, dummodo rite intelligatur, nullam prae se fert difficultatem. Etenim non obligat praeceptum eiusmodi divinum, nisi eos ad quos divina revelatio pervenit, adeo ut immunes a culpa sint, qui ignorantia invincibili laborant, tanquam violati praecepti, prout fert ipsa praecepti, aut si placet, legis natura.

326. Haec autem promulgatio relativa est, non solum quoad nationes, sed etiam quoad individua singula. De nationibus quidem constat de facto; ecquis enim dixerit, fuisse sufficienter promulgatam evangelicam legem americanis, antequam Americae detegerentur? Idem dic de populis Australiae et Oceaniae, qui nonnisi elapso saeculo detecti sunt, et sic de aliis, si qui forte detegantur.

327. Quoad individua vero singula, si ipsis haec mysteria non innotuerint, adeo ut invincibili ignorantia detineantur, perinde est, ac si pro ipsis non essent promulgata. Quid mea refert, si in aliqua provincia aut civitate praedicata fuerit evangelica lex? Iam vero negotium iustificationis et salutis personale est. Repugnat quempiam tanquam violati praecepti reum damnari, cui

(1) Quaest. 14 *De verit.* art. 11, ad 1. Quod alibi etiam repetit, additque l. c.: « Hoc ad divinam providentiam pertinet, ut quilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte eius non impediatur.

praeceptum ineluctabiliter et invincibiliter ignotum est.

328. Ideoque isti omnes in eadem conditione versantur, ac illi, qui ante Christi adventum vixerunt, quos nemo dicet praecepto positivo adstrictos fuisse ad credendum explicite his mysteriis.

329. Demum animadvertimus, cum nos dicimus, teneri omnes ad credenda explicite hoc tempore legis gratiae duo illa mysteria, non in sensu exclusivo id affirmari, perinde ac si plura alia christiani de praecepto explicite credere non teneantur. Nam exploratum est, teneri fideles omnes, saltem quoad substantiam, credere explicite, quae continentur in symbolo apostolico, in oratione dominica, in decalogo, ac praeterea doctrinam callere de sacramentis, praesertim quae in usu quotidiano sunt, aliaque scitu necessaria adversus vigentes errores protestantium, ut istorum vitent insidias. Ideo vero coarctavimus ad duo enunciata mysteria propositionem nostram, quia haec principalia sunt, et a quibus cetera dependent.

330. Adiecimus autem in propositionis enunciatione: *Saltem ex necessitate praecepti*, ne praeoccupare videremur quaestionem alteram inter theologos agitatam, num omnibus de necessitate medii necessaria sit ad salutem fides explicita in duo haec mysteria; de qua paulo post agemus.

331. Quibus ita explanatis, sic iam assertam propositionem adstruimus: Illa mysteria sunt ab omnibus ex praecepto divino credenda explicite, quorum necessitas a Christo et apostolis in sacris litteris inculcatur ad salutem obtinendam; atqui talia sunt duo haec praecipua mysteria. Ergo.

332. Cum de maiori per se constet, statim sic veritatem minoris evincimus. Christus Io. XVII, 3, inquit: *Haec est autem vita aeterna; ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti, Iesum Christum;* quibus verbis utrumque mysterium simul complexus est. Iam vero si vita aeterna in hac cognitione seu fide consistit, plane consequitur, sine hac cognitione ac fide vitam aeternam haberi haud posse. Sic Marc. XVI, 16, generatim pronunciat de iis, quibus praedicatio evangelii facta est: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. qui vero non crediderit, condemnabitur.* In particulari autem de Incarnatione haec leguntur Io. III, 14, 15: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis; ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam;* quibus verbis ostendit Christus, ita absolvi homines a peccatorum vinculis per fidem Iesu Christi eiusque redemptionis, quemadmodum Israëlitae sanati sunt a serpentum morsibus per conspectum serpentis aenei.

333. Vix supervacaneum non videtur congerere Patrum testimonia ad hoc ipsum adstruendum ex perpetua ecclesiae doctrina. Satis propterea sit verba afferre s. Augustini: *Si non gratis Christus mortuus est, ergo omnis humana natura iustificari et redimi ab ira Dei iustissima, hoc est a vindicta, nullo modo potest, nisi per fidem et sacramentum sanguinis Christi* (1); et alibi idipsum passim inculcat (2). S. Augustini vestigiis inhaerens doctor angelicus: *Post adventum Christi,*

(1) Lib. *De nat. et grat.*, cap. 2.
(2) Lib. *De praedest. sanctor.* cap. 7; ac etiam in lib. *De corrept. et grat.*, cap. 7.

scribit, *redemptionis mysterium omnes tenentur explicite credere* (1); et rursum : *Post tempus gratiae revelatae tam maiores quam minores tenentur habere fidem explicitam de mysteriis Christi, praecipue quantum ad ea quae in ecclesia solemnizantur, et publice proponuntur, sicut sunt articuli Incarnationis* (2).

334. Nec minus necessariam esse omnibus adultis, saltem necessitate *praecepti*, post evangelii promulgationem distinctam cognitionem et explicitam fidem misterii SS. Trinitatis, ibidem s. Doctor ostendit ex eo, quod mysterium Incarnationis explicite credi non potest sine fide SS. Trinitatis, quia in mysterio Incarnationis continetur, quod Filius Dei carnem assumpserit, quod per gratiam Spiritus sancti mundum innovaverit, et praeterea de Spiritu sancto fuerit conceptus. Et ideo eodem modo, quo mysterium Incarnationis Christi ante Christum fuit explicite creditum a maioribus, implicite autem et quasi obumbrate a minoribus, ita etiam et mysterium SS. Trinitatis. Et ideo post tempus gratiae divulgatae tenentur omnes ad explicite credendum mysterium SS. Trinitatis; et omnes qui renascuntur in Christo, hoc adipiscuntur per invocationem SS. Trinitatis (3).

PROPOSITIO IV.

Adulti omnes pariter ex divino praecepto tenentur distincte scire et explicite credere omnia quae apostolorum symbolo, quae oratione dominica, quae decalogo continentur, nec non quae pertinent ad ea sacramenta quae suscipere debent; implicite vero omnia quae credit ecclesia.

335. Quae ad christianam institutionem spectant, alia speculativa sunt, alia practica; utraque apte callere debent saltem quoad substantiam, ut loquitur s. Thomas, quicumque christiana professione censentur. Ita enim ista cohaerent, ut sine distincta eorum notitia neque christianus quis recte appelletur, nec possit christiani nominis officiis recte fungi. Symbolum enim nihil aliud est, quam formula quaedam, qua praecipua fidei capita continentur, quae pertinent ad Dei unitatem et personarum Trinitatem, in qua baptizamur, ad singula Incarnationis et redemptionis mysteria, per quae salvi efficimur, ad ecclesiam, cui cooptamur, ad resurrectionem ex mortuis et beatitudinem, quas expectamus. Oratio vero dominica ea complectitur, quae Christus omnes petere docuit, et quibus salutem, salutis media omniaque necessaria a Deo efflagitare debemus.

336. Illustre huius rei argumentum est, quod ecclesia consuetudinem ab apostolica aetate receptam constanter retinuit, ne ullum ad regenerationis sacramentum, nisi praemissa symboli et orationis Dominicae recitatione, praeter necessitatis casum admitteret (4). Hinc concilium Moguntinum can. XLV statuit: *Symbolum, quod est signaculum fidei, et orationem dominicam discere semper admoneant sacerdotes populum christianum, volumusque, ut disciplinam condignam habeant, qui hoc discere negligunt* (5). Similia habent concilia Agathense, Bracharense et Cabillonense apud Suarez (6).

337. Cum vero christiana professio non in mentis solum, verum

(1) In 3 sent. dist. 25, q. 2, n. 2.
(2) II, 2, q. 2, art. 7.
(3) II, 2, q. 2, art. 8.

(4) Cf. Lazzeri in exercitat. *De antiquis formulis fidei, earumque usu*, n. 3 et 4.
(5) An. 813 apud Harduin. *Acta concil.* tom. 4, col. 1016.
(6) Cf. disp. 13, sect. 4.

etiam in voluntatis obsequio sita, omnibusque christianis dictum sit: *Si vis ad vitam ingredi serva mandata;* hinc facile videt unusquisque, eodem praecepto, quo ad decalogi observantiam omnes adstringuntur, obstringi ad id quoque, ut eius distinctam notitiam sibi comparent; cum unum sine altero esse nullo modo possit; idemque, ex paritate rationis, dicendum esse de necessitate discendi, quae pertinent ad ea sacramenta, quorum susceptio omnibus praecipitur.

338. Facile etiam ex his unusquisque intelligit, distinctam, quae praecipitur, harum doctrinarum notitiam non esse verborum tantum, sed ipsarum praecipue rerum, quae verbis includuntur. Quamvis enim ecclesiastico praecepto omnes iubeantur communes eas formulas, quae omnium ore teruntur, symboli, orationis Dominicae ac decalogi, memoria tenere, non tamen divino praecepto satisfaciunt, nisi qui singularum sensum pro uniuscuiusque capacitate, et, quemadmodum dictum est, quoad substantiam ita percipiunt, ut eas veritates cognitas habere ac perspectas vere dici possint. Cuius rei licet argumentum capere ex sollicitudine illa qua ecclesia tam saepe mandat animarum rectoribus, ut haec omnia fidei morumque capita fidelibus curae suae concreditis non modo tradant, sed praeterea evolvant, explanent, eorumque captui accommodent. Fideles vero vehementer hortatur, ut pastorum suorum instructionibus sedulo diligenterque intersint (1).

339. Exinde colligitur, gravi hu-

ius praecepti violatione se reos constituere 1° omnes, qui directionis onus assecuti ea media praetermittunt, quibus hac tam necessaria scientia erudiantur, eiusque gravi ignorantia laborant.

340. 2° Parentes eosque omnes, qui pueros instituere debent, si in gravi muneris huius negligentia versantur, vel saltem, si per se id efficere non valeant, aliorum idoneorum instructorum opera non utuntur.

341. 3° Confessarios omnes absolutionis beneficium impertientes iis, qui tali culpabili ignorantia laborant, nec eam depellere nituntur. Quo spectat proscripta ab Innocentio XI propositio... *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium SS. Trinitatis et Incarnationis D. N. I. C.* (2), nec non gravissima verba quae habet Benedictus XIV in constit. *Etsi minime: Curabit episcopus, ut sacerdos, excipiens confessiones, fixum illud immotumque animo habeat semper, invalidam esse absolutionem sacramentalem, quam quis ignoranti res necessarias necessitate medii impertitur, nec posse homines Deo per huiusmodi sacramentum reconciliari, nisi prius, excussa huius ignorantiae caligine, ad agnitionem fidei educantur. Sedulo etiam animadvertet confessarius, in aliud tempus reiiciendam esse absolutionem illius, qui necessaria necessitate praecepti suo vitio nescit; et eo quandoque casu poenitentem absolvi posse, quo se vincibilis huius ignorantiae reum*

(1) *Catech. Rom.* in praef. n. 16, inter cetera haec habet: « Observanda est audientium aetas, ingenium, mores, conditio, ut, qui docendi munus exercet, omnia omnibus efficiatur, ut et omnes Christo lucrifaciat... Neque vero, unius tantum generis homines fidei suae commissos esse, arbitretur, ut praescripta quadam et certa docendi formula erudire atque ad veram pietatem instituere aeque omnes fideles possit, etc.

(2) Quae est propos. 64.

cognoscat et accuset ; ac intime dolens, tum a Deo veniam precetur, tum confessario serio promittat, operam se impense daturum, qua divinae gratiae praesidio, discat etiam necessaria necessitate praecepti (1).

342. Teneri demum omnes implicita fide credere omnia, quae credit ecclesia, ex eo patet, quod ex una parte nemo possit veram habere fidem, nisi credat omnia, quae per ecclesiae magisterium constat esse a Deo revelata; ex altera vero, cum multae veritates revelatae nec plerorumque captui sint accommodatae, nec earum notitia singulorum aedificationi ac saluti sit necessaria; hinc tenentur quidem ad eas distincte cognoscendas ecclesiae pastores atque doctores; sufficit tamen vulgo fidelium, ut eas credant fide implicita, id est in fide ecclesiae.

343. Cum vero nunc temporis protestantes ingenti animorum aestu ubique locorum catholicos a veritate abducere connitantur, eosque, simpliciores rudioresque praesertim, malis artibus obsideant ad eos seducendos; praemuniendi maxime sunt circa articulos, quos illi praecipue aggrediuntur. Quapropter inculcanda catholicae plebi est doctrina de nulla extra catholicam ecclesiam salute perpetuaque damnatione illorum, qui se ab haereticis seduci patiuntur; item apprime instituendi sunt circa necessitatem adhaerendi romano Pontifici, capiti visibili totius ecclesiae, circa doctrinam de reali Christi praesentia in Eucharistia, circa necessitatem auricularis confessionis ad obtinendam peccatorum veniam, circa cultum sanctorum, eorumque imaginum venerationem, circa proprietates et notas verae Christi ecclesiae.

Sunt enim haec, ut plurimum, argumenta, quibus ipsi abutuntur. Communiendi propterea rudes potissimum sunt ac feminae, quae sub quadam pietatis specie facilius decipiuntur (2).

Discussio opinionum

Catholicorum theologorum circa necessitatem medii explicite credendi ad salutem obtinendam praecipua mysteria SS. Trinitatis et dominicae Incarnationis.

344. Consulto hactenus, quae penes omnes rata sunt circa necessitatem fidei supernaturalis ac theologicae ad obtinendam salutem, sive agatur de *necessitate medii*, sive agatur de *necessitate divini praecepti*, statuimus ac vindicavimus. Nunc salebrosam attingimus controversiam, quae adhuc in scholis viget, num scilicet pro omnibus omnino hominibus fuerit ac sit necessaria *necessitate medii* cognitio et fides explicita duorum praecipue mysteriorum Trinitatis et Incarnationis, adeo ut, etiam si quis ignorantia invincibili laboraverit, aut etiam laboret inter infideles, quibus annunciatum non fuerit evangelium, aut quibus non innotuerit divina revelatio, extra salutis viam reperiatur. Cum vero nostrum non sit

(1) In eius bullario tom. 1, ed. Rom. pag. 112.

(2) Sunt enim protestantes qui proselytismum exercent, veluti totidem Protei, de quo Virgilius cecinit *Georgic.* 4, v. 441, seqq. « Omnia transformat sese in miracula rerum, ignemque, horribilemque feram, fluviumque liquentem. Ut plurimum perditos quosque exlegesque seducunt, libertatemque eis in facinora quaeque ruendi pollicentur novo evangelio. Quum vero feminas ad pietatem proclives cernunt, eas adornantur pietismo ac pseudomysticismi obtentu, eisque sine fide sentimentalismum inspirant, sicque eas irretiunt; cumque captae fuerint, in vapores devotionis evanescunt, dum superbia tument.

litem hanc dirimere, quae patronos suos habet in utramque partem, iuxta methodum, quam nobis praestituimus, recensebimus praecipuos auctores uniuscuiusque sententiae et diversos gradus, quos distinguunt; deinde praecipua pariter afferemus argumenta, quibus adstipulatores alterutrius sententiae innituntur; demum iudicium proferemus recentiorum auctorum circa maiorem aut minorem probabilitatem eiusmodi placitorum, distinctis paragraphis.

§ I.

Recensentur auctores, qui vel adstruunt, vel impugnant necessitatem absolutam fidei explicitae praedictorum mysteriorum ad salutem obtinendam.

345. Cum plures controversiae ex defectu determinationis accuratae terminorum oriri soleant, praestat exponere, quid intelligatur nomine *fidei explicitae*.

Iuxta Suarezium *fides explicita* illa dicitur, quae sufficit ad reddendam rationem de tali obiecto in particulari: *implicita* vero est, quae ad id non sufficit; cuiusmodi est, qua rusticus credit et tenet omnia, quae credit et docet catholica ecclesia (1).

346. Itaque fidem explicitam in Christum et SS. Trinitatem, saltem post Christi adventum, omnibus prorsus necessariam esse *necessitate medii* ad salutem, tenent inter ceteros Valentia, Lorca, card. Gotti, cum plerisque Thomistis.

Fidem item in Christum, quatenus est mediator et redemptor aliquis ad homines salvandos, ignorando adhuc modum redemptionis, et an redemptor sit homo Deus, explicitam in novo Testamento necessariam esse ad salutem, praeter recensitos auctores adstruxerunt Alex. Alensis, Albertus M., Bonaventura, Scotus, Becanus, Simonnet, Salmanticenses, aliique, qui insuper tenuerunt necessariam explicitam fidem in divinitatem et humanitatem Christi atque ab ipso redemptionem factam per passionem, mortem et resurrectionem suam. Alii demum contenderunt, eandem explicitam fidem nunc quidem necessariam omnibus esse ad salutem assequendam, non autem ad iustificationem, uti Canus, Ledesma, Bannez, nonnullique alii (2).

347. Istos igitur omnes, non obstantibus variis modificationibus, complectimur sub unica classe affirmantis sententiae de absoluta necessitate fidei explicitae tum in Christum mediatorem et redemptorem, tum in SS. Trinitatem, respective aut pro utroque Testamento, aut pro tempore saltem Testamenti novi, seu legis gratiae.

348. Contra vero partem negantem eiusmodi necessitatem tum pro lege naturae, tum pro lege scripta, seu ante Christi adventum, professi sunt Suarez, Turrianus, Sanchez, Hurtado, Kilber, aliique non pauci. Sed neque necessariam explicitam fidem ad iustificationem et salutem in novo Testamento, seu post Chri-

(1) Tum in disput. 2, sect. 6, n. 3, ubi scribit: « Explicite credere nihil aliud est, quam credere aliquid in se ipso, ita ut illud sit proximum obiectum, in quod cadit assensus fidei; credere autem implicite est credere in alio tantum; quia quod sic creditur, revera non cognoscitur; » tum disp. 12, sect. 3, n. 1: « Duobus modis potest aliqua fides vocari explicita; uno, quia est perfecta et distincta, ita ut, qui illam habet, possit non solum assentiri mysterio, sed etiam illud explicare et aliquam rationem illius reddere... Huic opponitur fides implicita, idest confusa, et in alio universali vel materiali obiecto contenta. »

(2) Quae recenset card. Gotti in tract. *de fide*, q. 2, dub. 4, § 1; item Kilber, tract. *de virtute theolog.* cap. 2, art. 5, q. 2.

sti adventum, affirmarunt praeter auctores adductos Michaël Medina, Iovell, Zumell, Hugo a s. Victore, s. Bernardus, Lugo, ut ceteros praetermittam (1).

349. Atque hos nominatim recensuisse, qui pro alterutra sententia pugnant, satis sit; qui videri possunt tum in propriis lucubrationibus, tum in recentiorum operibus, qui auctores, de quibus supra commemoravimus, allegant (2). Interim ex mira hac sententiarum discrepantia unusquisque videt, nihil certi pro alterutro placito constitui posse. Ut tamen pateat, quid verisimilius tenendum sit, utriusque respective sententiae, tum affirmantis, tum negantis *necessitatem medii* ad salutem fidei *explicitae* in Christum et SS. Trinitatem, fundamenta praecipua iam subiicimus.

§ II.

Praecipua fundamenta exponuntur, quae afferri consueverunt a theologis pugnantibus pro sententia affirmante necessitatem absolutam fidei explicitae in utrumque mysterium.

350. Ac primo, qui adstruunt hanc necessitatem etiam ante Christi adventum, tum in lege naturae tum in lege scripta, his argumentis utuntur:

Ex sacris litteris eiusmodi necessitas satis clare elucet; nam Habacuc II, 3, de Christo dicitur: *Apparebit in finem et non mentietur: si moram fecerit, expecta illum*, et v. 4 additur: *Qui incredulus est, non erit recta anima eius... Iustus autem in fide sua vivet.* Quae posteriora verba ita effert apostolus Hebr. X, 38: *Iustus meus ex fide vivit*, et Rom. I, 16, 17: *Virtus Dei est in salutem omni credenti, iudaeo primum et graeco. Iustitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem*, id est ex fide futuri in fidem praesentis. Hinc Christus ipse Io. XVII, 3: *Haec est*, inquit, *vita aeterna; ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti, Iesum Christum.* Quae quidem Scripturae verba de sola fide implicita in Christum intelligi nequeunt, cum fides implicita revera non sit proprie fides Christi, sed alterius obiecti; adeoque, si in hoc articulo fas esset Scripturam de sola fide implicita exponere, eadem ratione id fieri posset de fide totius obiecti supernaturalis, quod nemo admittet.

351. His addunt auctoritatem Patrum, praesertim vero s. Augustini, tum in epist. CIX, tum in lib. XVIII *De civit. Dei*, cap. 47, ubi scribit, ante Christi adventum aliquos ex gentilibus fuisse, qui Deo placuerunt; tum vero addit, nemini concessum fuisse iustum esse, nisi cui divinitus revelatus est unus mediator Dei et hominum.

352. Qui vero eandem necessitatem fidei explicitae saltem in *statu gratiae*, seu post Christi adventum, propugnant, his permoventur motivis: Unicum medium salutis est Christus Iesus, dicente Petro, Act. IV, 12: *Et non est in alio aliquo salus; non enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*, et Paulo I. Cor. III, 11: *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus Iesus.* Ex quibus colligunt, ita esse necessariam fidem explicitam ad salutem in Christum sub lege evangelica, prout erat necessaria explicita fides in Deum auctorem supernaturalem ante Christi adventum. Confirmantque ex iis quae Christus Io. XIV, 1, dixit apostolis suis: *Creditis in*

(1) Apud Suarez, disp. 12, sect. 3.

(2) Cf. inter ceteros Kilber loc. cit.

Deum, et in me credite; et quae scripsit Paulus I. Timoth. II, 5: *Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus.* Cum vero sine fide explicita unius Dei nemo possit iustificari, ita nec sine fide explicita unius mediatoris Christi. Insuper ad eum modum, quo in veteri lege, quae erat umbra futurorum, nemo poterat iustificari et salvari sine fide saltem implicita in Christum; ita nemo nunc, postquam ille apparuit, potest iustificari et salvari sine fide explicita in ipsum.

353. Urgent praeterea auctoritatem s. Augustini, qui in lib. *De praedest. Sanct.*, c. 7, loquens de Cornelio, ait: *Si posset sine fide Christi esse salvus non ad eum aedificandum mitteretur architectus apostolus Petrus*, et iterum in lib. *De corrept. et grat.*, cap. 7, ita perstringit monacos adrumetinos: *Si enim ut veritas loquitur, non liberantur a damnatione, quae facta est per Adam, nisi per fidem Iesu Christi, et tamen ab hac damnatione non se liberabant, qui potuerunt dicere, se non audivisse evangelium Christi, cum fides ex auditu sit; quanto minus se liberabunt, qui dicturi sunt: Perseverantiam non accepimus? Iustior enim videtur excusatio dicentium: Non accepimus audientiam, quam dicentium: Non accepimus perseverantiam.* Quibus verbis videtur s. Doctor tanquam certum assumere, neque ipsam invincibilem ignorantiam excusare eum, qui destitutus est fide explicita in Christum.

354. His addunt auctoritatem s. Thomae in 3 sent., dist. 25, q. 2, art. 2, q. 2, scribentis: *Post adventum Christi, quia iam mysterium redemptionis impletum est, et corporaliter, et visibiliter, et praedicatum, omnes tenentur ad explicite credendum. Et si aliquis instructorem non haberet, Deus ei revelaret, nisi ex sua culpa remaneret.*

355. Et sane, inquiunt, si fides implicita sufficeret, quorsum Deus aut per se revelaret, aut quorsum mitteret instructorem, prout misit ad Cornelium, ad eunuchum reginae Candacis, ad Macedones? quorsum Christus misisset apostolos, et ecclesia tot missionarios quotidie mitteret ad evangelium tot laboribus disseminandum? Si enim non haberetur nisi necessitas *praecepti fidei* explicitae, omnes laborantes ignorantia invincibili salvari possent.

356. Certum praeterea est, in lege gratiae neminem salvari sine Baptismo aut in re, aut in voto suscepto; sed Baptismus est professio explicita Christi, et SS. Trinitatis, et votum Baptismi includit fidem explicitam Christi. Insuper nemo catholicorum affirmaverit, aliquem non christianum salvari posse: ast christianus nemo est sine fide explicita Christi; in hoc enim distat christianus a iudaeo; alioquin iudaeus, qui fidem implicitam Christi habet, posset dici christianus (1).

357. Non est, quod proferamus argumenta Cani ceterorumque, exigentium fidem explicitam ad glorificationem, non autem ad iustificationem, utpote antiquata.

§ III.

Argumenta pro sententia negante necessitatem medii fidei explicitae eorundem mysteriorum ad salutem obtinendam.

358. Huius sententiae propugnatores, supposita distinctione inter fidem generalem in Deum iustificatorem et salvatorem hominum per media sua providentia disposita, in

(1) Haec fere sunt argumenta, quae pro hac sententia affert Card. Gotti *de fide*, q. 2, dub. 4, § 2.

qua generaliter redemptio per Christum continetur, et suppositis aliis gradibus, quibus creditur in aliquem redemptorem, seu mediatorem inter Deum et homines ad illos salvandos, quin compertum sit, an ille mediator futurus esset Deus, neque per quem modum esset salutem hominum operaturus; distinctione insuper facta inter cognitionem, qua divinitas quidem Redemptoris cognoscitur, ignoratur tamen modus redemptionis, eamque cognitionem, qua cognoscitur Christus ut verus Deus et homo, qui per passionem, mortem et resurrectionem suam consummaverit redemptionem: distinguunt praeterea tempora, aut quae praecesserunt Christi adventum, aut ante promulgationem evangelii per universum mundum, aut post eiusmodi promulgationem.

359. Quibus praemissis, quoad primum gradum concedunt omnes, fidem illam explicitam generalem fuisse omnino quovis tempore necessariam, utpote quae oriatur ex ipsa natura fidei supernaturalis, sine qua nec iustificatio, nec salus obtineri possunt, prout et nos adstruximus.

360. Quoad alios gradus, fuisse necessariam fidem explicitam ante Christi adventum, prout etiam includit mysterium SS. Trinitatis, prorsus inficiantur, his potissimum ducti rationibus: 1° quia, Scriptura teste, fides illa erat valde obscura et quasi in umbra et figura; siquidem I. Cor. x, 4 agitur de ipsis hebraeis: *Bibebant autem de spirituali, consequente eos, petra; petra autem erat Christus* (II. Cor. III, 14, 15). *Usque in hodiernum diem idipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non revelatum (quoniam in Christo evacuatur), sed usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum;* praecipue vero Gal. III, 23, dicitur: *Prius autem quam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quae revelanda erat.* Iamvero, aiunt, quod est medium necessarium ad salutem, debet esse omnibus aperte notum et manifestatum; quod si erat obscurum et occultum ipsis iudaeis, multo magis obscurum et occultum fuit gentilibus. Impossibile proinde est statuere eiusmodi fidem explicitam tanquam medium absolute necessarium ad salutem. 2° Quod quidem confirmant auctoritate concilii Tridentini, quod sess. VI, cap. 2, dicit Christum et ante legem, et legis tempore multis sanctis Patribus declaratum et promissum; ergo apparet, non fuisse revelatum omnibus, nec propterea omnibus indiscriminatim fuisse hac fide explicita creditu necessarium.

361. Imo quoad iudaeos speciatim adnotant, quod, si in populo illo idiota aliquis et indoctus haberet ignorantiam invincibilem Messiae venturi, per fidem Dei Salvatoris et remuneratoris vivam, ac per dilectionem Dei posset salvari; quin etiam addunt, haud certum esse communem populum iudaeorum cognovisse, Messiam fuisse venturum ut redemptorem et salvatorem animarum, cum exploratum sit errorem valde vulgarem viguisse expectationis Messiae ut regis temporalis corporumque redemptoris, qua profecto fide salutem aeternam non adipiscebantur; poterant tamen salvari per fidem praedictam. Quod a fortiori de gentibus valet.

362. Qui praeterea negant *necessitatem medii* eiusdem fidei explicitae in eadem mysteria, sive ante sive post sufficientem promulgationem evangelii, his argumentis permoventur: Fides explicita in Christum, ac propterea in SS. Trinita-

tem, quae in ea includitur, non est ex natura rei moralis necessaria *necessitate medii* ad iustificationem et ad salutem, tum quia haec necessitas ex natura rei declarari nequit, tum quia sine illa ex sola fide Dei remuneratoris potest elici actus amicitiae supernaturalis perfectus, iustificandi vim habens, tum quia stare potest fides sola Dei ut remuneratoris, atque idcirco etiam amor Dei, nondum habita Christi fide.

363. Haec porro ex eo confirmant, quod, ut aliquid dicatur *medium necessarium* ad salutem, si id ex ipsa rei natura cognosci nequeat, debet saltem ut tale ita clare a Deo esse propositum ac promulgatum omnibus omnino hominibus, ut id nullius notitiam effugiat, ac de eo nullus prudenter dubitare queat, ut patet tum ex paritate de primariis praeceptis naturalibus, tum ex paritate praecepti positivi, quod sub dubia tantum promulgatione seu existentia non obligat. Iam vero nemo dicet, fidem explicitam in Christum et in SS. Trinitatem tanquam medium necessarium ad salutem ita esse a Deo clare propositam et revelatam. Nam 1° clarissimus textus Scripturae de natura et absoluta necessitate fidei etiam in novo Testamento est ille apostoli (Hebr. xi, 6). At vero in eo fides in Christum non requiritur, sed solum in Deum existentem et remuneratorem. 2° Alii textus explicari aliter possunt, quam de necessitate medii. 3° De hac necessitate non solum dubitant gravissimi auctores, sed eam prorsus negant, iique multi doctrina et pietate commendabiles. Et sane nisi quis de ea fide solerter instituatur, eam penitus ignorat; ast institutor eiusmodi ad innumeras gentes non pertingit.

364. Rursum, plerisque fatentibus, tum in lege naturae, tum in lege scripta ante Christi adventum fides explicita in Christum, atque SS. Trinitatem non erat necessaria *necessitate medii* ad salutem: ergo, inferunt, neque post Christum, sive ante, sive post sufficientem fidei evangelicae praedicationem, talis censenda est; alioquin per Christi adventum iustificatio seu via ad salutem facta fuisset hominibus difficilior, quam antea esset iis, quibus Christus annuntiatus non est, aut eum inculpabiliter ignorant. Item divina bonitas ac salvandi voluntas ad pauciores coarctata fuisset. Accedit, quod in contraria sententia iustificatio inter infideles negativos nunc deberet fieri per miraculum, cum ante Christi adventum sine eo et communius haberi potuisset. Demum subdunt, si fundamentum huius absolutae necessitatis expendatur, res manifestior fiet. Nam fides in Christum explicita non est formalis causa iustificationis, ut certum est contra haereticos, nec est ex natura sua requisita, ut per se patet, et omnes fatentur, sed solum ideo necessaria est, quia omnino decet, ut iustificatus agnoscat auctorem et causam moralem suae iustificationis et salutis. Porro haec decentia non arguit necessitatem *medii*, sed solius *praecepti*, cum sufficienter et absolute suppleri possit per fidem Dei remuneratoris, qui prima et principalis causa est iustificationis.

365. Quod dictum est de fide explicita in Christum pro novo Testamento, id ipsum a fortiori dicendum de fide explicita in mysterium SS. Trinitatis. Si enim non est necessaria necessitate medii fides explicita in Christi divinitatem; profecto neque erit necessaria fides explicita in SS. Trinitatem, sine qua fides illa haberi nequit.

366. Post haec viam sibi parant

ad eliminandas difficultates omnes, quae sive ex Scripturis, sive ex patribus congeruntur.

Scripturarum testimonia, quae huic doctrinae adversari videntur, ad tres classes revocantur. Prima classis ex his textibus exurgit; Io. XI, 25: *Ego sum resurrectio et vita; qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet;* item Rom. III, 22: *Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes, et super omnes qui credunt in eum;* Act. XXVI, 17, 18: *Nunc ego mitto te... ut accipiant* (gentes) *remissionem peccatorum, et sortem inter sanctos per fidem, quae est in me.* Altera classis ex his conficitur; Io. III, 14, 15: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis; ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat;* item Act. IV, 12: *Non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri;* et Io. XVII, 3: *Haec est autem vita aeterna: ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti, Iesum Christum.* Tertia denique classis his conflatur; Io. III, 18: *Qui credit in eum* (Filium hominis) *non iudicatur; qui autem non credit, iam iudicatus est; quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei;* sic Io. VIII, 24: *Si non crediderilis quia ego sum, moriemini in peccato vestro;* ac Gal. II, 16: *Scientes, quod non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi.*

367. Verum ex his facile se extricant, respondendo: 1° eiusmodi testimonia nimis probare: siquidem per haec probaretur etiam, homines in vet. Testamento non potuisse salvari sine fide divinitatis ceterorumque attributorum Christi, quod nemo contendit; 2° nec posse de facto ullum salvari, nisi post explicitam nominis Iesu confessionem, quod dici nequit. Itaque prima classis probat dumtaxat fidei efficaciam in Christum, secunda necessitatem meritorum Christi, tertia necessitatem fidei in Christum tantum *de praecepto*, et ex supposito praedicationis de Christo, quam qui non susceperint, vel ob ignorantiam vincibilem vel ob defectum fidei imperatae, peccant ac iure damnantur. Et equidem universim ad explananda deinde testimonia singillatim, distinguunt inter Christum ut obiectum fidei, et prout est causa meritoria salutis omnibus prorsus hominibus: posterius hoc est verissimum et praedicatur in sacris litteris, prius vero non item, sed sufficit, praescindendo a praecepto, fides implicita (1).

368. Quod vero spectat ad patres et concilia, praesertim ad Augustinum, cuius verba maiorem difficultatem ingerunt, respondent, vel nimis probare, quod scilicet fuerit necessaria fides explicita ad iustificationem et salutem in Christum, tum in lege naturae, tum in lege scripta, tum in lege gratiae, quod tamen adversarii non contendunt; vel exponenda eius verba esse negative, quatenus nemo unquam potuerit fieri salvus, qui negaverit istum articulum sibi propositum, prout dicitur in symbolo Athanasiano: *Haec est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit*, quin necesse sit positive fidelibus singulis explicite cognoscere et credere omnia, quae in symbolo illo continentur; nemo tamen absque salutis detrimento ea negaret. Hancque mentem esse sancti Doctoris, eruunt ex scopo refellendi Pelagianos negantes, de fide esse temporibus an-

(1) Ita de Lugo *de fide*, disput. 12, sect. 4.

teactis dogma de peccato originali (1).

369. Auctoritati s. Thomae reponunt, eum loqui de necessitate *praecepti*, cum doceat l. c. art. 7, teneri hominem credere explicite articulos Christi omnes, qui solemniter celebrantur; quod profecto intelligi nequit de necessitate medii, praesertim cum passim utatur verbo illo *tenentur*, quod proprie significat praeceptum. Quo verbo etiam utitur angelicus doctor in obiecto loco ex commentario in 3 sentent. Quod vero ibidem dicit de extraordinaria illuminatione Dei, exponitur de liberali Dei providentia in necessitate praecepti divini, ne secum committatur, cum alibi, nempe p. III, qu. 69, art. 4 ad 2 scribat: *Ante baptismum Cornelius et alii similes consequuntur gratiam et virtutes per fidem Christi et desiderium baptismi implicite, vel explicite.* Et reipsa non pauci Thomistae fatentur, s. Doctorem pro sententia de sola fide implicita consistere (2).

370. Sic etiam de fide implicita exponunt verba concilii tridentini sess. 6, c. 6 et 8, in quibus videtur adstruere necessitatem absolutam fidei ad iustificationem; nam aiunt, ipsum loqui de fide in Christum sub conceptu generico, non autem sub conceptu specifico. Sane in utroque textu adducuntur verba apostoli Hebr. XI, 6, quibus non exprimitur nisi fides explicita in Deum remuneratorem; ac praeterea ibi sermo est de communi et ordinario modo se praeparandi ad iustificationem; alioquin necessitate medii requireretur etiam fides ex auditu, praeter alias ex ordine recensitas dispositiones, quod nemo affirmaverit.

371. Ad ea porro, quae afferuntur de missione Petri ad Cornelium, Pauli ad Macedones, Philippi ad eunuchum, apostolorum ad gentes; missionariorum ab ecclesia ad ultimas regiones, respondent, 1° quia haec est ordinaria ratio, quam Deus statuit ad salvandas gentes; 2° quia iam est praeceptum grave ac universale de profitenda christiana fide ad salutem obtinendam; 3° quia de facto sine hac explicita fide pene nulli salvarentur ob multiplices rationes, praesertim vero ob ignorantiam culpabilem tum officiorum erga Deum, erga seipsos et erga societatem, tum ob pessimam vivendi rationem, utpote cupiditatum mancipia, aliaque permulta, quae longum esset enumerare atque ob ingentia bona, quae ex christiana fide obveniunt.

372. Utique, pergunt istius sententiae patroni, Baptismus necessarius est vel in re, vel in voto, sed quibus Christus annuntiatus est: nam quoad infideles pure negativos, ipsorum conditio immutata non est ab ea, quae sub lege naturae vigebat, quo tempore certe eiusmodi Baptismi susceptio non erat medium absolute necessarium, sive in re, sive in voto, ad salutem obtinendam, ut omnes fatentur. Sufficiens propagatio evangelii, ut antea dictum est, relativa est ad nationes et individua. Aut si placet, votum implicitum continetur in illa generali dispositione perficiendi, quidquid Deus voluerit, ad iustificationem et salutem sibi ab eo tribuendam (3).

373. Quoad illud autem, quod subditur, repugnare quempiam non chri-

(1) Cf. de Lugo, ibid. n. 101.

(2) Apud Suarez, disp. 12, sect. 3, n. 14, seqq.

(3) Cf. quae hac super re scripsimus in tractatu *de Baptismo*, cap. 5, *de necessitate Baptismi.*

stianum salvari posse ; distinguunt inter eum qui spectat ad ecclesiae animam per fidem habitualem et actualem una cum gratia sanctificante per Christum, et eum, qui praeterea visibiliter in ecclesia susceptus est. Iam vero, aiunt, licet secundo hoc sensu ille, qui destitutus est fide explicita duorum illorum mysteriorum, non possit dici christianus, attamen in primo sensu formaliter et coram Deo vere christianus est, idcoque capax salutis (1).

374. Reliquas vero difficultates, quae ex congruentia urgeri solent, de maiori necessitate fidei in novo quam in veteri Testamento, de convenientia, ut explicite cognoscatur et credatur auctor et via salutis, qui est Christus, aliasque eiusmodi missas facio, cum istae non arguant nisi maiorem necessitatem praecepti, minime vero medii (2).

Itaque haec capitulatim pro utraque sententia argumenta attigisse sufficiat; huius rei studiosiores ad patronos delegamus.

§ IV.

Iudicium exponitur recentiorum auctorum de utraque sententia.

375. Nemo negaverit, graves tum auctoritates, tum rationes suffragari tam uni quam alteri theologorum placito, qui vel propugnant, vel negant necessitatem medii fidei explicitae praecipuorum duorum mysteriorum, Incarnationis et SS. Trinitatis, ad iustificationem et salutem assequendam. Nemo praeterea inficias ibit, rem plane aleae plenam esse, velle pronunciare maiorem vel minorem probabilitatem, quam sibi unaquaeque sententia vindicat ; eo vel magis, quod praestantissimi auctores circa eiusmodi iudicium longe inter se discedant. Quamobrem nos maluimus aliorum potius quam nostram, utut exiguam, proferre sentiendi rationem.

376. Cardinalis Gotti (3) vocat sententiam asserentem medii necessitatem *probabiliorem et tutiorem* eamque propugnat; sententiam tamen negantem pronunciat valde probabilem (4). Sic etiam s. Alphonsus de Ligorio censet, affirmantem esse *probabiliorem*, negantem vero dicit *probabilem* (5). Cardinalis de Lugo e contrario existimat, sententiam negantem esse *probabiliorem*, atque uti talem adstruere nititur, et communem dicit inter recentiores, eamque adscribit s. Thomae (6). Kilber professor Wirceburgensis, seu Herbipolensis, celeber, vocat utramque sententiam *aeque probabilem* (7).

377. Eximius Suarez utramque conciliare opinionem adnisus est, scribens: *Dicendum est fidem explicitam Christi, per se loquendo, esse necessariam omnibus et singulis in statu legis evangelicae ad utramque salutem (nempe iustificationis et gloriae)*; *unde etiam dici potest me-*

(1) Cf. Lugo disp. 12, sect. 4, n. 104.

(2) Haec ex Suarezio, de Lugo, Kilber loc. cit.

(3) Loc. cit. (4) Ibid.

(5) Lib. 2, tract. *de fide*, n. 2, ubi, exposita prima sententia affirmante, quam probabiliorem putat, pergit: « Secunda autem sententia satis probabilis censet, necessitate praecepti omnes teneri credere haec mysteria explicite, necessitate vero medii sufficere credere implicite. »

(6) Disp. 12, n. 91.

(7) Art. 5 *de necessitate fidei*, n. 127, ubi statuit: « Dico 3, aeque probabile saltem est, nec in N. T. fidem explicitam de Christo esse medium necessarium ad iustificationem aut consecutionem salutis. » Viva pariter in propos. 65 ab Innocentio damn. n. 10 putat, posteriorem hanc sententiam aeque probabilem ac priorem. Ita etiam Laymann lib. 2 tract. 1, cap. 8, n. 1.

dium necessarium, *quamvis non semper in re, sed vel in re, vel in voto* (1). Loquitur autem de voto *cum fide implicita* (2) sive quoad mysterium Incarnationis, sive quoad mysterium SS. Trinitatis, ut ipsemet declarat.

378. Atque hactenus dicta intelligi debent de sententia sive affirmante, sive negante necessitatem medii fidei explicitae in utrumque mysterium pro tempore evangelicae legis; nam quod attinet ad eandem necessitatem sive sub lege naturali, sive sub lege scripta, nemo pene est, qui eam adhuc adstruat, ita ut haec sententia vix non obsoleta dici possit.

379. Quae cum ita se habeant, poterit unusquisque, salva fide, quam maluerit, sententiam amplecti, cum nihil expresse hac de re ecclesia definierit. Valebunt autem, quae exposita sunt, ad solvendas difficultates, quas christianae seu catholicae fidei hostes hac praesertim aetate urgent adversus doctrinam ecclesiae, quam ceu absurdam praedicant (3).

CAPUT VII.

DE OBLIGATIONE ACTUS FIDEI

380. Ex demonstratis in praecedente capite constat, teneri omnes ad eliciendum actum fidei, statim ac illa sibi sufficienter innotuerit, praecipue vero fideles christiana doctrina institutos. Moveri solet controversia, cuiusmodi sit obligatio, qua fideles, de quibus est sermo, tenentur elicere fidei actus vi eiusdem praecepti.

381. Cum duplex sit obligatio, quae ex fidei praecepto exurgit, altera negativa, altera vero affirmativa, circa negativam nulla est difficultas, siquidem obligat semper et pro semper: hinc nunquam licet, non modo actum fidei contrarium emittere, sed praeterea de fide vel minimum admittere dubium, quod eius firmitati quoquomodo adversetur. Itaque quaestio solum versari potest circa partem affirmantem.

382. Duo porro pars haec complectitur, scilicet et obligationem sciendi, quod credendum est, et credendi, quod ab ecclesia propositum est. Prior obligatio non tam absoluta quam relativa est. Nam ad pauciora explicite cognoscenda tenentur laici quam clerici, e clericis vero ad plura episcopi quam simplices sacerdotes, ut suo loco theologiae moralis institutores docent (4).

383. Nos insistentes in actu credendi, seu in praecepto elicien-

(1) Disp. 12, sect. 4, n. 15.

(2) Ibid. n. 25.

(3) Cf. Bergier *Dictionn. de Théol.* art. *Foi*, in quo praeclare confutat anonymum quemdam auctorem, qui ediderat tractatum *de necessitate fidei*, in quo plura erronea congesserat ad ianseniauorum mentem; concludit vero his verbis articulum hunc: « En général, il faut se défier de toute doctrine, qui donnerait lieu aux incrédules de conclure que, depuis la venue de Jésus-Christ, le salut est plus difficile aux païens, qu'il ne l'était auparavant, et que son arrivée sur la terre a été pour eux un malheur; or, telle est la conséquence évidente du système de l'auteur, que nous réfutons, »

nempe de necessitate absoluta, seu medii fidei explicitae in I. C. ad salutem.

(4) Suarez, disp. 12, sect. 6, n. 2, Calvinus *institut.* lib. 3, § 2, seqq. debacchatur in distinctionem fidei explicitae et implicitae, contenditque, fidelium quemlibet simplicem et laicum teneri ad scienda omnia mysteria fidei, ac propterea ad legendam sacram Scripturam, ut inde possit intelligere, quae sibi credenda sint. Fidem implicitam docet potius ignorantiam esse quamdam, nihilque conferre ad salutem. Quod est vere imponere hominibus onus importabile, ac fidem ipsam destruere. Quasi nempe haeretici calviniani omnes totidem doctores essent, cum plerique in rebus fidei ignorantia supina laborent.

di actus fidei, de eo tantum disserimus. Sane cum hoc praeceptum utpote positivum obliget solum ad semper, ut loquuntur scholae, et non pro semper, nec determinet, quandonam sub gravi obliget, exinde factum est, ut in plures discrepantes sententias theologi abierint, et alii, ut fit, per excessum, et alii per defectum lapsi esse videantur.

384. Ad primam classem spectant, qui censent, obligare hoc praeceptum festis diebus (1), item qui autumant, saltem obligare in celebritate mysteriorum, quae in ecclesia fieri consuevit (2). Equidem id consulendum est, ut finis, qui ab ecclesia intenditur, obtineatur; attamen de praecepto speciali non est. Ad alteram classem referuntur, qui existimant, eiusmodi obligationem nullo determinato tempore urgere, atque id relinqui uniuscuiusque arbitrio; tum etiam, qui satis esse aiunt ad huic obligationi satisfaciendum, si semel saltem in vita fidei actu eliciatur: imo nec defuerunt, qui negaverint, actum fidei cadere sub praecepto speciali. Ad utrumque scopulum declinandum insequens a nobis statuitur

PROPOSITIO

Adulti omnes tenentur ad eliciendos identidem fidei actus.

385. Praemittimus, duplicem distinguendam esse necessitatem eliciendi actum fidei: altera est *per se* seu ratione ipsiusmet fidei: altera vero *per accidens* seu ratione alterius praecepti.

386. De necessitate eliciendi actus fidei *per accidens*, nemo est, qui ambigat, saepius fidelem teneri ad ipsos, quia sine fidei actu adimplere nequit alia praecepta, quorum obligatio urget, ex. gr. cum necessitas incumbit eliciendi actum contritionis, aut Deum super omnia diligendi; quae sine fidei actu praestari nequeunt. Idem dic, cum vincendae sunt tentationes graves, ad quas superandas in subsidium fides evocanda est, iuxta illud I. Petri v, 9: *Cui resistite fortes in fide;* sic etiam, cum accedendum est ad sacramenta suscipienda debita cum dispositione et fructu, aut, cum Deus orandus est, fundendo preces magna fiducia ac devotione; quod profecto absque praevio excitato fidei actu adimpleri non potest. *Quomodo invocabunt*, scribebat apostolus, *in quem non crediderunt* (3)? Et ita porro. In his itaque similibusque casibus fides excitanda est; verum, ut patet, id fit per accidens, seu in praecepto caritatis, contritionis, spei alteriusve virtutis, non autem ex formali fidei praecepto.

387. Si igitur sermo sit de tempore, quo quispiam adstringitur ad eliciendum fidei actum *per se* seu vi ipsius praecepti formalis fidei, valde difficile est illud determinare ac figere, eo ipso quod fixum nil praescribatur. Interim normam quandam nobis exhibent theses hac super re confixae a romanis pontificibus Alexandro VII et Innocentio XI.

Sunt autem prop. 1. inter propositiones ab Alexandro damnatas: *Homo nullo unquam vitae tempore tenetur elicere actum fidei, spei et caritatis ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium;* propositio item XVI inter innocentianas: *Fides non censetur cadere sub praeceptum speciale et secundum se;* et XVII: *Satis est actum fidei semel in vita elicere* (4).

(1) Tribuitur haec sententia Soto in 3 sent. distinct. 37, q. unic., § *Quantum ad secundum.*

(2) Ita Nider in *Praeceptorio.*

(3) Rom. X, 14.

(4) Cf. Viva in has propositiones.

388. Ex quibus duo certa habemus, ac primo extare positivum ac formale praeceptum divinum de actu fidei eliciendo; secundum quod huic praecepto non satisfiat per actum semel in vita emissum.

389. Praeceptum istud praeterea urget per se 1°, simul ac quis sufficientem notitiam acceperit veritatum, quae catholica fide continentur: quod quidem iis, qui in catholicae ecclesiae sinu nascuntur, fieri debet cura parentum aut institutorum, cum rationis usus illucescere coeperit; quod tamen, ut animadvertit Suarez, moraliter intelligi debet nec metaphysice coarctari ad primum instans (1). 2° Quoad eos vero, qui nascuntur apud infideles, ii tenentur, quum, vel per aliquem fidei praedicatorem vel alio quovis modo, christianae religionis existentiam et veritatem satis agnoverint, statim ac moraliter possunt, actum fidei elicere, ut se et omnia sua in Deum ordinare valeant; hoc enim debetur auctoritati Dei revelantis, ac morosa dilatio in tali occasione esset quaedam virtualis dubitatio et ad quandam cordis duritiem pertinere inciperet. 3° Urget praeterea per se obligatio eliciendi actum fidei in quolibet probabili mortis periculo, quia tenetur homo niti omni ope, ut se Deo coniungat, quod maxime fit per fidem; 4° saepe in vita, nam *iustus ex fide vivit*, ut ait apostolus Rom. I, 17 et alibi passim. Siquidem fides veluti mysticus panis est, quo alimur ad salutem, qui nisi frequenter manducetur, vita spiritualis conservari non potest. Hisce potissimum temporibus pane hoc summopere indigent christiani, nempe catholici, quorum fidei insidiantur innumeri prope hostes, increduli, athei, sectarii secreti, pseudopolitici, protestantes, qui nobis infinitum bellum indixerunt, ac proinde firmissima ac viva fide communire se debent, ne seduci se patiantur. Ceterum hoc fidei praeceptum sufficienter impletur exercendo actus religionis, caritatis, aut spei, qui ex ordinaria regula sine fidei usu non fiunt.

(1) Disput. 13, sect. 5, n. 6.
(2) Rom. X, 10.
(3) *Histor. ecclesiast.*, lib. 6, cap. 38, ed. Vales.

CAPUT VIII.

DE EXTERIORI FIDEI PROFESSIONE

390. Non modo interiorem fidem, sed exteriorem eiusdem professionem necessariam esse ad salutem declarat apostolus, dicens: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (2). Quod vel ipsum probi hominis officium clamat et nomen, necnon reverentia Deo eiusque verbo debita.

391. Non defuere tamen ex haereticis, qui docuerint, rem indifferentem esse Christum abnegare, dummodo fides in animo retineatur, urgente tyrannorum persecutione; tales saeculo II fuere Helcesaitae, teste Eusebio (3), item Priscillianistae saeculo V, uti refert s. Augustinus (4), effutientes, posse aliquem suum occultare errorem etiam peierando. Doctrinam hanc exitiosam nonnulli sequioribus saeculis defendere ausi sunt, inter quos eminet David Belga, quem non puduit stultos appellare apostolos sanctosque martyres, quod mortem oppetere, quam Christum abnegare maluerint (5).

392. Contra vero, in oppositum extremum alii declinantes, praeceptum fidei profitendae rigide adeo

(4) Lib. 1 *de haeres.* cap. 70, et in lib. *contra mendacium*, cap. 3, seq.
(5) Cf. Bernino, *Storia di tutte le eresie*. Ed. Rom. tom. 4, sec. 16, cap. 8.

interpretati sunt, ut docerent, cuicumque atque in quolibet casu nefas esse ad persecutionem vitandam fugam arripere, quippe quod, et persecutionem bonam esse autumarent, ac nolle in persecutione fidem confiteri perinde esse ac fidem negare. Ita quidem Tertullianus, qui hoc de argumento integrum librum scripsit (1).

393. Nonnulli media veluti via incedentes inficiantur quidem posse quempiam fidem abnegare, ast simul contendunt, fas interdum esse falsam religionem simulare ad se a persecutione eiusve periculo substrahendum.

394. Quum praeceptum fidei profitendae bifariam distinguatur, scilicet in *negativum* et in *affirmativum:* negativum seu prohibens negationem fidei, affirmativum autem eius professionem praecipiens, ac iste secundus respectus huius praecepti lucem a negativo mutuetur, idcirco ad totam hanc satis difficilem quaestionem maiori, qua per nos poterit, perspicuitate evolvendam a priori respectu, negativo, exordiemur, ut deinde cetera persequamur.

PROPOSITIO I.

Nunquam christiano licet fidem exterius abnegare quacumque de causa.

395. Fidei negatio, tum verbis, tum factis contingere potest; utramque autem complectimur, asserentes, nunquam christiano licere fidem exterius negare. Plura sunt, quae catholicam hanc doctrinam evincunt.

396. Ac 1. disertissima illa Christi verba Matth. x, 32, 33: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est;* et apud Lucam IX, 26 similiter inquit Christus: *Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua, et Patris et sanctorum angelorum.*

397. 2. Idipsum evincitur ex perpetuo ecclesiae sensu agendique ratione fidelium quovis saeculo. Siquidem his Christi verbis instituti, innumeri cuiusque aetatis, sexus, conditionis ac nationis christiani, vigente persecutionum aestu, non solum primis ecclesiae saeculis, sed quovis tempore, ac nostra etiam aetate, infensissimos catholicae ecclesiae hostes vicerunt, ac potius quam Christum abnegarent, aut superstitiosis se idolorum sacris polluerent, non solum omnia vitae incommoda, molestissimas privationes et calamitates pertulerunt, sed exquisita supplicia ac immanissimas mortes oppetierunt: quod profecto contra ingenitum vitae, libertatis ac felicitatis amorem nunquam fecissent, nisi persuasum ratumque ipsis fuisset, non solum internam fidei constantiam, sed etiam externam professionem esse rebus omnibus ac ipsi vitae anteferendam.

398. 3. Hanc porro agendi rationem ex ecclesiae sensu eos hausisse, patet ex modo, quo ecclesia se gessit cum iis, qui, suppliciorum vel conspectu, vel diuturnitate, vel saevitia victi, tyrannorum postulatis, licet ad tempus tantum et specie tenus, cesserunt. Nam exploratum est, eos tam gravi crimine reos habitos fuisse, ut non nisi post longa durissimaque poenitentiae opera ecclesiasticae communioni restituerentur. Imo apud nonnullas ecclesias in more fuit, ut ne in ipso quidem mortis articulo ad eucharisticae mensae participationem admitterentur, ut palam fit ex pluri-

(1) *De fuga in persecutione.*

bus canonibus conciliorum, Gangrensis. Ancyrani, Eliberitani, aliorumque (1), nec non ex Tertulliano ac Cypriano.

399. 4. Accedit vel ipsa intrinseca ratio, quae docet, catholicam fidem verbis aut factis abnegare, licet interius retineatur, perinde esse ac mentiri, et quidem in gravissimo omnium negotio, idque cum maxima Dei iniuria, cui praeferrentur propriae utilitates, commoda, terrena bona ac vita. Attamen tum ex lege naturali, tum ex lege divina obstringuntur homines omnes ad Deum super omnia diligendum, non solum affective, sed etiam appretiative, ac propterea ad eum omnibus ac sibi ipsis praeferendum.

PROPOSITIO II.

Nunquam christiano licet falsam religionem simulare.

400. Simulare falsam religionem censetur, qui aut dictis, aut factis profitetur, se ad illam pertinere. De iis, qui verbis expressis aut aequivalentibus se exhibent falsae religionis sectatores, etiamsi interius catholici permanent, res aperta est. Factis autem multiplici ratione contingere potest, ut quis falsae se addictum sectae patefaciat, cuiusmodi esset signa usurpare, ritus, caeremonias, vestes, actiones proprias exclusive illius aut per se, aut ex institutione, aut ex adiunctis. Idem dic de eo, qui se per simulationem fingit verae religionis ac fidei desertorem metu gravis sibi impendentis damni.

401. Iamvero talem simulationem nunquam licere, exinde patet, quod ea aequivaleat fidei negationi constituatque mendacium in gravissimo religionis negotio non sine ingenti Dei iniuria: quod apprime intellexit fortissimus Eleazarus, cui quum persuaderi vellent, ut carnes, specie tantum, suillas ederet, mali exempli eam rem esse, dixit, ipseque se, quamvis aetate confectus, vel intolerandis cruciatibus lacerandum obtulit (2). Idipsum patefit ex agendi ratione, quam tenuit ecclesia cum libellaticis nuncupatis. Hi enim, quamvis non immolaverint idolis, aut thus eis non adoleverint, ad se eximendos a persecutorum vexationibus pecunia a magistratibus libellos impetrabant, quibus testatum facerent, se imperatoris mandata fecisse. Hos uti gravissimi criminis reos ecclesia damnavit, ac licet mitius cum ipsis ageret, quam cum sacrificatis et thurificatis, attamen impunitos esse minime passa est, sed publicae poenitentiae addixit, qua propriae ignaviae veniam exposcerent, nec nisi post convenientem satisfactionem expletam fidelium iuribus et praerogativis restituit (3).

402. Rationem exhibet s. Thomas, scribens: *Ad virtutem veritatis pertinet, ut quis talem se exhibeat exterius per signa exteriora, qualis est; signa autem exteriora non solum sunt verba, sed etiam facta. Sicut ergo veritati opponitur, quod aliquis per verba exteriora aliud significet, quam quod habet apud se, quod ad mendacium pertinet; ita etiam opponitur veritati, quod aliquis per aliqua signa factorum vel rerum significet contrarium eius, quod in eo est, quod proprie simulatio dicitur* (4).

(1) Cf. Albaspinaeum *Observationum* lib. 2, observat. 4 et observat. 6, nec non in notis ad canones conc. Eliberitani, ac in notis in quosdam canones conciliorum Asiae.

(2) Cf. II, Machab. VI, 21—28.

(3) Cf. s. Cyprian. *De lapsis*, col. epist. 53 ad Antonianum.

(4) II, 2, q. 111, art. 1. Idem habet ibid. q. 94, art. 2.

403. Huc accedit, quod eiusmodi simulatio non modo Deum iniuria afficiat, verum etiam grave scandalum proximo praebeat. Nam qui aliquid facit, ex quo possit merito coniici, se christianum non esse, aut esse alicuius falsae religionis sectatorem, quid aliud intendit, quam persuadere religionis hostibus, se quoque catholicam fidem nihili aut parvi pendere, quaeque ab ea docentur, in commentis aut fabulis habere, aut se quoque divinitatem idolis atque veritatem superstitioni tribuere? Hinc cum christiani aliquid tale viderint, aut acceperint, facile sibi persuadebunt, illum catholicam fidem deseruisse, eoque pessimo exemplo ad apostasiam efficacius impellentur. Quid enim possit vis exempli ad homines pervertendos in difficillimis rerum adiunctis, nemo est, qui ignoret.

404. Diximus, prae se ferre simulationem falsae sectae, qui signa, vestes, ritus adscivisset exclusive proprios alicuius sectae et veluti protestativos illius falsi cultus. Quod si eiusmodi vestes adhiberi consueverint ad nationem indicandam, licet plerique falsam sectam profiteantur; ex communi theologorum sententia fas est catholico tali veste uti: siquidem praeceptum fidei profitendae non vetat in omni casu fidem occultare; quod patet exemplo Eusebii Samosateni, qui equitis habitu plerasque peragravit orientis ecclesias ad fideles contra arianam, quae grassabatur, haeresim in vera fide confirmandos (1). Idem dic, si agatur de ritibus mere civilibus, quamvis ab infidelibus et haereticis usurpentur. Quod vero attinet ad casus particulares consuli possunt qui de illis ex professo scripserunt.

(1) Cf. Theodoret. *Hist. eccles.* lib. 2, cap. 32, et lib. 4, cap. 14, 15, et iterum lib. 5, cap. 4, edit. Cantabrig. 1730. Cf. etiam Martyrologium romanum cum notis Baronii.

Difficultates.

405. Obi. 1. Naaman Syro ex idololatria ad verum Deum converso indulsit Eliseus idololatriam simulare ratione muneris, quo apud regem fungebatur: sic enim legitur IV. Reg. v, 18, Naaman dixisse ad Eliseum: *Hoc autem solum est, de quo depreceris Dominum pro servo tuo, quando ingredietur Dominus meus templum Remmon, ut adoret, et illo innitente super manum meam, si adoravero, in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re.* Respondit Eliseus: *Vade in pace.* 2° Ibidem cap. x, 19 laudatur zelus Iehu, qui, ut prophetas cultoresque Baal de medio tolleret, simulavit, se quoque illius esse cultorem, ac solemne sacrificium indixit illi offerendum. Ita autem Deus hoc Iehu factum commendat ibid. v. 30: *Quia studiose egisti, quod rectum erat, et placebat in oculis meis, et omnia quae erant in corde meo fecisti contra domum Achab; filii tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israël.*

406. Resp. ad 1. *N.* Nec enim Naaman petiit ab Eliseo, ut sibi liceret idololatriam simulare, aut propheta eiusmodi simulationem indulsit, quod absurdum est suspicari, sed ei exposuit necessitatem obsequii pure civilis regi deferendi. Nam cum soleret rex inniti humero Naamani, Naaman vero pro officii sui ratione deberet regem ubique prosequi, cogebatur, rege templum intrante et coram idolo adorante, id est, se prosternente, ipse etiam incurvare se, ut opem domino suo praestaret. Iam vero planum est, hunc incurvationis actum non ad

idolum, sed ad regem unice referri, cui inserviebat. Procul praeterea aberat ab hac actione quodvis scandalum, cum et ipse palam et coram omnibus adstantibus professus fuerat, se idololatriae nuncium remittere, et praeterea sua ipsa constanti agendi ratione id patefecerat. Haec nobis difficilis huius loci videtur verisimilior expositio (1).

407. Ad 2. *D.* Laudatur zelus Iehu, *C.*; eius simulatio, *N.* Optime s. Thomas huic difficultati respondit: *Simulationem Iehu non est necesse excusari a peccato vel mendacio, quia malus fuit, utpote ab idololatria Ieroboami non recedens; commendatur autem et temporaliter remuneratur a Deo, non pro simulatione sed pro zelo, quo destruxit cultum Baal* (2). Quod quidem responsum mutuatus est Angelicus doctor a s. Augustino, qui in lib. contra mendacium docet, Iehu a peccato immunem non fuisse, nec propterea esse imitatione dignum (3).

408. II. Obi. I. Apostoli iudaicos ritus, iamdiu Christi morte abrogatos, neophytis permiserunt; imo et ipsimet observarunt, etsi probe scirent, nullius eos esse virtutis, sed simulatione quadam, teste Paulo ad Galatas II, 13 scribente: *Et simulationi eius* (Cephae) *consenserunt ceteri Iudaei, ita ut et Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem.* 2° Idque confirmat s. Hieronymus, antiquioribus scriptoribus innixus, Origeni, Didymo Laodiceno, Alexandro, Eusebio Emisseno, Theodoro Heracleonistae et Ioanni Chrysostomo. 3° Huc pariter spectant quae de se scribit idem Apostolus I. Cor. IX, 20-22: *Factus sum Iudaeis tamquam Iudaeus... Iis qui sub lege erant, quasi sub lege essem... Omnibus omnia factus sum ut omnes facerem salvos.* Ergo.

409. Resp. ad 1. *D.* Apostoli mosaicas caeremonias permiserunt neophytis, ac ipsimet eas observarunt, utpote tunc temporis licitas ac indifferentes, *C.*; ex simulatione, *N.* Compertum enim est, ecclesiae incunabulis caeremonias mosaicas per Christi mortem mortuas quidem fuisse, non autem adhuc mortiferas evasisse, adeoque licite poterant eas Apostoli neophytis ex Iudaismo, ad eos facilius ad Christi fidem alliciendos, indulgere, ac licite etiam ipsi eas usurpare in eundem finem. Apostolus vero Galat. II vocat Cephae agendi rationem simulationem, non eo sensu quod Cephas ficto animo ita se gesserit, sed quod facto suo tacite permoveri possent ex ethnicismo conversi, ut crederent, adhuc necessarios illos ritus fuisse, ut patet in ipso contextu (4).

410. Ad 2. *D.* Et haec fuit singularis D. Hieronymi sententia, quam postea deseruit, *C.*; est sententia probanda, *N.* Certe s. Hieronymus in disputatione, quam hac super re habuit cum s. Augustino, et acriter contendit, statim a Christi morte mosaicos ritus effectos

(1) Cf. Natalis Alex. dissertationem de Naaman Syro: *Utrum rege Syriae in templo Remmon adorante idoli cultum externo ritu simulare voluerit, idque permiserit Eliseus.* Quae est dissertatio 7 in histor. sacr. quintae mundi aetatis.

(2) II, 2, q. 3, art. 1 ad 2.

(3) Cap. 2, n. 3, ubi scribit adversus Priscillianistas exemplum Iehu obtendentes: « Illum vero Iehu mendacio impio et sacrificio sacrilego occidendos impios et sacrilegos inquirentem non imitarentur, nec si de illo, qualis fuisset, eadem Scriptura tacuisset. Cum vero scriptum sit, eum rectum cor non habuisse cum Deo; quid ei profuit, quod pro nonnulla obedientia, quam de domo Achab omnino delenda, pro cupiditate suae dominationis exhibuit, aliquantam mercedem transitoriam regni temporalis accepit? »

(4) Cf. Cornel. a Lapide, Estium, Bernardinum a Piconio in hunc loc.

fuisse mortiferos, atque Apostolos nihilominus sine peccato interdum illos observasse, quia non intentione cultus, sed per prudentem simulationem ita se gerebant, quasi materialiter et ad tempus, et in casu necessitatis, seu ex iusta causa, utpote qui solum prohibiti essent quasi iure positivo cum permissione illis utendi (1). Ceterum s. Doctorem seniorem factum ac pacatiorem, sententiam mutasse, s. Augustinus colligit ex iis, quae ipse scripsit in Dialogo contra pelagianos lib. I, cap. 8, ac praeterea subdit, reliquorum, qui a D. Hieronymo proferuntur, veterum auctoritatem haud tanti esse faciendam, ut nos a nostra sententia abducant (2). Chrysostomo vero opponit s. Ambrosium, s. Cyprianum, quodque plus est, ipsum apostolum Paulum in eadem ad Galatas epistola scribentem : *Quae autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior.* Ex quibus concludit Augustinus : *Dent veniam quilibet aliud opinantes; ego magis credo tanto Apostolo in suis et pro suis litteris iuranti, quam cuique doctissimo de alienis litteris disputanti* (3).

411. Ad 3. *D.* Apostolus testatur, se omnibus omnia factum, compassione misericordiae, *C.*; miseratione fallaciae, ut loquitur Augustinus, *N.*; alioquin inferre deberemus si nimium adducta verba urgerentur, non solum iudaice cum iudaeis, sed etiam gentiliter cum Gentilibus Apostolum vixisse. Adeoque ita accipienda sunt obiecta verba, ut significent eorum conditionem ipsum induisse, iisque se quasi amicum et fratrem praebuisse (4).

412. III. Obi. 1° Novimus ex sanctorum gestis, nonnullos martyres simulasse idololatriam ad idola destruenda, prout habetur in actis s. Iuliani martyris (5), nec non in actis s. Blasii de septem mulieribus (6), potissime vero de s. Eusebio Vercellensi simulante, se velle arianum fieri, ut nomen s. Dionysii episcopi mediolanensis ex catalogo arianorum expungeret. 2° Et sane, qui exterius simulat falsae religionis cultum, per se, et ex parte colentis falsam religionem non profitetur; deceptio non habetur nisi respectu eorum, qui, id videntes, aliter iudicant ab eo, quod reipsa est et colens intendit, in quo nullum est flagitium. Ergo.

413. Resp. ad 1. Data etiam veritate eorum quae in sanctorum gestis leguntur, quae non parum nutat, *D.*; idest, ita nonnulli sancti dictis aut factis se gesserunt ut a minus cautis haud recte intelligerentur, *C.*; vere et serio falsam religionem simularunt, *N.* Aliud enim est simulatio ad decipiendum composita, quae nunquam licet, aliud vero talis loquendi et agendi solertia, quae veritatem quidem contineat, non ita tamen obviam, ut omnibus et mi-

(1) Ita s. Hieronymus mentem suam aperit in comment. ad cap. 2, v. 11 et 13 *epistolae ad Galat.*

(2) Cf. Epist. 180 ed. Maur. n. 5, ubi scribit : « Sed quid hic diutius? Cum de hac quaestione inter nos, ego et praedictus venerabilis frater Hieronymus satis litteris egerimus; et in hoc opere recentissimo, quod sub nomine Critobuli adversus Pelagianos modo edidit, eandem de ista re gesta dictisque Apostolicis sententiam tenuit, quam beatissimi Cypriani etiam nos secuti sumus. » *Epist.* 71 *ad Quintum.*

(3) Ep. 82, cap. 3, n. 25.

(4) Ita s. Augustinus lib. cit. *contra mendacium*, cap. 11, scribens : « Compatiendo id fecit, non mentiendo. Fit enim quisque tanquam ille, cui vult subvenire, quando tanta misericordia subvenit, quanta sibi subveniri vellet, si esset ipse in eadem miseria constitutus.

(5) Apud Surium 9 ianuarii.

(6) Die 3 februar. apud Bolland. tom. 1, mens. febr.

mus oculatis pateat, quae, modo prudenter adhibeatur, sine peccato est, quin etiam laudabiliter quandoque adhibetur.

414. Sic illusorie egit s. Iulianus, dum, se velle sacrificare finxit eum in finem, ut templum ac idola destrueret, prout intelligere poterant idololatrae ex eius praecedente constantia ac miraculorum multitudine.

415. Idipsum dicatur de septem illis mulieribus, de quibus est sermo in actis s. Blasii, quae deprehensae, dum martyris sanguinem colligerent, quod essent christianae, illusorie locutae sunt, dum petierunt idola claudi in sacco, et sibi dari, nempe ad ea perdenda.

416. Quod autem attinet ad factum s. Eusebii Vercellensis, qui moerens erat de subscriptione s. Dionysii incaute decepti ab arianis, ironice et se subscripturum promisit adversus Athanasium, dummodo nomen Dionysii deleretur, et ipse primus ante illum subscriberet. Quod cum libenter ariani fecissent, tunc illos increpans et irridens, ut scribit auctor sermonis LVI sub Ambrosii nomine vulgati, ait: *Neque ego me vestris sceleribus polluo, neque filium meum* (Dionysium) *vobiscum participare permitto* (1). Poterant profecto ex omnibus rerum adiunctis cognoscere, s. Eusebium haud vere simulasse, se arianum esse, aut fieri velle.

417. Ad 2. *D.* Falsam religionem non profitetur animo, *C.*; facto, *N.* Parum vero refert, quod aliquis in corde suo fidem servet, si exterius eam prodit per falsae religionis professionem. Hac enim ratione Deum inhonorat, et proximo grave praebet scandalum, in quo utroque maximum flagitium adest, ac praeterea turpiter mentitur, qui ita se gerit, dum aliud ore et facto ab eo, quod intus tenet, exhibet ad fallendum.

(1) De auctore antiquissimo huius sermonis Ambrosio adscripti, cf. editores Maurinos in appendice, serm. 56, pag. 469

PROPOSITIO III.

Ex praecepto divino tenetur Christianus libere fidem suam profiteri quoties Dei honor et proximi utilitas exposcunt.

418. Tales sunt conditiones quas Angelicus doctor constituit ad praeceptum servandum professionis fidei, scribens: *Confiteri fidem non semper neque in quolibet loco est de necessitate salutis, sed in aliquo loco et tempore, quando scilicet per omissionem huius confessionis subtraheretur honor debitus Deo, et etiam utilitas proximis impendenda* (2); quia, cum agitur de praecepto affirmativo, istud non obligat, ut negativum ad semper et pro semper.

419. Hoc vero praeceptum multiplici ex capite adstruitur, ac 1° ex Christi verbis: *Qui me erubuerit, et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua* (3), erubescere autem minus videtur, quam negare, sed est non confiteri, quando Christi honor periclitatur. Id ipsum clarius adhuc expressit aliis verbis: *Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei* (4). Hinc Apostolus Rom. x, 10: *Corde*, inquit, *creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Iam vero interrogat Augustinus: *Quid prodest corde credidisse ad iustitiam, si os dubitat proferre, quod corde conceptum est* (5)? et in Ps. CXV: *Non perfecte credunt, qui, quod credunt, loqui nolunt;* et

(2) II, 2, q. 3, art. 2.
(3) Luc. IX, 26.
(4) Ibid. XII, 8.
(5) Serm. 279, n. 6.

alibi saepe idem inculcat s. Doctor (1).

420. Sed praeterea id ipsum adstruitur ex ipsa rei natura: omitti enim nequit illa confessio sine Dei contemptu, cum eius honor illam exigit: hinc optime auctor Operis Imperfecti in Matth. : *Non solum*, inquit, *ille proditor est veritatis, qui, transgrediens veritatem, palam mendacium pro veritate loquitur, sed etiam ille, qui non libere pronunciat veritatem.* Tunc vero censetur subtractio divini honoris, cum quis nolit confiteri fidem apud infideles, et ex qua omissione imminuitur notabiliter existimatio de Deo, vel de fide et religione eius: nam tunc illud imputatur homini non confitenti fidem tanquam subtrahenti contrarie honorem Deo. Sic pariter censetur id contingere, cum quis hanc fidei confessionem omittit, ex qua magnus honor et gloria Deo accresceret, et qua defectu eiusmodi confessionis privatur (2).

421. Quod vero attinet ad proximi utilitatem, reus fiet per omissionem confessionis fidei, si illa confessio necessaria habeatur, ne alii fideles inconstantes sint, et a fide deficiant, aut etiam si ex tali confessione infideles excitarentur ad conversionem, aut denique fideles indigerent illa confessione, ut fide instruerentur. Uno verbo, toties necessaria censetur fidei confessio, quoties Ecclesiae utilitas illam exposcit; hinc s. Augustinus absolute pronunciat: *Salvi esse non possumus, nisi et nos ad salutem proximorum etiam ore profiteamur fidem* (3).

422. Ex his pronum est inferre teneri christianum ad fidem suam aperte profitendam, cum apud publicum magistratum constitutus de propria religione interrogetur, etiamsi certa mors inde esset sequutura. Hoc enim in casu quicumque debet aperta voce se christianum et catholicum esse confiteri, velleque se in christiana et catholica fide permanere. Alioquin debito honore Deus fraudaretur, atque grave scandalum in adstantibus oriretur, cum silentium in his adiunctis haberi posset argumento negatae fidei, vel saltem admodum infirmae et mox periturae. Neque id solum coram potestate legitima, sed etiam coram tyrannica, nec competenti; cum talis obligatio nascatur non tantum ex iure superioris, quantum ex debito praestandi Deo necessarium obsequium, eiusque religionis honorem quantum fieri potest, promovendi.

423. An vero eadem obligatio urgeat si quis interrogetur a persona privata, non omnes consentiunt, cum quis evadere possit respondendo: Quid ad te? Consentiunt tamen omnes obligationem adesse, si ea occurrant adiuncta, in quibus silentium vel dissimulatio personae interpellatae cedat in gravem Dei contumeliam, religionis contemptum, vel proximorum detrimentum. Siquidem docet s. Thomas, in casu necessitatis, ubi fides periclitatur teneri unumquemque fidem

(1) Ut in lib. *Contr. mendacium.*

(2) Exemplo sit Leibnitzius, qui profecto catholicam veritatem agnovit, eamque in celebri suo *Systemate theologico*, naviter exposuit, quumque cum Bossuetio de hoc negotio egerit et iam in eo esset, ut veritatem catholicam amplecteretur, illico omnem cum illo communicationem abrupit, ne sua conversione nocumentum principibus suis Hannoveranis afferret, qui assumpti erant ad Angliae thronum. Cf. *Oeuvres de Bossuet*, tom. 25, pag. 170, seq. *Recueil de dissertations et lettres composées dans la vue de réunir les protestants, etc.*

(3) Serm. *De fide et symb.*

suam aliis propalare vel ad instructionem aliorum fidelium sive confirmationem, vel ad reprimendam infidelium insultationem (1).

PROPOSITIO IV.

Licet christiano ad declinandam persecutionem, imo et aliquando tenetur fugam arripere.

424. Statuitur haec propositio adversus Tertullianum eiusque hac in perniciosa doctrina sectatores, qui in alteram extremam partem lapsi sunt.

425. Perspicua sunt hac de re Christi verba Matth. x, 23: *Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam;* quae quamvis Apostolis dicta, cum tamen generalia sint, nullaque exceptione sive expressa sive tacita limitata, non ad solos Apostolos, ut Tertullianus contendit, sed ad omnes christianos sunt referenda, eo vel magis quod Christus ipse adhuc puer, Angelo Domini monente, a parentibus in Aegyptum se duci passus est, et, iam grandior factus, Ioan. VIII, 59, cum tulissent lapides iudaei, ut iacerent in eum, ipse *abscondit se, et exivit de templo.* Idem fecit Apostolus Paulus Magistri sui vestigia secutus, quamvis martyrii desiderio cuperet dissolvi et esse cum Christo. Sic enim de se testatur II. Corinth. XI, 32, 33: *Damasci praepositus gentis Aretae regis custodiebat civitatem Damascenorum ut me comprehenderet: et per fenestram in sporta dimissus sum per murum, et sic effugi manus eius.*

426. Ecclesia vero, ecclesiaeque patres licet de religionis honore solliciti defectionis crimen vehementer ingemuerint, severisque poenis subiecerint eos etiam, qui illius vel sola specie se polluerint, ut Libellaticorum exemplum declarat, fidelium tamen fugam persecutionis declinandae causa, non solum nulli unquam culpae tribuerunt, sed etiam non semel probarunt, atque exemplo suo commendarunt. *Primus est victoriae titulus*, scribit s. Cyprianus, *gentilium manibus apprehensum Dominum confiteri. Secundus ad gloriam gradus est cauta secessione subtractum Domino reservari. Illa publica, haec privata confessio est. Ille iudicem saeculi vincit, hic contentus Deo suo iudice conscientiam puram cordis integritate custodit. Illic fortitudo promptior, hic sollicitudo securior. Ille appropinquante hora sua iam maturus inventus est, hic fortasse dilatus est, qui, patrimonio derelicto, idcirco secessit, quia non erat negaturus. Confiteretur utique, si fuisset et ipse detentus* (2).

427. Idem praeterea s. Pater epistola LVI, 4, fidelibus, qui ob persecutionem fugam arripuissent, non defuturam martyrii coronam pollicebatur his verbis: *Solus non est, cui Christus in fuga comes est. Solus non est, qui templum Dei servans, ubicumque fuerit, sine Deo non est. Et si fugientem in solitudine ac montibus latro oppresserit, fera invaserit, fames aut sitis aut frigus afflixerit, vel per maria praecipiti navigatione properantem tempestas ac procella submerserit, spectat militem suum Christus ubicumque pugnantem, et persecutionis causa pro nominis sui honore morienti praemium reddit, quod daturum se in resurrectione promisit* (3).

428. Idipsum et factis et dictis plures alii Patres confirmarunt. Etenim praeter s. Athanasium, qui eleganter in apologia pro fuga sua adversus Arianos, qui eius hac de

(1) II, 2, q. 3, art. 3 ad 2.
(2) Lib. *De lapsis*, ed. Maur., pag. 184.
(3) Ad Thibaritanos, *De exhortatione martyrii*, ed. Maur. pag. 98.

causa ignaviam accusaverant, argumenta omnia ad hanc agendi rationem cohonestandam ex sacris utriusque foederis Litteris et exemplis Sanctorum complexus est; idem docuit s. Gregorius Nazianzenus in oratione in laudem Caesarii, scribens: *Malis temporibus cedit* (nempe Iuliani apostatae, *in eoque legi nostrae obtemperat* (1). Item s. Augustinus passim (2), nec non s. Gregorius M. (3). Non pauca exempla refert Nicephorus in sua ecclesiastica historia illustrium Sanctorum, qui fuga se a persecutoribus praeripuerunt (4).

429. Sed et ipsa ratio suffragatur huic agendi rationi; nam de hac fuga nullum datum est speciale praeceptum, quo prohibeatur, neque per se mala est, cum non sit fidei contraria, imo potius quaedam sit martyrii portio et virtualis fidei confessio; siquidem exilium, quod per fugam assumitur, quaedam nec levis poena est, quam homo propter fidem suscipit, ac nemo fugit, nisi quia vult fidei suae ac religioni firmiter adhaerere. Prudentia praeterea plus semel ita faciendum suadet, tum quia homo, conscius imbecillitatis suae atque inconstantiae, humili cautione a maiori periculo se subducit; tum quia, ut s. Athanasius in citata apologia adnotat, homo ignorat tempus mortis suae a Deo destinatum: et ideo quando altera ratio obligationis non cogit, optime se gerit fugiendo mortem, donec, Deo permittente, in eas angustias deveniat, ut illam vitare non possit.

430. Atque exinde iam patet veritas alterius propositionis membri, quod scilicet non solum liceat, sed interdum quis teneatur ad fugam arripiendam, quod duplici ex capite contingere potest: nempe aut ob utilitatem fidei, aut ob utilitatem propriam. Ob utilitatem fidei, cum ob qualitatem et conditionem personae magnum detrimentum posset provenire fidei seu religioni, si ipsa de medio tolleretur, cum posset per fugam illud malum impendens avertere. Tunc enim esset moraliter necessaria istius personae conservatio. Ob utilitatem autem propriam quis teneretur sibi consulere, qui propriae infirmitatis conscius ac periculi, cui se offerret, fidei eiurandae, si cruciatibus ac morti subiiceretur. Hoc enim periculum quispiam, quantum in se est, declinare debet mediis omnibus licitis, qualia censentur fuga, redemptio vexationum per pecuniam, aliaque eiusmodi.

431. Hinc s. Cyprianus quibusdam in persecutione lapsis, et peccati sui excusationem in supplicium vehementia quaerentibus respondebat: *Relinquenda erat patria et patrimonii facienda iactura . . . Decepit multos patrimonii sui amor caecus, nec ad recedendum parati aut expediti esse potuerunt, quos facultates suae velut compedes ligaverunt* (5).

432. Frivola porro sunt, quae Tertullianus ad suum paradoxum persuadendum afferebat, 1° scilicet, quod talis persecutio non fiat sine divina ordinatione aut permissione, cui obsistit, qui fugam arripit; 2° quod Apostolis vitio vertitur ipsorum fuga dum Christus captus est; 3° quod fugere persecutionem perinde

(1) Oratio 10 *in laudem Caesarii fratris*, n. 15, edit. Paris 1630, pag. 168.

(2) Epist. 228 ad Honorat.; Tract. XLVI. in Ioan.; Lib. 1 *contra Gaudent.*, cap. 16 et lib. 2, cap. 2.

(3) Lib. 31 *Moral.* cap. 23 et 24; Lib. 2 *Dialog.* cap. 3.

(4) Cf. lib. 10, cap. 8 et 16.

(5) In lib. *De laps.* pag. 184, ed. cit.

sit ac Christum negare. 4° Hinc redemptionem persecutionis per pecuniam vocabat *fugam nummariam*, ac de quodam Rutilio martyre loquens, qui post comparatam sibi securitatem in gravissima tormenta inciderat, coniiciebat, in poenam fugae permisisse Deum, ut ignibus daretur, quia periculum, ut putabat, nummis redemisset (1).

433. Nam primum argumentum nimis probat, alioquin nec possemus quidem fugere a peste, ab incursione latronum, a feris etc., quia neque haec absque divina dispensatione eveniunt.

434. Alterum vero falso, ut aiunt, supposito innititur, quod scilicet Apostoli peccaverint sola materiali fuga illa, sed in eo reprehenduntur, quod talem ostenderint timiditatem, postquam in coenaculo tam magna de se pollicebantur.

435. Quod tertio loco dicitur, fugam in persecutione arripere perinde esse ac Christum negare, ex eo falsum pariter deprehenditur, quod ille, qui fugit, nedum neget, ostendit se nolle Christum negare; alioquin minime fugeret. Quod vel ipse Tertullianus alibi fateri visus est, scribens: *Etiam in persecutionibus melius est ex permissu fugere de oppido, quam comprehendi et distortum negare* (2).

436. Iniuria demum fugam nummariam vocavit redemptionem pecunia sibi comparatam; nam hoc ipso, qui ita se gerit, patefacit, pluris facere fidem quam pecuniam ac substantias huius saeculi. Quod vero attinet ad commemoratum Rutilium, contrarium potius evincit ab eo, quod sibi proposuit Tertullianus: etenim ipse fortasse fidei constantiam et martyrii coronam quam adeptus est, non impetrasset, si propriis viribus nimium confisus, in persecutorum impetus se temere obiecisset (3).

(1) In lib. cit. *De fuga in persecutione.*
(2) Lib. I *Ad uxor.* cap. 3, ed. Rigalt.
(3) Sane vel ipse Tertullianus vocat Rutilium *sanctissimum* martyrem, qui fortiter adeo ignis supplicium superavit.

PROPOSITIO V.

Ad declinandam persecutionem, animarum praesertim curam gerentibus, aliquando licet, aliquando vero fugere non licet.

437. Non tantum proprie ad praecepta fidei pertinet obligatio, ne fugiant, persecutione saeviente ecclesiastici viri, praecipue vero pastores, sed ad praecepta iustitiae et caritatis. Quando propterea liceat necne ab ingruente insectatione se subtrahere, desumi debet ex munere, quod quispiam gerit, ex damno, quod imminet gregibus ex fuga sua, atque ex utilitate quae ex sua praesentia proveniret.

438. Siquidem, ut ait Christus Io. x, 11-13: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem, et qui non est pastor, cuius non sunt oves propriae, videt lupum venientem, et dimittit oves et fugit; et lupus rapit et dispergit oves; mercenarius autem fugit quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus.* Animadvertit autem s. Thomas, haec verba explanans, dixisse Christum: *Fugit et dimittit oves*, quia si pastor interdum fugiat, ut se in commodius tempus reservet, et interim non dimittat oves, sed per alios illis sufficienter provideat, non se gerit ut mercenarius, neque contra hanc obligationem delinquit (4). Quum vero plures variique casus contingere soleant, quos haud ita facile est in praxi resolvere, s. Augustinus in epistola 228, quae est ad Honoratum episcopum, praeclaras regulas praebet, quas hic subiicimus.

(4) Lect. 3 in Ioann.

439. Ac 1° docet, licere pastoribus ecclesiae fugam arripere, si nulli ex grege remanserint, vel quia fuga lapsi vel quia morte consumpti, quod quidem per se liquet; nam ait ipse: *Non enim quisquam est, qui dicat ministros manere oportere, ubi iam non fuerint, quibus necesse sit ministrare* (1).

440. 2° Docet idem, licere, quum persecutionis furor contra eorum personas dirigitur, quod Apostoli primo, deinde sanctorum Athanasii et Cypriani exemplo demonstrat, atque concludit: *Faciant ergo servi Christi, ministri verbi et sacramenti eius, quod praecepit sive permisit: fugiant omnino de civitate in civitatem, quando eorum quispiam specialiter a persecutoribus quaeritur* (2). *Quod tamèn recte intelligitur*, subdit s. Doctor, *cum possit impleri necessarium ministerium per alios quibus non est èadem causa fugiendi. Cum autem*, inquit, *plebs manet, et ministri fugiunt, ministeriumque subtrahitur, quid èrit, nisi mercenariorum illa fuga damnabilis, quibus non est cura de ovibus? Veniet enim lupus, non homo, sed diabolus, qui plerumque fideles apostatas esse persuasit, quibus quotidianum ministerium Dominici corporis deficit: et peribit infirmus in tua non scientia, sed ignorantia frater, propter quem Christus mortuus est* (3).

441. 3° Docet, non solum posse, sed etiam ad id teneri, cum probabiliter timeatur, ne eorum causa persecutio sit in gregem evasura. Neque enim aequitas et christiana caritas sinit pastores permittere, ut perturbatio tanta in subditos tantumque periculum propria causa provocetur. Item si credere possent, ecclesiae utilitatem et fidelium aedificationem id postulare quod maxime contingeret sub sacrorum ministrorum inopia, aut si timendi locus esset, ne ipsorum defectus aliorum catholicorum et legitimorum pastorum electione suppleri haud posset, aut ne ecclesia necessaria defensione careret. Hinc de s. Athanasio loquens, ait: *Quantum necessarium fuerit ecclesiae, quantumque profuerit, quod vir ille* (Athanasius) *mansit in carne, catholica fides novit, quae adversus arianos haereticos ore illius et amore defensa est* (4).

442. 4° Docet, si commune sit periculum, eo quod persecutionis procella contra totum pastorum ordinem generatim saevire intelligatur, cavendum esse unicuique, ne proprium locum sponte deserat, *ne id facere credatur non consulendi voluntate, sed timore moriendi, magisque fugiendi obsit exemplo, quam vivendi prosit officio* (5). Quod si ecclesiae expediat aliquos reservari, secedendum quidem esse ait iis tantum, qui fuerint ab aliis, qui manent, rogati ac provocati. *Nam et David, ne se committeret periculis praeliorum, et fortassis extingueretur lucerna Israël, a suis hoc petentibus sumpsit, non ipse praesumpsit: alioquin multos fecisset imitatores ignaviae, cum crederetur hoc fecisse non consideratione utilitatis aliorum, sèd suae perturbatione formidinis* (6). Addit praeterea s. Doctor, si ob caritatis fervorem disceptatio oriatur de iis, qui maneant et qui fugiant, eam, si aliter non possit, esse sorte finiendam (7).

443. 5° Docet, si hostilis impetus pastores simul ac greges invadat, pastorum nemini licere, ut gregem deserat: ut enim turpe esset navem deserere gubernatori, sae-

(1) N. 5. (2) N. 2. (3) N. 6. (4) N. 10. (5) Ibid. (6) Ibid (7) N. 12.

viente procella, cum navis ob imminens naufragii periculum gubernatoris opera magis indiget; ita se magisterio suo indignum et gravissimi peccati reum faceret quilibet sive superior, sive inferior ecclesiae praepositus, qui Dominici gregis portionem sibi creditam lupis ferocibus proscindendam, incolumitatis suae causa permitteret. *An non*, inquit, *cogitamus, quando ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in ecclesia fieri soleat ab utroque sexu atque ab omni aetate concursus; aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam poenitentiae ipsius actionem, omnibus consolationem, et sacramentorum confectionem et erogationem? ubi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto saeculo vel non regenerati exeunt, vel ligati! quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vitae aeternae requie non habebunt! quantus denique gemitus omnium, et quorumdam quanta blasphemia de absentia ministeriorum et ministrorum! vide, quid faciat malorum temporalium timor, et quanta in eo sit acquisitio malorum aeternorum* (1). Insuper addit, ad permanentiam ecclesiarum pastores teneri etiam, cum, plerisque fugientibus, aliqui solum in periculo remanserint; eo enim ipso, quod isti pastoris praesentia magis indigent, ita non sunt ministerio christiano procul dubio deserendi.

444. Deinde duabus fallaciis occurrit s. Pater, quibus ministri ignaviam quandoque suam obtegere conantur; quarum prima est, quod Christus ipse fugam iusserit. Huic vero opponit alteram eiusdem Salvatoris sententiam de mercenario, qui videt lupum venientem, et fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus. Addit vero duas istas Dominicas sententias optime conciliari, si iuxta expositas doctrinas distinguantur varia adiuncta, alia, in quibus licet ecclesiae ministro fugere, alia, in quibus debet permanere. Altera fallacia est, quae petitur ex conscientia propriae infirmitatis, ad quam respondet s. Doctor, cogitationem propriae infirmitatis temperandam esse consideratione divinae virtutis, cuius ope suffultus aiebat Apostolus: *Omnia possum in eo, qui me confortat;* enim vero fiduciam esse in Deo collocandam, qui neminem deserit, nec patitur quempiam ultra vires tentari; assiduas denique ac fervidas preces esse fundendas, ut pro periculi magnitudine opem ferat. *Oremus ergo*, ait, *ut ab illo detur, a quo iubetur: et per hanc* caritatem *magis timeamus, ne oves Christi spiritualis nequitiae gladio in corde, quam ne ferro in corpore trucidentur, ubi quandocumque, quocumque mortis genere morituri sunt* (2). Quae quidem monita praeclara sunt ac saluberrima, utpote sapientia ac prudentia plena.

445. Egregium et prolixum tractatum *de fuga in persecutionibus* scripsit Salmeronius, expendens Christi verba, quae habentur Matth. x, 21: *Tradet autem frater fratrem in mortem*, in quo copiosis sanctorum Patrum testimoniis ostendit, quando liceat necne se a persecutionibus subtrahere, praesertim quod spectat ad ecclesiae pastores (3).

(1) N. 8.
(2) N. 7 edit. Maur.

(3) Tom. 4, part. 3, tract. 16 *Comment. in evangelic. historiam.* Colon. Agrippin. 1602.

CAPUT IX.

DE VITIIS, QUAE FIDEI ADVERSANTUR

446. Unaquaeque virtus vitia habet sibi opposita, quae vel eam destruunt, aut saltem laedunt. Tria porro praecipua sunt vitia, quae virtuti fidei adversantur, nempe infidelitas, haeresis et apostasia. Ad haec enim suprema capita revocari cetera possunt; siquidem vitia eatenus fidei adversantur, quatenus vel prohibent, ne acquiratur, vel acquisitam exstinguunt ac delent. De singulis his vitiis, seu peccatis, distinctis articulis agere nobis proposuimus pro rei, de qua agitur, gravitate, luctuosis praesertim hisce temporibus.

ART. I. *De infidelitate.*

447. Infidelitas ex eo dicitur, quod sit destitutio fidei. Haec vero fidei destitutio triplici ratione contingere potest, aut quod quis fide careat, et ideo caret, quia nullam habet, nec unquam habuit notitiam christianae religionis; et haec infidelitas negativa audit, quae, utpote omnino involuntaria, non habet rationem peccati, sed potius poenae tanquam ex peccato primi parentis consecutae, ut docet s. Thomas (1). Huc pertinent ea Christi verba Io. xv, 22: *Si non venissem et locutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Atque idcirco merito damnata est Baii propositio 68 : *Infidelitas pure negativa in his in quibus Christus non est praedicatus, peccatum est.*

448. Vel infidelis fide caret, quia auditam et sufficienter cognitam suscipere detrectat: et appellatur infidelitas positiva, quae sine gravissimo peccato profecto esse non potest; nam detrectare obedientiam fidei sufficienter propositae perinde est, ac Deo revelanti et praecipienti fidem et obedientiam detrectare, ac necessarium salutis medium contemnere.

449. Inter duas recensitas infidelitatis species, negativam scilicet et positivam, datur media quam recte nuncupaveris privativam, et eorum est propria, qui, quamvis habeant quamdam veritatis revelatae notitiam et cognitionem, negligunt ipsius inquisitionem, aut etiam respuunt. Quum vero eiusmodi animi dispositio a voluntate pendeat, aperte sequitur, eam esse culpabilem, illumque reum constituere peccati, qui ita se gerit.

450. Infidelitas autem, quaecumque sit, sive positiva sive privativa, tanquam in subiecto residet in intellectu, qui fidei subiectum est, et in voluntate, quatenus continet malitiam moralem; si vero sermo sit de infidelitate pure negativa, residet solum in intellectu, qui destitutus est veritate a Deo revelata.

451. Ratione obiecti infidelitas dispertitur in paganismum, in iudaismum, ac islamismum per oppositionem ad religionem christianam, quia omnes ex iis, qui vel unum vel alterum cultum profitentur, a christiana veritate abhorrent. Atque haec est ratio, ob quam haeresim, quamvis et ipsa species infidelitatis quoque sit, cum illis falsis sectis non recensuerimus.

452. Nonnulli solent distinguere infideles ab haereticis, eo quod infideles non sint baptizati, contra vero haeretici baptizati sint. Verum nunc temporis eiusmodi distinctio, universim saltem, admitti non amplius potest, quia haud paucae recentes sectae reperiuntur haereticorum, quae baptismum omnino respuunt,

(1) II, 2, q. 10, art. 1.

cuiusmodi ex. gr. est secta quakerorum, mennonitarum, swedenborgiensium, aliorumque (1); qui tamen, se in Christum credere profitentur. Idem dic de secta mormonum, qui novum a se invectum baptisma conferunt omnino diversum ab eo, quod in religione christiana administratur (2); attamen et ipsi inter christianos recenseri volunt.

453. Iuverit animadvertere, populos infideles non solum in genere reos esse infidelitatis in quovis gradu ex iis, quos recensuimus, sed praeterea detineri innumeris prope erroribus sive theoreticis sive practicis qui eos arceant a consecutione aeternae salutis atque sempiterno exitio dignos efficiant; tales sunt polytheismus, idololatria, cultus superstitiosus, crudelis passim ac obscoenus, professio innumerorum prope falsorum principiorum, quae ad omnigena vitia, ad explendas quasvis cupiditates quibus irretiuntur et captivi efficiuntur ipsos perducunt: atque haec est ratio, ob quam ecclesia ex Christi mandato quovis tempore ad densissimas eiusmodi tenebras dissipandas evangelicos misit, mittitque praecones, atque ad fidei salutisque portum omni, qua potest, ope adducere hos infelices adnisa est atque adnititur.

454. Haec advertere voluimus adversus incredulos aetatis nostrae, qui hanc operariorum catholicorum missionem non modo parvi pendunt, sed carpunt atque inconsultae sollicitudinis arguunt, eo quod, ut ipsi dicunt, populos bona fide agentes turbent, nec pace frui patiantur. Verum dum eiusmodi homines talia oggerunt, nesciunt quid dicant, nec quid sibi velint (3).

455. Etenim, ceteris omissis, qui ita disserunt, nihili faciunt infidelitatem, quae tamen generatim spectata gravissimum in se peccatum est. Quodsi plures paucioresve laborant ignorantia invincibili, adeoque hoc sub respectu inculpabiles sunt, cum nihilominus plerique graviter peccent contra religionem ipsam naturalem, neque ab istis criminibus sine fide se expedire valeant, neque apud Deum iustificari: ecquis non videt, eiusmodi malis occurrendum esse meliori modo, quo fieri potest? Nam licet infidelitas negativa ad culpam non imputetur, ignorantia tamen illa, in qua hi ipsi infideles versantur circa praecipua saltem legis naturalis praecepta, cum vincibilis sit, ideoque culpabilis, rei efficiuntur aeternae poenae; cum insuper ex dictis pariter in culpa sint, quotquot infidelitate, quam privativam nuncupavimus, laborant, uti nunc plerique populi sunt, in statu pariter perditionis inveniuntur. In omnem siquidem terram exivit sonus et apostolorum atque apostolicorum virorum, ac propterea difficile iam admodum est reperire gentes, ad quas non pervenerit evangelii notitia. Quod si istae negligant inquirere et investigare sufficientem propositionem fidei, hoc ipso ipsis fidei

(1) Cf. Möhler, *Symbolique*, tom. 2, liv. second. *Des petites sectes*, chap. 1, seqq. Imo inter anglicanos et maiores sectas Protestantium Baptismus passim negligitur.

(2) Cf. Opus nuper a nobis editum: *L'apostolato cattolico ed il proselitismo protestante*, part. 2. *Il Proselitismo protestante*, in appendice: *Del mormonismo*, § 1. *Origine del mormonismo e sua dottrina.*

(3) Verum illud magis animadversione dignum apparet, quod hi ipsi proselytismum Protestantium vehementer promoveant tum apud catholicos, tum apud infideles, nec dedignentur pecuniis ceterisque mediis omnigenis ad ipsorum steriles conatus concurrere, ut Ecclesiae catholicae, in quam implacabile odium susceperunt, adversentur.

carentia voluntaria est, et ad culpam imputatur, et eiusmodi infidelitas peccatum est (1). Ipsis proinde omni ope est subveniendum, ut a tali culpabili ignorantia retrahantur, quod fit per praedicationem.

456. Et haec quidem quoad nationes seu integros populos. Nam quod attinet ad individua singula, fieri potest, ut plura ex ipsis nihil penitus cognoscant de illa notitia aut fama praedicati evangelii; cum vero nemini imputetur culpae, quod voluntarium non est, nec quidpiam sit voluntarium sine praevia aliqua cognitione: hinc est, quod, quamvis natio infidelitate privativa detineatur, ideoque culpabili, plures singulares personae laborent sola infidelitate negativa atque inculpabili. Sed et istis propter nuper adducta motiva subveniri debet, ut damnationis barathro liberentur.

457. Nunc vero addendum superest circa infideles, quicumque demum sint, eos cogi non posse ad fidem et baptismum suscipiendum cum voluntaria debeat esse fidei susceptio, nec ecclesia ulla polleat potestate in eos, qui per Baptismi ianuam nondum inter ecclesiae membra computantur. Hinc apostolus I, Cor. v. 12; *Quid mihi*, inquit, *de iis, qui foris sunt, iudicare?* Christus apostolos suos ad praedicandum mittens non alias poenas denunciandas incredulis praecepit nisi spirituales: *Qui non crediderit, condemnabitur*. Voluit potius, ut intrantes domum pacem primo offerrent illis verbis: *Pax huic domui*; quod si hanc respuerent, non bellum, non vim eis comminatus est, sed unice praecepit, ut cum ipsis ita se gererent: *Exeuntes foras de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris* (2); ac interim eis praedicerent, tolerabilius in die iudicii agendum fore cum Sodoma et Gomorrha quam cum domo ac civitate illa. Quare constitutum est in concilio Toletano IV.: *Non vi, sed libera arbitrii voluntate, ut convertantur* (Iudaei seu infideles) *suadendi sunt, non potius impellendi* (3); ut alia quamplurima documenta praetermittam, quae ecclesiae sensum hac super re patefaciunt.

458. Verumtamen constitutum est, non licere christiano cum iisdem infidelibus communicare in divinis, id est, in sacrificiis, orationibus, ritibus, iisque omnibus, quae ad religionis cultum referuntur. Esset enim eiusmodi communicatio quaedam falsae religionis professio, approbatio, ac virtualis perinde christianae religionis abnegatio. Quoad civilia vero vitae ac societatis officia communicare licet, dummodo omne absit scandali ac perversionis periculum; id enim permittit apostolus I, Cor. x, 27: *Si quis vocat vos infidelium, et vultis ire, omne, quod vobis apponitur, manducate;* quod tamen de cibis ab ecclesia vetitis intelligi nequit. Nec praetermittendum, ecclesiae lege in Concilio Lateranensi III, sancitum fuisse, ne christiani cum iudaeis habitent, comedant, in balneo laventur, ne eis famulentur, nec ab eis medicinam accipiant (4). Quod ad tuendam

(1) Cf. Suarez, disp. 16, sect. 1, n. 4.

(2) Matt. X, 14.

(3) Can. 62 apud Harduin. *Acta Conc.* tom. 3, col. 590; et in Concilio lateran. 3, in arb. *De Iudaeis* dicitur: « Statuimus, ut nullus christianus invitos vel nolentes eos (*Iudaeos*) ad Baptismum venire compellat... Veram quippe christianitatis fidem habere non creditur, qui ad christianum Baptismum non spontaneus, sed invitus cognoscitur pervenire. » Apud Mansi *Collectio Concilior.* tom. 22, pag. 356.

(4) Apud Mansi, *Collectio Concil.* tom.

christianae religionis dignitatem et ad avertendum seductionis periculum, quod a Iudaeis facilius imminere posset (1), tum quia saepius christianis permixti inveniuntur, tum quia isti capitaliori odio Christi fidem insectantur, quisque intelligit fuisse salubriter institutum (2).

459. Nec quempiam fallat plerorumque hoc in tempore gubernio-rum cum Iudaeis agendi ratio; siquidem ipsis adblandiuntur, aequalitatem iurium civilium cum christianis conferunt, supremos etiam magistratus ac praefecturas tribuunt. Iudaei, his freti fulcris, nihil non agunt in christianorum perniciem, quoad possunt, sive ephemeridibus, quarum vix monopolium ad se non traxerunt, sive usuris, sive commercii retibus, fraudibus omnigenis. Cavendum propterea ab ipsis est, qui non minori nunc odio prosequuntur christianos quam anteactis saeculis, et ecclesiae leges sancte servandae, quidquid de potestatum civilium erga illos favore sit.

Art. II. *De haeresi.*

460. Haeresis vox, quae perinde valet ac electio, amplissimam habet significationem, ac tam in bonum quam in malum sensum interdum usurpatur (3): ex usu tamen ab ecclesia recepto semper in pravum sensum seu malam partem accipi haeresis nomen, exploratum est, ad designandam scilicet electionem doctrinae fidei contrariae, seu contrariae illi doctrinae catholicae, quam ecclesia profitetur.

461. Haeresis tum ad intellectum tum ad voluntatem pertinet, prout fides, cui haeresis opponitur, ad utramque facultatem spectat. Fides enim tanquam in subiecto in intellectu sistit, in voluntate autem tanquam in eligente: sic haeresis, prout dicit errorem fidei adversantem, in intellectu residet, et prout dicit electionem, in qua culpa reperitur, residet in voluntate. Nexu tamen in haeresi arctissimo copulantur, ita ut et intellectus influat in voluntatem, et voluntas vicissim in intellectum. Interdum incipit haeresis ab intellectu, qui pravam aliquam opinionem erroneam aut falsitatem praeconcipit, ac deinde per voluntatem eidem falsae doctrinae firmiter ac pertinaciter adhaeret; interdum vero ortum habet a voluntate, quae se determinat ad errorem catholicae fidei adversantem amplectendum. Plerumque ac ordinaria via utraque facultas concurrit, ita tamen ut voluntas primas sibi partes vindicet, atque in hoc praecipua malitia consistit.

462. Ad haereticum itaque hominem constituendum duo concurrant, necesse est, error videlicet in intellectu et pertinacia in voluntate. Atque exinde illa oritur difficultas quam se reperisse s. Augustinus fatetur in definiendo, quid proprie haereticum constituat tum ex parte intellectus, tum ex parte voluntatis. Etenim iuxta s. Doctorem *non omnis error haeresis est*,

22, pag. 516, seq., part. 20. Item in Conc. lateranensi 4, tom. 22, pag. 1058. Item constitutio s. Pii V, aliorumque Pontificum.

(1) Et reipsa in Conc. lateran. III, loc. cit. dicitur: « Et ipsi de facili ob frequentem conversationem, et assiduam familiaritatem, instigante humani generis inimico, ad suam superstitionem et perfidiam simplicium animos inclinarent. In *Annal. catholiques de Genève*, exempla suppetunt eiusmodi perversionum.

(2) Cf. Rupert, l' *Eglise et la Synagogue*, Paris, 1859, in quo opere documentis historicis ineluctabilibus ostenditur, quavis aetate Iudaeos machinatos esse adversus christianos.

(3) Cf. Suarez, disp. 19, sect. 1 et 2.

quamvis omnis haeresis quae in vitio ponitur, nisi errore aliquo haeresis esse non possit (1). *Quid ergo faciat haereticum*, pergit ipse, *regulari quadam definitione comprehendi, sicut ego existimo, aut omnino non potest, aut difficillime potest* (2). In epistola autem ab eodem s. Doctore ad donatistas Glorium, Eleusium aliosque data, scribit: *Qui sententiam suam, quamvis falsam atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, praesertim quam non audacia praesumptionis suae pepererunt, sed a seductis, atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quaerunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam sunt inter haereticos deputandi* (3).

463. Quum vero ea vivamus aetate, in qua haeretici agmine facto nos undique circumstent nobisque insidientur, cum suam bonam fidem in errore profitendo proclament, seque penitus innoxios in doctrina sua consectanda depraedicent, ac nullum pene contendant esse discrimen inter catholicam veritatem suosque errores, operae pretium duximus de his maiori, qua per nos poterit, perspicuitate ac diligentia pertractare. Quapropter distinctis paragraphis agemus de eo, in quo consistit haeresis, de peccato seu malo haeresis, de iis, quae ad constituendum formalem haereticum requiruntur et sufficiunt, de variis gradibus haereticorum, ac demum de censuris, quibus doctrinae ab Ecclesia discrepantes notari consueverunt.

(1) In praefat. ad libr. *De haeresibus.*

(2) Ibid. Ubi etiam pollicitus est s. Pater, duas se velle operis sui partes conscribere, in quarum altera exponeret haeresum catalogum ad sua usque tempora; in altera vero, quid faciat haereticum. Quam quidem posteriorem partem prosecutus non est.

§ I.

De eo, in quo proprie haeresis consistit.

464. Ex praenotatis facile colligitur, ad haeresim constituendam tria requiri, nempe materiam seu doctrinam, circa quam haeresis versetur, iudicium erroneum intellectus, et voluntatem, qua talis doctrina taleque iudicium eligitur. Spectata haeresis natura, necesse est ut praecedat propositio falsae doctrinae cum aliquo iudicio de eius credibilitate; nam illa doctrina comparatur ad voluntatem tanquam obiectum ipsius, et ideo oportet ut illa praecedat; deinde vero sequitur voluntas amplectendi ac praeferendi talem doctrinam per iudicium aliquod a tali voluntate imperatum.

465. Praescindendo ab eo, qui falsam doctrinam profitetur, seu ab eo qui errat circa doctrinam, haeresis seu propositio haeretica in suo conceptu obiectivo, secus ac nonnulli senserint (4), illa dicitur, quae est aperte opposita sive contraria, sive contradictoria alicui veritati, quam constet esse de fide. Et sane eadem ratione, qua aliqua propositio: *Est*, vel: *Non est*, aut *vera*, aut *falsa* dicitur, ita propositio haeretica, quae falsa necessario est, per oppositionem quam habet ad veritatem *fidei*, dicitur et est *haeretica*, quia in summo gradu adversatur summae certitudini, quae habetur per divinam revelationem. Insuper propositio non dicitur haeretica, eo quod ab haeretico proferatur, sed potius haereticus quis-

(3) Epist. 43, alias 162, n. 1.

(4) Cf. Suarez, qui disp. 19, sect. 2, late de hoc argumento disserit adversus nonnullos, qui vellent propositionem haereticam vel haeresim desumendam esse a proferente, non vero solum ab ipsa doctrina.

piam dicitur et est, qui voluntarium consensum praebet haereticae doctrinae seu propositioni.

466. Si vero ratio habeatur haeresis, prout in aliquo subiecto recipitur, haeresis et propositio haeretica differunt inter se tamquam actus seu peccatum, et materia, circa quam versatur. Haeresis enim proprie significat peccatum quoddam infidelitatis; propositio autem haeretica materiam significat, circa quam illud peccatum versatur, atque huius peccati reum se constituit, qui propositioni haereticae deliberate assensum praebet. Ex his conficitur, quod haeresis sit practica, propositio haeretica sit theoretica (1). In horum coniunctione reperiuntur tria illa, quae ad haeresim constituendam concurrere diximus, tum nempe doctrinam circa quam haeresis versatur, tum iudicium erroneum intellectus, tum denique voluntatem, qua talis doctrina ac tale iudicium eligitur. Si his addantur, quae ad haeresis subiectum referuntur, pronum erit colligere, quid hominem haereticum constituat. In hunc finem insequens statuitur propositio.

PROPOSITIO I.

Haeresis est voluntarius et pertinax error in materia fidei Catholicae contraria in homine qui se christianum profitetur, quique hac de causa haereticus efficitur.

467. Ex singulorum eiusmodi propositionis terminorum accurata explanatione patebit, quaenam conditiones requirantur ac sufficiant non minus ad haeresim, quam ad formalem, ut vocant, haereticum constituendum.

468. Ac 1° dicitur *error*, quia licet non omnis error, qui adversatur doctrinae catholicae sit haeresis, omnis tamen haeresis error est, ac supponit falsitatem. Hic porro error proprius est intellectus, in quo efformatur ac residet erroneum iudicium alicuius doctrinae, quae adversatur fidei catholicae.

469. 2° Eiusmodi error dicitur voluntarius, in quo omnes doctores consentiunt, praeeunte D. Thoma (2). Et sane haeresis opponitur fidei; de ratione porro fidei est, ut sit voluntaria: ergo et haeresis ratio postulat, ut voluntaria sit; contraria siquidem inter se proportionem eandem servant ac eiusdem gradus sunt. Insuper haeresis quoddam peccati genus est: de ratione autem peccati est ut sit voluntarium; ergo et haeresis. Demum qui errat ex ignorantia invincibili, non est haereticus, cum non sit infidelis, adeoque nulla tenetur haeresi, eo ipso quod ignorantia invincibilis tollat voluntarium; quod, ut vidimus, de haeresis ratione est.

470. Non sufficit tamen ad haereticum constituendum, ut eius error sit contra fidem ac voluntarius, sed praeterea requiritur 3°, ut sit *pertinax*. Pertinacia autem haec consistit in voluntate deliberata resi-

(1) Hinc est, quod nonnulli distinguant, ad haec exponenda, haeresim materialem et formalem; materialis et per se est error qui fidei adversatur; formalis praeterea ea est, quae adnexam habet pertinaciam. Nam de natura haeresis formalis est, ut sit cum pertinacia, non item vero ea requiritur ad propositionem haereticam. Haeresis proprie significat actum, seu peccatum quoddam infidelitatis; propositio autem haeretica tantum significat materiam, circa quam illud peccatum versatur; adeoque licet pertinacia sit de ratione haeresis, non ideo sequitur, quod sit de ratione propositionis haereticae, uti apprime exponit Suarezius disp. 19, sect. 2, n. 5. Vulgo tamen duo haec promiscue sumuntur.

(2) II, 2, q. 11, art. 2 ac 1, p. q. 37, art. 4.

stendi Ecclesiae aliter docenti. Nam quamdiu quis paratus ac dispositus est ad se subiiciendum auctoritati Ecclesiae, quamvis erret in fidei negotio, haereticus nec est, nec dici potest. Pertinacia itaque ita de ratione haeresis formalis est, ut, ea deficiente, haeresis non habeatur. Ratio vero est, quia quamdiu quispiam, licet errans, non recedit ab obiecto formali fidei, semper habet voluntatem illi subiectam, nec fides amittitur, nisi recedendo a formali obiecto fidei, seu ab auctoritate Dei per Ecclesiam manifestata (1).

471. Ad hanc autem pertinaciam necesse est ut ex parte intellectus habeatur quaedam cognitio, seu notitia sufficiens tum auctoritatis ecclesiae, tum propositionis doctrinae seu veritatis illius, circa quam aliquis errat. In alterutrius enim defectu, multo vero magis in utriusque ignorantia, vera pertinacia concipi nequit. Siquidem omnis voluntas sufficientem cognitionem supponit sui obiecti; cum vero pertinacia propria sit voluntatis, quae determinata sit ad sentiendum contra ecclesiae auctoritatem; profecto patet ad pertinaciam cognitionem praefatam requiri.

472. Quandoque etiam contingere potest, ut quis pertinacia laboret, etiamsi non cognoscat doctrinam seu articulum aliquem fuisse ab Ecclesia ad credendum propositum, cum nempe ipse animo ita dispositus est, ut nolit Ecclesiae auctoritati cedere, contrarium ab eo quod ipse sentit, docenti. Idem de eo dic qui profiteatur se nolle assentiri Ecclesiae docenti, nisi convictus fuerit de eius doctrinae, quam proponit, veritate. Nam credulitas inde parta non esset divina, sed humana, utpote non proveniens ab Ecclesia ut regula fidei proxima nobis a Deo constituta, sed ab humana tantum scientia, quae longe abest a constituendo formali obiecto seu motivo fidei divinae.

473. 4° Adiectum est: *in materia fidei catholicae contraria*, quatenus error, de quo agitur, habeat pro obiecto materiali resistentiam seu negationem alicuius articuli, qui tamquam de fide fuerit ab Ecclesia definitus atque ab eadem omnibus ad credendum propositus. Quamdiu enim aliqua veritas, licet in divina revelatione contenta, non fuerit ab Ecclesia aut actuali magisterio suo aut solemni iudicio tamquam de fide definita, aut ad credendum proposita, haereticus non censetur, qui eidem assensum non praebet. Quandoquidem deest illi veritati conditio quae ad dogma fidei constituendum requiritur, atque ex parte reiicientis eam veritatem pertinacia, quae ad haereticum efficiendum necessaria est ex omnium doctorum unanimi sententia.

474. Verum hic iuverit animadvertere, ad declinandum haeresis crimen haud sufficere, si quis Ecclesiae auctoritatem, eamque infallibilem non admittat: nam haeretici, etsi id non credant, sunt ni-

(1) Cf. Suarez, loc. cit., sect. 3, n. 4, ubi accurate observat, pertinaciam proprie non dici respectu Dei aut Christi, cum nullus haereticus se Deo refragari contendat, quin immo se toto corde Deo eiusque Christo credere profitetur; sed dicitur respectu Ecclesiae, quae est regula quoad nos proxima credendorum; quia cum Deus non immediate sed mediate nobis proponat revelationem suam, id est per Ecclesiam, fit ut, qui Ecclesiae resistit et contradicit, hoc ipso resistat et contradicat Deo. Quapropter licet haeretici dicant, se credere Scripturis, quia non secundum Ecclesiae sensum, sed secundum proprium iudicium illi contrarium, illas intelligunt, pertinaces vere sunt et proprio iudicio damnati. Sic ergo in voluntate non se subdendi Ecclesiae haec pertinacia maxime consistit.

hilominus in hoc ipso et in aliis pertinaces, quia ab Ecclesia recedunt, quae illis sufficienter proposita est, et cuius in Scripturis, quas admittunt, sufficienter manifestatio continetur. Cum igitur et sufficientem quisquam habeat notitiam existentiae verae Ecclesiae, quae ipsum ad credendum adstringit, atque habeat praeterea notitiam sufficientem definitionis Ecclesiae, si nolit acquiescere, eo quod putet, se meliorem sectari doctrinam ea, quae ab Ecclesia credenda proponitur, hac ipsa de causa vere ac formaliter se haereticum esse convincit.

475. 5° Demum postrema clausula apponitur: *in homine qui se christianum profitetur*, quia haeresis subiectum ille solus est, qui in Christum fidem praehabuerit, et per baptismum in Ecclesiam ingressus fuerit, erretque in aliquo fidei articulo ab Ecclesia proposito. Haec per partes explananda sunt.

476. Ac primo quidem *debet praehabuisse fidem*, seu oportet ut prius crediderit, et a fide recepta defecerit, ut sic distinguatur ab aliis infidelitatis speciebus, Paganismi et Iudaismi (1). Hinc Tertullianus, haereticum illum esse affirmat, qui, *deserto quod prius fuerat, id postea sibi elegerit quod retro non erat* (2); quod intelligi debet non solum de defectione a fide catholica, sed a quacumque fide, per quam christiana religio recipiatur, seu satis est, ut in Christum aliqua ratione crediderit.

477. Secundo adiicitur: *et per baptismum in Ecclesiam ingressus fuerit*, quia per baptismum homo fit proprie christianus et Ecclesiae membrum, dum catechumenus non est nisi in via, et in Ecclesiae corpus nondum cooptatus est, licet spectare possit ad Ecclesiae animam, adeoque salvari. Exinde sequitur, quod, si quis nondum baptizatus erret in fide, possit quidem in foro interno seu coram Deo haereticus esse, et culpae et poenae reus, non autem in foro externo, in quo poenae obnoxius non est.

478. Verum quid dicendum de sectis illis, quae salutare respuunt lavacrum, quasque paulo ante recensuimus? Videntur hae eodem in censu habendae esse, quo detinentur catechumeni, tum respectu fori interni, tum respectu fori externi, quoad culpam et poenam coram Deo, et quoad poenas temporales in externo Ecclesiae foro. Verumtamen isti prae illis per se longe deterioris conditionis sunt, ratione habita ad ipsorum malitiam et impietatem.

479. In dubio vero, utrum aliquis fuerit necne baptizatus aut saltem rite ac valide tinctus, praesumptio est pro collatione et pro baptismi valore: adeoque subiacet sanctionibus ab Ecclesia contra haereticos constitutis.

480. Ex hactenus enucleatis habemus veram genuinamque tum haereseos, tum haeretici notionem, prout in propositionis enunciatione constituimus.

PROPOSITIO II.

Haereseos peccatum est in genere suo gravissimum.

481. Haereseos nomine hic complectimur tum obiectum seu materiam, tum subiectum seu personam haeresim profitentem.

482. De haereseos natura est, ut adversetur veritati a Deo revelatae atque ab Ecclesia ad credendum propositae aut expressa definitione dogmatica aut practico suo magi-

(1) Cf. s. Th. II, 2, q. 10, art. 3.

(2) Lib. 1 *contr. Marc.* cap. 1, ed. Rig.

sterio (1). Nihil vero refert ad formalem eius rationem, sive uni sive pluribus veritatibus contraria sit. Nam formalis haeresis ratio consistit in oppositione cum Dei veritate et Ecclesiae propositione, quae quidem oppositio aeque habetur, sive plures sive pauciores veritati dogmaticae adversantes errores admittantur. Si quod discrimen reperitur, totum versatur circa obiecta materialia, seu veritates, quibus haereticales errores opponuntur.

483. Quod vero spectat ad subiectum ut formalis haereticus quis constituatur, necesse est, ut scienter et deliberate, seu voluntate ac pertinacia veritati ab Ecclesia propositae obsistat, praeferendo privatum iudicium suum Ecclesiae auctoritati.

484. Quibus praemissis, pronum est colligere, haereseos peccatum esse in genere suo gravissimum seu deterius in substrata materia peccatis omnibus (2). Idque efficimus Scriptura duce, praeeuntibus patribus atque intima rei natura perpensa.

485. Sane, praetermissis etiam generalibus illis oraculis, quibus absolute pronunciatur: *Qui non credit, iam iudicatus est* (3). *Qui non crediderit, condemnabitur* (4), quia de infidelitate positiva proprie intelligi possunt, nempe de iis, qui fidei praedicationem respuunt, tamen se ad eos etiam extendunt, qui admissam semel fidem aut ex parte denegant, aut foede temerant et corrumpunt; his, inquam, etiam praetermissis, directe et ad rem nostram faciunt, quae ab Apostolo iteratis vicibus inculcantur, uti cum in I. ad Timoth. IV, 1, 2 praedicit, fore, ut *discedant quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis daemoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentium suam conscientiam.* Quibus verbis haereticos manifeste designat. Item cum ad Titum III, 10, 11 scribit: *Haereticum hominem post unam et secundam correptionem devita, sciens, quia subversus est, qui eiusmodi est, et delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus.* Ac ne plura congeram, satis est oculos coniicere in ea quae de haereticis eorumque malitia scripserunt Apostolorum princeps et Apostolus Iudas (5) ut quisque intelligat, quo crimine se coinquinent, qui haereses invehunt, sectas faciunt, et qui deserta Ecclesia, ad illorum se coetus conferunt.

486. Ecclesiae autem patres nonne quovis tempore in haereticos invecti sunt, eosque appellarunt *primogenitos satanae* (6), *diaboli in-*

(1) Alias monuimus, haud necessario requiri semper expressam dogmaticam definitionem ad fidei articulum constituendum, sed sufficere actuale Ecclesiae magisterium, quo aliquid tanquam de fide doceatur. Sane cum Arius insurrexit adversus divini Verbi consubstantialitatem cum Patre, ab universa Ecclesia fides haec tenebatur et docebatur, adeoque etiam ante Concilium nicaenum tanquam haereticus nebulo ille proclamatus est. Idem dic de Nestorio, cum duplicem in Christo personam induxit; atque ut ceteros praetermittam, recentiores Sociniani uti haeretici habiti sunt inficiantes sacrificium crucis, satisfactionem a Christo pro nobis oblatam, aliaque eiusmodi doctrinae capita, quae ab Ecclesia credebantur ante istorum innovationes.

(2) Diximus in substrata materia, siquidem exploratum est, formale Dei odium gravius esse peccatum, quam haeresis sit, ob specialem malitiam diabolicam, quae illi inest.

(3) Io. III, 18.

(4) Marc. XVI, 16.

(5) II. Petr. cap. 2, item Iudas in Epistola sua, in qua fere ad verbum exscribit, quae in praefata Petri epistola adversus haereticos habentur.

(6) S. Polycarpus in ep. ad Philipp., c. 7. Apud Cotelier, t. 2 Patr. apostol.

strumenta et *filios irae*, ut antiquissimus auctor constitutionum apostol. (1) *sibi damnatos*, ut Tertullianus (2), *adversarios Christi eiusque hostes*, ut s. Cyprianus (3), et ita porro? Sunt quippe unanimes patres omnes in haereticos quoscumque exagitandos: ex quibus deprehenditur facile quid senserint de gravitate peccati, quod per haeresim patratur.

487. Adeo vero haud pauci Patres in eiusmodi criminis immanitate persequenda progressi sunt, ut haereticos non dubitaverint ipsis ethnicis peiores pronunciare. Nam inter ceteros s. Io. Chrysostomus de christiano recedente a fide, peiorem ideo ethnico esse affirmat, *quia*, inquit, *Christum existimans esse Deum, non credis ipsi tamquam Deo. Nam illi quidem opinioni adiuncta est impietas. Eum enim qui Christum non existimat esse Deum necesse est, nec credere. Ipsa autem impietas ne habet quidem consequentiam, Deum confiteri, et existimare eum non esse fide dignum in iis, quae dixit* (4). Sic etiam s. Hieronymus deteriores paganis habet haereticos, *quia*, inquit, *impietate sua omnes vincunt haeretici... et impietatem superant ethnicorum* (5). Ita etiam s. Cyprianus, aliique passim. Quae quidem intelligi debent de intensitate seu gravitate relativa peccati, non autem extensive, seu respectu ipsius revelationis, quam universim reiiciunt ethnici, et magna ex parte iudaei.

488. Sed et ipsa ratio gravitatem eiusmodi peccati haereseos suadet. Est enim haeresis species infidelitatis, atque in hoc convenit cum ethnicismo et iudaismo. Per haeresim siquidem fides denegatur Deo revelanti et Ecclesiae divinam revelationem proponenti: proprium privatum iudicium antefertur iudicio Ecclesiae infallibiliter Dei veritates proponenti; quod nonnisi ex ingenti tumore ac superbia provenire potest. Hinc merito s. Augustinus superbiam vocavit omnium haereseon et haereticorum matrem (6). Deme superbiam, et haereses omnes ac haeretici evanescunt: perduellionem haeresis includit in Deum et in Ecclesiam, quam ipsemet Christus nobis magistram constituit. Quae quidem omnia et singula aperte patefaciunt malitiam istius facinoris, quod voluntarie ac pertinaciter patrantes dignos efficit aeterna punitione.

489. Haec autem posteriora verba: *voluntarie* ac *pertinaciter* adiecimus, ut distingueremus architectos, ut ita loquar, seu auctores haereseon ab iis, qui vel seducti sunt, vel, a parentibus seductis orti, haeresim profitentur, aut ei adhaerent. Nam de primis nulla excusatio peccatum istud adeo immane imminuere aut extenuare valet. Quae ab ipsis *propria convictio* dicitur, quin eos tegat, potius aggravat in suo delicto: nam nulla dari potest aut excogitari convictio contraria veritati divinitus propositae, neque consistit nisi in erroneo intellectus iudicio aut dictamine falso, quod deponi debet; idque vel ex eo deprehenditur, quod vel ipsi increduli et athei illam praetexant; attamen communi consensu reprobantur.

(1) Lib. VI, cap. 10, Ibid. tom. 1.
(2) *De Praescript.* cap. 6.
(3) Epist. 76, ed. Maur. p. 152, et alibi passim.
(4) Hom. I ad popul. Antioch., seu potius hom. 2 in Ep. ad Coloss. vers. Frontonis Ducaei et Benedictinae.
(5) Comment. in cap. 18 Isaiae, ed. Vall.
(6) *De Genes. contr. Manich.* lib. 2, cap. 8, n. 2, nec non serm. 46. *De pastoribus*, cap. 8, n. 18, et alibi.

490. Quod vero spectat ad deceptos seu seductos, inspiciendus est gradus cognitionis in quo isti versantur. Proculdubio, si ipsi invincibili detinerentur ignorantia, culpabiles minime forent, ut suo loco ostendimus (1). Eiusmodi vero ignorantia quoad eos, qui ex catholica Ecclesia ad haereticorum castra seducti demigrant, nulla excogitari potest; quoad eos vero, qui orti atque instituti sunt a progenitoribus haereticis, dari utique haec ignorantia potest, praesertim respectu iuvenum, aut adultorum rudium et illiteratorum. Ceterum neque adeo communis censenda est eiusmodi inculpabilis ignorantia, ut vulgo perhibetur. In mentem hic revocari debent, quae paulo ante de infidelitate *privativa* scripsimus, et oritur ex negligentia debitae inquisitionis verae religionis, ac propterea culpabilis est. Haereticis siquidem, qui inter catholicos commorantur, et quibus Ecclesia ipsorum oculis iugiter de se spectaculum praebet, difficile admodum est, ut identidem in ipsorum mentibus aliqua suspicio aut dubium non oriatur de falsitate propriae sectae ac de veritate Ecclesiae catholicae. Ex mutuo commercio et colloquiis ipsis domesticis, ex concionibus, aliisque pene innumeris adminiculis, quae assiduo unicuique praesto sunt, summa facilitate sufficienter haurire possunt et notitiam et cognitionem catholicae ecclesiae. Quomodo igitur tam supinam, imo et invincibilem ignorantiam, quae ipsos excuset coram Deo, praetexere possunt? Igitur potius ex voluntate, quam ex intellectus errore, peccant; iam vero in voluntate tota haereseos moralis consistit malitia. Quocirca fatendum est, hos omnes in maximo saltem aeternae reprobationis periculo versari, quum de fide sit extra veram Ecclesiam, quae unica catholica est, nullam dari salutem.

(1) Tract. *De vera relig.* part. 2, prop. 11.

PROPOSITIO III.

Haereseon omnium pessima est Protestantismus.

491. Iam innuimus, haereses omnes, spectato obiecto formali seu motivo, paris esse conditionis, atque sub hoc respectu eadem malitia detineri, nullumque est inter gnosticos, arianos, protestantesque discrimen, cum in eo omnes conveniant, quod autumarint, proprium privatum placitum doctrinae Ecclesiae substituendum ac praeferendum esse.

492. Restat itaque, ut differant inter se diversae sectae, habita ratione obiecti materialis, ut vocant, quatenus unaquaeque secta in particulari professa fuerit aut profiteatur plures aut pauciores errores, atque inter errores adhaereat uni vel alteri magis minusve exitiali, cuiusmodi ex. gr. essent errores, qui labefactant aut ss. Trinitatis aut Incarnationis mysteria, et ita porro. His enim essentia ipsa convellitur christianismi secus ac accidat circa errores quosdam partiales, qui christianae religionis essentiam non attingunt, cuiusmodi esset invocatio sanctorum, veneratio imaginum sacrarum, aliique id genus non pauci.

493. Nunc vero veritatem propositae theseos adstruere operosum non est; quod quidem efficimus brevi hoc syllogismo: illa inter haereses omnes pessima censenda est quae statuit illud principium, ex quo cohonestantur haereses omnes tum praeteritae, tum praesentes, tum futurae, quod aditum recludit ad indifferentismum, incredulitatem ac impietatem omnimodam; quod denique doctrinam omnem sanae

moralis funditus evertit. Atqui talis est protestantismus. Ergo.

494. De maiori propositione ambigere nemo potest, cum propria evidentia fulgeat. Itaque sola minor evincenda superest; sic vero eam per partes singulas ostendimus.

495. Per protestantismum tale constitui principium, quo haereses omnes sive praeteritae sive praesentes, sive futurae cohonestentur, aperta res est. Siquidem principium fundamentale, constitutivum et essentiale protestantismi est libertas absoluta examinis, ita ut quilibet ius habeat vi eiusdem libertatis sectandi proprium privatum iudicium, illudque opponendi, immo vero et praeferendi auctoritati Ecclesiae universae. Porro eiusmodi principium haereses omnes, utut impias et absurdas, cohonestare, exinde patet, quod nulla haeresis orta sit, aut oriri possit praeterquam ex eo, quod privatus quilibet placitum suum sectari voluerit adversus Ecclesiae doctrinam et magisterium. Hac ratione, Simone mago duce, prodiit gnosticismus cum omnibus divisionibus suis, quae innumerae prope sunt (1); originem habuit sabellianismus, duce Sabellio, arianismus, antesignano Ario; nestorianismus, inventore Nestorio, et ita porro usque ad lutheranismum et mormonismum. Quapropter si in vivis adhuc agente Simone, haereticorum omnium parente, iam proclamatum fuisset principium de quo agimus, haereses omnes communi Protestantismi vocabulo nominatae fuissent, quemadmodum hoc tempore reformati, Zwingliani, Sociniani, Anabaptistae, Darbistae etc. communi protestantismi nomine appellantur. Idem contingit haeresibus omnibus, quae in posterum excogitari poterunt. Nam omnes protestatae sunt, protestantur, ac protestabuntur adversus doctrinam et auctoritatem Ecclesiae a Deo salvatore nostro constitutae. Ergo Protestantismus absorbet principio suo haereses omnes praeteritas, praesentes ac futuras; est abyssus absque fundo, in quam haereses omnes dilabuntur ac praecipitant.

496. Neque dicat quis, biblia constituere regulam credendorum, erroresque ex interpretationis abusu ortos esse, atque nonnisi Spiritus sancti illustratione debere Scripturas intelligi. Nam, praeterquam quod recensiti haeretici omnes Biblia tanquam regulam sibi propriam adsciverunt ad suos errores comminiscendos atque fulciendos, Biblia ipsa obiectum sunt examinis, fere omnes libri e canone eliminati sunt a veteribus haereticis (2). Recentiores protestantes tum integros libros, tum integra capita, tum versiculos, prout ipsis placuit, e censu scriptorum agiographorum eraserunt; plerique omnes vel ipsam inspirationem eiusque genuinam notionem prorsus amandarunt (3). Illustratio porro Spiritus sancti, quam

(1) Vide s. August. in op. *De haeresibus*, item s. Irenaeum, lib. 1. *Contr. haeres*, s. Epiphan. *advers. haeres.* Theodoret. *Haeret. fabul.* etc.

(2) Ecquis ignorat, gnosticos et manichaeos eliminasse e sacrorum Librorum censu libros omnes Veteris Testamenti; Marcionem vero libros Novi Testamenti, excepto Lucae Evangelio, quod, ut loquitur Tertullianus, decurtavit: quem propterea *comesorem murem Ponticum* vocat, qui Evangelia corrosit (lib. 1 *adv. Marc.* c. 1); et ita porro fecisse haereticos reliquos, qui epistolas s. Pauli eliminaverunt, ceterasque Scripturas?

(3) Inter quos aetate hac nostra eminet Scherer Genevensis, qui vestigia premens rationalistarum omnem prorsus inspirationem sacris scriptoribus denegavit in op. *La critique et la foi.* De his plura scripsimus in op. *L'idea cristiana della Chiesa distrutta nel Protestantesimo*,

praetendunt in Bibliorum interpretatione protestantes pietistae nuncupati, turpis illusio est et pallium ad omnes contegendas aberrationes excogitatum, ut liquet ex tot eorundem commentis (1).

497. Ad alteram minoris partem quod attinet, recludere scilicet protestantismi principium viam ad indifferentismum, quem vocant, in religionis negotio, incredulitatem ac impietatem omnimodam, tum theoretice, tum practice facile ostenditur. Etenim fieri nequit, tanta sententiarum varietate et contradictione inspecta, quin suboriatur contemptus tot dissidentium sectarum, quarum unaquaeque, se veritatem possidere, clamat ac vociferatur; fieri non potest, quin ulla ex tot sententiis firma subsistat, cum a tot aliis oppugnetur; exinde infertur, indifferens esse quamcumque profiteri religionem, veram aut falsam. Ex indifferentismo autem lapsus in incredulitatem suapte natura sequitur, cum vel ipse communis sensus dictet, haud posse veram fidem inter tot opinionum monstra subsistere. Hinc fidei cuicumque nuncium remittunt, solo Deismo, ac naturali religione, ut ipsi dicunt, contenti. Et en incredulitatem, quae undique grassatur. Practice vero hoc ipsum patescit; siquidem exploratum est, prima incredulitatis germina ex protestantismo prodiisse, potissime vero in Anglia (2), in Germania (3), deinde vero in Gallia (4); nunc vero inter protestantes eorumque fautores maxime dominatur. Protestantismus est quam opportunus ad propagandam incredulitatem; sub eius enim nomine plena incredulitas tegitur, ut patet ex actis publicis, ex scriptis, ex furore, quo protestantismo adhaerentes christianam religionem insectantur (5). Impietas demum omnimoda non est nisi incredulitatis effectus. Nam qui fingunt, se religioni naturali adhaerere, atheismum practicum sectantur, excutiunt a se omnem Dei timorem, immortalitatem animarum non credunt, nec proinde praemia aut poenas in altera vita pro bene aut male gestis haberi; novum proclamant ius, totius iustitiae, fidelitatis, veritatis, honestatisque publicae ac privatae eversivum. Vere dici potest, omnium malorum, quibus premitur universa societas, originem ex protestantismo haberi (6).

498. Post haec vix opus esse putamus pluribus ostendere veritatem

Genova 1862, cap. 17. Idipsum adstruit pseudoepiscopus Colenso in Anglia, et ita porro.

(1) Ibid.

(2) Coepit Lockius in Anglia viam sternere in rationalismum seu incredulismum, ex eo deinceps prodierunt Collins, Dodwell, Hartley, Mandeville, Priestley, Covari, Bolingbroke, Tindal, Woolston, Chubb, Blount, etc., de quibus cf. Chassay *Conclusion des démonstrations évangéliques*, livre deuxième, première partie, *les libres penseurs anglais*, chap. 8 et 9.

(3) De quibus cf. Bar. de Starck in *Convivio Theoduli*, pag. 108, seq. ed. Paris, 1812.

(4) Ducibus praesertim Rousseau, Voltaire, D'Alembert, ceterisque encyclopediae scriptoribus, quibus deinde socios se addiderunt Helvetius, Volney, Dupuis ac de quibus cf. Chassay op. cit. 4 part. chap. 1, seq.

(5) Etenim compertum est, proselytistas protestantes una cum bibliis et tractatibus sectae disseminare passim opera incredulorum et immoralia; idque in Anglia, in Hispania, in Galliis, in Italia, in Hollandia, in Belgio. Plura huius rei publica documenta suppeditant *Annales catholici genevenses*, nec non publicae ephemerides.

(6) De qua mentionem fecit Pius IX in Encyclica ad Cardinales, Archiepiscopos et Episcopos Italiae an. 1865, 10 augusti.

tertii membri assertae minoris, ex eodem protestantismo omnem funditus everti sanae moralis doctrinam. Enim vero doctrinam moralem, quae destituta sit omni religione, labefactari necesse est; siquidem sine basi ac fundamento ethices subsistere nequit. Praeterea doctrina ipsa protestantismi de inutilitate, imo vero de pernicie bonorum operum in ordine ad salutem, de servo arbitrio, ac proinde de absoluta ac ferrea necessitate, sive ad bonum sive ad malum, de absoluta praedestinatione aut reprobatione hominum absque praevisione bonorum aut malorum operum; de inamissibilitate gratiae, per quodcumque facinus in electis, ac de impossibilitate observationis divinorum mandatorum, deque irresistibili ad peccatum necessitate a Deo ipso peccati auctore inducta, aliaque eiusmodi, quae ab antesignanis protestantismi excogitata (1), necessario viam omnem praecludunt cuivis sanae moralis doctrinae et praxi, omnes notiones sanae ethices evertunt, atque effrenem cupiditatibus omnibus aditum aperiunt. Atque haec potissima ratio est, quare omnes perditi homines cuiusvis regionis, increduli, athei practici, sectarii secreti, omni vi et contentione protestantismum ubique foveant, promoveantque, ac maxime se infensos praebeant catholicae religioni, quae unice flagitiosis eiusmodi principiis adversatur, eaque omnia damnat et execratur. His enim semel positis, actum est de individuorum ac societatis universae honestate incolumitateque (2).

Cum igitur de veritate minoris propositi syllogismi luculenter constet, concludamus necesse est, omnium reipsa haereseon pessimam protestantismum esse censendum, prout ostendendum assumpsimus.

§ II.

De aliis praeter haeresim circa fidem errorum gradibus, eorumque respectivis censuris theologicis.

499. Ea apud nonnullos invaluisse videtur opinio, quod parvi facienda sit quaecumque doctrina aut propositio, quae haeresi non sit notata, perinde ac si nullius culpae reus ille foret, qui formali haeresi exclusa, haud vereretur damnabilem adstruere propositionem, quae tamen haeresi affinis esset. Ad perniciosam adeo convellendam persuasionem operae pretium duxi prius enumerare praecipuas saltem notas, quibus varii errorum gradus distinguuntur, qui plus minusve a genuina catholica doctrina abscedunt, iuxta probatos auctores; deinde vero gravitatem reatus persequi, quo se obstringunt, qui aliquem ex recensitis erroribus deliberata mente propugnant.

500. Praemittimus autem, 1° respectu habito ad eos, qui doctrinae alicui notam inurunt, utpote damnabili ob eius a sana catholica doctrina aberrationem, aliam dici censuram seu notam doctrinalem, aliam vero iudicialem. Doctrinalis est, quae a privatis theologis affiu-

(1) Cf. Döllinger, *La Réforme et son développement intérieur*. Paris 1850, in quo omnium recensitorum articulorum documenta excerpta ex pseudoreformatorum libris referuntur; prout pariter iam ex parte praestiterat Möhler in sua *Symbolique*, tom. 1.

(2) Lege, quaeso, praeclarum *Avertissement à la jeunesse et aux pères de famille*, par M. l'Evêque d'Orléans (Dupanloup) Orléans 1863, in quo recentiorum incredulorum principia excutiuntur, nominatim vero Renan, Maury, Taine, Littré, etc. Qui omnes sunt protestantismi patroni, et Catholicismi impugnatores acerrimi.

gitur alicui propositioni; iudicialis, quae a legitima auctoritate. 2° Rursum eam quae a legitima auctoritate fertur, praesertim vero a romano Pontifice, aut a concilio oecumenico, vim obligandi habere in conscientia, eo quod coram Deo valeat, qui Ecclesiam magistram in iis omnibus, quae ad fidem moresque quoquomodo pertinent, ac iudicem constituit; 3° notam eiusmodi, quae et censura theologica dicitur, vulgo definiri consuevisse: *Iudicium seu sententia, qua nota prava et maligna cuidam inuritur doctrinae tanquam fidei aliquo modo nocivae* (1). Doctrina enim, quae sic notatur, non modo falsa necessario esse debet, sed praeterea excessum quemdam prae se fert supra communem falsitatis gradum (2). Atque haec ratio est, propter quam additur in definitione: *nota prava*, maligna seu ignominiosa, qua propositio damnatur.

501. Quibus praemissis, ad gradus enumerandos iam accedimus, quibus propositiones a vera germanaque fidei doctrina abludentes multiplici censura affici possunt, et qua ratione gradu inter se differant. Cum porro magno numero hae notae recenseantur, nos contenti erimus, ad quem intendimus finem, praecipuas tantum persequi, quae sive a conciliis, sive a romanis Pontificibus in damnatione propositionum usurpatae sunt. Siquidem a concilio constantiensi articuli Wicleffi et Huss, alii notati sunt ut *haeretici*, alii ut *sapientes haeresim*, et ita porro (3), prout pariter se gesserunt romani Pontifices in damnatione propositionum Baii, Iansenii, ceterorumque a verae doctrinae tramite aberrantium. Atque exinde factum est, ut theologi damnabiles propositiones distinxerint in *haereticam, erroneam, haeresi proximam, sapientem haeresim, de haeresi suspectam, errori proximam, sapientem errorem, suspectam erroris, impiam, blasphemam, periculosam in fide et moribus, scandalosam, male sonantem, piarum aurium offensivam, captiosam, temerariam, schismaticam, seditiosam, ecclesiasticae hierarchiae eversivam, falsam, improbabilem*, etc. (4).

502. In hac censurarum recensione theologi plerique omnes consentiunt; ast non ita unanimes sunt in vi uniuscuiusque determinanda, cum inter se dissentiant in conditionibus requisitis ad earum quamlibet in particulari notam constituendam. Nobis, quibus mens non est tractatum de censuris conficere, ex probatis auctoribus, qui hoc super argumento data opera scripserunt, contenti erimus magis receptas sententias seligere.

503. Itaque *haeretica* illa dicitur propositio, quae veritati fidei ab Ecclesia definitae e diametro, ut aiunt, seu contradictorie opponitur, ex. gr. Christus non est Deus; aut etiam quae veritati adversatur, quam magisterio suo Ecclesia tanquam de fide profitetur, quamvis nullam expressam dederit definitionem, ex. gr. Ecclesia in rebus fidei ac mo-

(1) Talis est censurae notio, quam tradiderunt Melch. Canus, Card. Caietanus, Antonius de Panormo apud Montagnum in op. *De censuris sive notis theologicis*, art. 1, § 1 in vol. 1 Cursus completi, Migne.

(2) Cf. Suarez, disp. 19, sect. 1.

(3) Sess. 8, et 15.

(4) Ut videre est apud citatos auctores, praesertim vero apud Antonium, Panormitanum nuncupatum, qui opus edidit hoc de argumento vere absolutum, quodque inscripsit: *Scrutinium doctrinarum, qualificandis assertionibus, thesibus, atque libris conducentium*. Vol. unic. in-folio. Romae 1709.

rum non est infallibilis (1); aut denique quae contradicit apertis Scripturarum testimoniis, traditione et Ecclesiae sensu expositis, ex. gr. Abraham duos non habuit filios (2). Quae quidem omnia brevi hac formula comprehendere possumus: *Haeretica propositio ea est quae directe et immediate opponitur veritati catholicae;* aut etiam: *Quae directe et immediate adversatur doctrinae a Deo revelatae et ab Ecclesia propositae* (3).

504. *Erronea* propositio ita ab errore, quem continet nuncupata(4), ea formaliter dicitur seu constituitur per oppositionem mediatam cum doctrina divinitus revelata, adeo ut ea sit, quae directe opponitur conclusioni theologicae, quae sive a duabus praemissis de fide, sive ex altera de fide, altera vero evidenter cognita naturali lumine deducatur; si opponatur *certo*, erit propositio certo erronea, sin vero tantum *probabiliter*, erit quoque dumtaxat probabiliter erronea, prout etiam contingit in haeresi (5).

505. Post has veniunt propositiones, quae quamdam inter se affinitatem seu necessitudinem prae se ferunt; sunt autem, quae dicuntur *haeresi proxima*, *sapiens haeresim*, ac de *haeresi suspecta*, atque uti tales proscribuntur.

506. *Haeresi proxima* illa censetur, quae ex consensu omnium fere theologorum directe et immediate adversatur doctrinae revelatae, paucis dumtaxat ex adverso dissentientibus theologis, levi ductis motivo (6). Quocirca potest eiusmodi propositio quandoque ratione sui esse haeretica, ast ratione modi, quo id cognoscitur, non est omnino exploratum; hinc non nisi tanquam *haeresi proxima* notatur. Iuxta hanc notionem pronum est colligere, censuram, quae propositioni erroneae inuritur, esse graviorem illa, qua solum ut *haeresi proxima* proscribitur: quia negans conclusionem theologicam, cui directe et immediate ex dictis propositio erronea opponitur, cogitur necessario ex parte obiecti negare praemissam de fide; contra vero adstruens propositionem haeresi proximam potest non esse haereticus, quia falli in hac sua opinione potest, cum nulla sit necessaria connexio inter suam opinionem et haeresim. Qui proinde pertinaciter adhaeret propositioni erroneae, in foro saltem externo, vehementiorem excitat de haeresi praesumptionem, quam qui adhaeret propositioni haeresi proximae (7).

507. Alii tamen diversam tradunt propositionis haeresi proximae no-

(1) Quamvis enim Ecclesia, directe saltem, hanc definitionem non ediderit, attamen iugi ac perpetua sua agendi ratione, se infallibilitate divinitus pollere, patefecit et ostendit.

(2) Apposite dixi: apertis Scripturarum testimoniis, traditione et Ecclesiae sensu expositis: nam alioquin non esset absolute haeretica propositio, si soli Scripturae textui per se contradiceret, cum adhuc exponi posset diverso sensu, ut saepe contingit.

(3) Cf. Panormitanum in *Scrutinio*, cap. 2, art. 1, n. 6, seqq., ubi pluribus eiusmodi propositionis haereticae notionem adstruit et defendit.

(4) Ex substrata materia intelligitur, hic sermonem esse de errore, qui fidei adversetur, quo latissimo sensu sub nomine propositionis erroneae comprehenditur etiam haeresis

(5) Cf. Montagnum in op. cit. § 2, n. 5, seqq. In hanc propositionis erroneae notionem conveniunt Suarez, disp. 19, sect. 2, n. 14, Bannez 2, 2. q. 11, art. 2. De Lugo, disp. 20 *De fide*, sect. 5, n. 79.

(6) Cf. Punctum 5 *Scrutinii*, cap. 6, n. 18.

(7) Uti animadvertit accurate Panormitanus in suo *Scrutinio*, art. et cap. cit.

tionem, quod nempe ea dicatur haeresi proxima propositio, *quae est in ultimo, aut fere ultimo definibilitatis gradu constituta, ut declaretur haeretica; seu in qua concurrunt omnes conditiones, quae requiruntur, ut declarari valeat haeretica*, prout fere contingeret, si in aliqua propositione omnes omnino patres aut theologi unanimi consensu illam uti haereticam haberent (1). Quo sub respectu gravior foret nota de *haeresi proxima*, quae infligeretur alicui propositioni, quam nota *erroneae*. Nam illa propositio vere esset haeretica in se, proxima autem haeresi, quatenus medium cognoscendi immediatam eius contradictionem cum veritate fidei non est in se ipso regula fidei, sed potius signum eiusdem regulae (2). Ex duplici hac notione fit, ut, qui uni potius quam alteri adhaeret, inurat alicui propositioni censuram *erroneae* tanquam minorem, potius quam *haeresi proximae*, quam censet deteriorem, vel contra (3).

508. *Sapiens haeresim* ea dicitur propositio, *quae duplicis sensus, sani et pravi proprie capax est; attamen sensum pravum, sive ratione sui, sive ratione circumstantiarum loci, temporis, personarum, etc., praevalentem involvit.* Exemplo sit in Arianis, quibus in deliciis erat propositio ex Scriptura ipsa desumpta: *Pater maior me est*, eam de divinitate intelligentibus; aut in monachis Severianis: *Unus de Trinitate crucifixus est;* aut in lutheranis: *Fides iustificat*, hisque similibus (4).

509. De *haeresi suspecta* gradu tantum differre videtur a propositione haeresim sapiente; illa enim effertur tanquam de haeresi suspecta, *quae ex se utriusque sensus, catholici et heterodoxi, capax est, quaeque sive ratione sui, sive ratione circumstantiarum sufficiens praebet fundamentum, non quidem ad probabile iudicium ferendum, quod auctor sit haereticus, sed solum ad suspicionem et timorem aliquem absque temeritate de eo concipiendum*(5). Itaque auctor propositionis sapientis haeresim praebet fundamentum probabile iudicandi, quod sit haereticus: auctor vero propositionis suspectae de haeresi sufficiens praebet fundamentum ad suspicandum et timorem aliquem de eo concipiendum.

510. Idipsum data proportione decernere debemus de propositionibus notandis ut *errori proxima*, *sapiente errorem, de errore suspecta*, prout diximus de propositionibus *haeresi proxima, sapiente haeresim*, ac de *haeresi suspecta;* quatenus et illae fundamentum praebent vel iudicandi, vel suspicandi, quod earum auctor in corde aliquem errorem nutriat contrarium conclusioni theologicae, communi consensu certae (6).

(1) Ita cit. auctor. cap. 6, art. 1, n. 19.
(2) Ibid.
(3) Ex eiusmodi animadversione invicem componuntur, qui diverse sentire videntur circa maiorem minoremve censurae gravitatem, seu gravitatis gradum tribuunt aut erroneae, aut haeresi proximae censuris.
(4) Ita rursum egregie auctor *Scrutinii* cap. 6, art. 1, n. 5. Eleganter vero id exposuit Canus, lib. 12 *De locis theol.*, cap. 2, his verbis: « Quid haeresim sapiat, quid non sapiat, non tam definitione et argumentatione speculatricis disciplinae, quam sensu quodam gustuque iudicatur. Qui deinde exemplo hanc a se traditam notionem eleganter explanat et confirmat.
(5) Ita Card. de Lugo *De fide*, disp. 20, sect. 3, art. 87, seqq. Cui subscribit auctor *Scrutinii*, loc. cit., suamque facit.
(6) De Lugo, n. 90, cum quo convenit Suarez loc. cit. et auctor *Scrutinii*.

511. Post has veniunt propositiones *male sonantes et piarum aurium offensivae*, quas non pauci gravesque auctores identicas esse existimant (1), ita ut promiscue usurpentur et infligantur a concilio Constantiensi et a romanis Pontificibus (2). Non omnino inter se conveniunt theologi in vi ac notione earum constituenda. Verosimilior magisque recepta earum notio ea esse videtur, quam exhibet doctus Antonius a Panormo (3), qui censet, propositionis male sonantis, seu piarum aurium offensivae naturam in eo consistere, quod ita formetur, ut quamvis in bonum sensum exponi queat, nihilominus pravus ipsius sensus, sive ex intrinseca natura, sive ex circumstantiis extrinsecis sano et catholico praevalens ac praeponderans, pias aures offendat, malumque sensum prae se ferat. Animadvertendum porro est, plerumque propositionem male sonantem aut piarum aurium offensivam respicere agenda, secus ac contingat in propositionibus, *sapiente haeresim* ac de *haeresi suspecta*, quae habent pro obiecto *credenda*, aut si priores etiam habeant pro obiecto credenda, sensus malus non talis est, ut sit penitus haereticus, sed aliqua infra haeresim pravitate infectus (4).

512. Qui autem ab invicem duas hasce notas distinguunt, in eo reponunt eiusmodi distinctionem, quod propositio male sonans universaliorem prae se ferat extensionem, quam piarum aurium offensiva; quae videtur aliquid specialiter superaddere in ordine ad religionem. Nam specialiter offendit pias aures, cum aliquid indecens, vel indignum in materia religionis auditur aut profertur. Hinc omnis piarum aurium offensiva propositio est etiam male sonans, sed non e converso omnis male sonans propositio est etiam piarum aurium offensiva. Piarum vero aurium nomine, ut recte animadvertit Melchior Canus, veniunt aures catholicae, prudentes et devotae; nam imprudentes, imperitos et malevolos offendit aliquando propositio, quae doctos, prudentes et benevolos non offendit. Qui praeterea monet, ad discernendas male sonantes et piarum aurium offensivas propositiones ab iis, quae hasce notas non merentur, *non esse habendam rationem vulgi promiscui, imbecillis, perturbati, imprudentis, sed prudentis, sinceri, pii, incorrupti. Nec theologia modo requiren-*

(1) Hos auctores recenset Montagnus, op. cit. § 5.

(2) Siquidem Concilium Constantiense, et Rom. Pontifices Pius V, et Gregorius XIII, aliique, quoties male sonantis notam inurunt, toties de altera piarum aurium offensivae silent, et viceversa. Quae agendi ratio argumento esse videtur de illarum censurarum identitate.

(3) Cap. 7, art. 3, n. 7.

(4) Quae declarat duobus exemplis cit. auctor, altero petito a propos. 30, damnata ab Alexandro VIII: « Confessiones apud religiosos factae, pleraeque vel sacrilegae sunt vel invalidae; quae propositio (inquit ipse), male profecto sonat, offenditque haud dubie pias aures, dum sacrilegium et invaliditas confessionum refundi videtur in ipsos religiosos, ac si earundem radix sit unice, quod non fiant apud sacerdotes saeculares; » altero vero exemplo a 20 articulo Wicleffi damnato a Concilio Constantiensi: « Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus; quae propositio posset ad sensum sanum trahi, si de temporalibus subventionibus intelligatur, quae dentur in pretium orationis. Nihilominus dicta propositio in sua universalitate aures pias offendit, utpote quae avertit fideles a piis operibus, ne videlicet divites indigentibus subveniant, indigentes vero ad orandum pro benefactoribus sese obligent; etiamsi non per modum pretii ista subventio habeatur, sed per modum eleemosynae, vel etiam stipendii.

da est, sed pietas et prudentia, sine qua nullae aures possunt consentaneos sonos abhorrentesque discernere (1).

513. His adnectuntur propositiones: *temeraria, scandalosa, schismatica et seditiosa*. De singulis aliquid est dicendum.

514. *Temeraria* propositio ea est, quae communi ss. patrum doctrinae adversatur, aut quae constanti theologorum sententiae contradicit absque gravi rationis vel auctoritatis fundamento (2). Ex quo patet, nunquam temerarias propositiones posse sanas evadere, sed omnino vitiosas esse. Duplex a gravibus auctoribus distinguitur temeritas, altera positiva, negativa, seu privativa altera. Positiva est, quae contra receptam doctrinam patrum aut theologorum pugnat; negativa seu privativa habetur temeraria propositio, quae solo proprio iudicio sine sufficienti auctoritate, aut rationis momento excogitata est in re theologica ac supernaturali (3). Provenit autem eiusmodi temeritas ex inconsulto novitatis pruritu, atque ex quodam iudicii proprii inordinato amore, quo quis ex animi levitate sese elatius gerit, inanem captans gloriolam; ac saepe fit eius auctoribus primus ad ruinam gradus.

515. *Scandalosa* propositio ex communi theologorum sententia ea perhibetur, quae dat occasionem ruinae spiritualis, inclinando ad peccata, aut avertendo a virtutum exercitio. Cum duplex secernatur scandalum, a quo propositio scandalosa nomen sortitur, alterum per se, alterum vero per accidens, nempe activum ac passivum, hinc fit, ut pariter duplici modo possit esse scandalosa propositio. Est scandalosa active seu per se, quando ex sua natura apta est ad generandam spiritualem ruinam proximo: scandalosa passive censetur ea, ex qua proximus per accidens ob propriam fragilitatem sumit occasionem spiritualis ruinae. Proprie nota, quae alicui propositioni tanquam scandalosae inuritur, non cadit nisi super activam, quae nempe ratione sui inducit ruinam spiritualem, non autem super passivam, quae tamen iusta interveniente causa prohiberi potest ac interdici. Sedulo insuper hic notandum est, propositionem aliquam interdum in se posse veram esse, nihilominus tanquam scandalosam damnari ratione modi, quo effertur, utpote qui sit vitiosus ac pariens scandalum in audientibus aut legentibus. Cuius rei luculentissimum praebet exemplum s. Augustinus in lib. *De dono perseverantiae*, ubi Adrumetinorum monachorum circa divinam praescientiam hac allata propositione: *Et si qui obeditis, si praesciti estis reiiciendi, obedire cessabitis*, illico subdit: *Hoc verissimum est: ita sane, sed improbissimum, importunissimum, incongruentissimum; non falso eloquio, sed non salubriter valetudini humanae infirmitatis appositio* (4).

516. *Schismatica* propositio formaliter sumpta, seu quatenus ab haeretica, cum qua communiter coniungi solet, distinguitur, definiri potest ea, *quae viam scissionis unitatis ecclesiasticae aperit*, dum sci-

(1) *De loc. theolog.* lib. 2, cap. 11.

(2) Ita s. Antoninus part. 2 *Summae theol.* tit. 12, cap. 8. Card. De Laurea, disp. 16, *De doctrina de haeresi suspecta*, art. 2, n. 13, 14. Card. de Lugo, Suarez, Ripalda apud Montagnum, § 6.

(3) Cf. Suarez, disp. 19 *De fide*, sect. 2, n. 20, nec non de Lugo *De fide*, disp. 20, sect. 3, et Panormitanum in *Scrutinio* loc. cit.

(4) Cap. 22, n. 61.

licet fideles ab obedientia superioribus ecclesiasticis debita, ac praecipue rom. Pontifici, qui est totius unitatis ecclesiasticae centrum, removet ac retrahit. Cum vero duplici id ratione contingere possit, vel negando, romanum Pontificem esse caput ecclesiae et Christi vicarium, eique inesse potestatem ferendi leges ecclesiasticas; vel simpliciter ei detrectando obedientiam, eiusque legibus observationem, absque ulla prorsus ecclesiasticae auctoritatis exclusione a Christo ipsi concessae: fit, ut propositio sit aut haereticoschismatica, ut in priori modo, aut simpliciter schismatica, ut in posteriori. Plerumque tamen in praxi evenit, ut schismati iungatur haeresis per denegationem auctoritatis in romano praesule, ac propterea propositiones, quibus id enunciatur, sint et haereticae et schismaticae (1). Interdum vero nonnullae propositiones configuntur veluti schismati favent; sunt autem illae, quae schismati adblandiuntur et favent, probaturque adeo, ut animi in illud flectantur; sunt porro eiusmodi propositiones summopere perniciosae.

517. *Seditiosa* propositio ea designatur, quae ab obedientia principibus civilibus debita retrahit, aut ad tumultus in republica excitandos inducit. Quae definitio innititur doctrinae angelici praeceptoris, qui hoc constituit inter schisma et seditionem discrimen, quod schisma adversetur unitati spirituali, seditio temporali et saeculari (2). Ex quo nonnulli collegerunt, notam *seditiosae* non esse censuram proprie theologicam. Ast perperam; constat enim, concilium constantiense inter ceteras notas theologicas, quibus Wicleffi et Hussi articulos confixit, et hanc seditiosae affixisse (3), ut alia documenta praeteream (4). Ratio autem est, quia propositio, ex se seu de natura sua seditiosa, a veris morum regulis aberrat. Dixi ex se seu ex natura sua, quia potest propositio esse seditiosa per accidens, seu ex adiunctis extrinsecis temporum, locorum et personarum, prout de scandalosa propositione diximus (5).

518. Accedunt propositiones *blasphema et impia*. Blasphema propositio ex angelico doctore *ea est, quae convicium et irreverentiam contra Deum continet*. Maledictio enim et contumelia in sanctos aut res sacras, non nisi quia in Deum terminantur, eam rationem suscipiunt. *Sicut Deus*, ait ipse, *in Sanctis suis laudatur, in quantum laudantur opera, quae Deus in Sanctis suis efficit; ita et blasphemia, quae fit in sanctos, ex consequenti in Deum redundat* (6). Propositio autem blasphema alia est haereticalis, alia simplex: haereticalis, qua exprimitur error contra fidem; simplex

(1) Tales sunt propositiones Wicleffi: « 8. Si Papa sit malus, non habet auctoritatem super fideles, » 9: « Post Urbanum VI nemus recipiendus est in Papam, sed vivendum modo Graecorum sub legibus propriis, » et 27 Ioannis Huss: « Non est scintilla apparentiae, quod oporteat esse unum caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum ipsa militante Ecclesia conversetur et conservetur; » quae damnatae sunt a Concilio constantiensi.

(2) II, 2, q. 42, art. 1 ad 2: « Seditio, (inquit) differt a schismate in duobus. Primo quidem, quia schisma opponitur spirituali unitati multitudinis, scilicet unitati ecclesiasticae; seditio autem opponitur temporali vel saeculari multitudinis unitati, puta civitatis vel regni.

(3) Cf. *Scrutinium*, cap. 6, art. 13.

(4) Quae ibidem videri possunt; animadvertit enim *Scrutinii* auctor, censura theologica merito notari propositiones tanquam a veris morum regulis aberrantes; quod pluribus exemplis confirmat.

(5) Ita Panormitanus loc. cit. n. 25.

(6) II, 2, q. 13, art. 1 ad 2.

vero non item. De essentia blasphemae propositionis est, ut importet quandam derogationem, ut loquitur s. Thomas, alicuius excellentis bonitatis, et praecipue divinae (1).

519. *Impia* ea dicitur propositio, quae pietatis opera deprimit ac depretiat, debitum scilicet cultum Deo, ut supremo omnium nostrum patri, honorem parentibus et consanguineis, superioribus ac benefactoribus obsequia et debitam gratitudinem aufert aut minuit (2). Ex hac notione patet, propositionem impiam Deum attingere sub ratione divinae paternitatis, ac beneficiorum ex ea nobis provenientium, ac per hoc distingui a blasphema, quae Deum laedit sub ratione convicii, sive simplicis sive haereticalis. Cum vero latissime pateat divinae paternitatis ratio, hinc fit, ut impiae dicantur generatim propositiones, quae Deum impetunt, ac impii vocentur, qui religionem quoquomodo aggrediuntur (3).

520. Atque hae sunt praecipuae notae, quibus qualificari consueverunt propositiones, plus minus a recto fidei ac morum tramite deflectentes, tum a conciliis, tum a romanis Pontificibus. Post has aliae minus praecipuae recensentur, cuiusmodi sunt *iniuriosa* seu *contumeliosa*, qua alicui vel personae, vel statui iniuria irrogatur; *captiosa* quae sub specie quadam veritatis aut pietatis in errorem inducit (4); *verbo Dei contraria*, quae veritati quidem revelatae opponitur, sed nondum ut tali a supremo ecclesiae iudicio definitae; *improbabilis*, quae nullo Scripturae aut traditionis testimonio, aut nulla theologica ratione nititur. *Falsa* a nonnullis propositio dicitur, quae est dissentiens ab obiecto suo, sed dissensione fidei nociva: quo sensu non esset falsitas nota theologica a ceteris specifice distincta, sed esset instar generis, cum omnis propositio censura notata necessario falsa esse debeat. Quare ab aliis definitur: *ea quae identitatem, propinquitatem, aut necessariam connexionem dicit cum propositione expresse damnata ut haeretica;* quo sensu esset nota specifica.

521. Quamvis autem, ut diximus, omnis propositio damnata falsa sit, non tamen semper haec nota adiicitur expresse, quia ad finem intentum non est necessaria, nisi aliqua peculiaris ratio id exigat: praesertim cum proprie falsitatis nota consueverit usurpari ad designandam potissime eam, quae adversatur alicui facto, cuius rei exemplum habemus in propositione quarta Iansenii damnata ab Innocentio X: *Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem, et in hoc erant haeretici, quod vellent eam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.* Quae quidem propositio praescripta est uti *falsa* et *haeretica*, nempe falsa quoad factum, seu partem historicam, *haeretica* quoad ius, seu partem doctrinalem. Communius nunc receptum est, ut nota falsitatis infligatur adversus factum.

Ceteras censuras minoris mo-

(1) Loc. cit. in corp.

(2) Talis est notio, quam eiusmodi propositionis exhibet Card. De Laurea, disp. 16. *De person. et doctrin. De haeres.* art. 2, prop. 3, n. 8, seqq.

(3) Ac reipsa receptum est in communi usu, ut impii vocentur, qui incredulos et atheos practicos se manifestant, quique sunt in peiori conditione quam haeretici.

(4) Talis est propositio hac censura notata in Santarello circa ann. 1629: « Non est impendendus cultus religionis sanctis sicut Deo. »

menti praetermittimus, cum nobis satis sit breviter exposuisse in usum tyronum notas, quas recensuimus.

522. Priusquam absolvamus hoc argumentum, nonnulla adiicere praestat: ac primo, quod attinet ad assertores aut propugnatores eiusmodi damnabilium propositionum, haud culpa carere, eaque gravi, si scienter ac deliberato animo id fiat. Siquidem ut plurimum talia effutiuntur ex quadam temeritate, ex novitatis amore, et interim earum auctores se coniiciunt in grave errandi periculum, a quo vix aut ne vix quidem pedem retrahere postea poterunt, ac praeterea scandalum aliis praebent. Eo vel magis culpabiles se praebent, si agatur de propositionibus iam alias ab ecclesia seu a romanis Pontificibus confixis (1). Secundo, si agatur non de iudiciali, sed de doctrinali censura, qua a privatis auctoribus nonnullae doctrinae notari solent, magna ab ipsis cautione esse procedendum. Non debent nimis faciles esse in configendis nonnullis doctrinis, eo quod ipsis non arrideant; alioquin incurrere poterunt in grave periculum doctrinas innoxias gravi detrimento caritatis et iustitiae damnandi. Caute omnino in re tanti momenti incedendum est, ac nisi agatur de errore manifesto, praeoccupandum non est sanctae sedis iudicium, cum res adhuc in medio relicta est, ac de auctoribus catholicis agitur (2); imo quoad eius fieri potest, in partem faventem inflectenda trutina est. Cuius moderationis mirum exemplum nobis praebuit Angelicus doctor, et qui eius vestigia secuti sunt Bellarminus, Suarezius, aliique graves auctores.

(1) Cf. Suarez, disp. 20, sess. 1, 6, art. 1.

(2) Saepe hoc monitum vel ipsis synodis dioecesanis, aut etiam provincialibus praebet et inculcat Benedictus XIV in praeclaro opere *De Synodo dioecesana*, controversiis nondum ab apostolica Sede definitis. Id ipsum multo magis auctoribus privatis servandum praescribit in constitutione, *Sollicita ac provida*, quae praemittitur Indici libr. prohibitorum.

(3) Cf. Lugo *De fide*, disp. 18, sect. 4, n. 10, seqq., qui refert auctores contendentes, apostasiam constituere speciem infidelitatis distinctam a paganismo, iudaismo et haeresi, quique proinde inadaequatam dicunt infidelitatis divisionem trimembrem. Alios deinde refert, qui censent, apostasiam non esse nisi circumstantiam, quae reperiri potest in qualibet alia infidelitate. Posterior sententia communior est, et consentanea videtur doctrinae s. Thomae II, 2, q. 12, art. 1 ad 3. Et huic sententiae adhaerent praeter Lugo, Suarez, Canus, et auctor *Scrutinii*, nobisque etiam verosimilior videtur.

Art. III. *De apostasia.*

523. Inter vitia, quae fidei adversantur, praeter infidelitatem et haeresim recensuimus apostasiam seu recessionem a fide, non eo sensu, quod per eiusmodi partitionem voluerimus quaestionem dirimere inter theologos agitatam, utrum apostasia constituat speciem infidelitatis distinctam, quod plerique negant (3); sed ad significandum tantum apostasiam a fide, quae *perfidia* dicitur, quaque fides omnino destruitur.

524. Haec autem recessio a fide potest esse vel partialis vel totalis; partialis reperitur in haereticis, qui catholicam fidem ante professi, eam deserunt, ut alicui sectae, quae christiano adhuc nomine gloriatur, se adscribant. Totalis eorum est apostasia, qui deserto Christo, vel ad paganismum, vel ad iudaismum transeunt; atque isti sunt, qui antonomastice apostatae nuncupantur, cuiusmodi fuit Iulianus imperator, cognomento *apostata*, eo quod christianam religionem deseruerit ad paganismum profitendum, dum ce-

teri imperatores desciscentes a catholica fide, *haeretici* vocati sunt.

525. Cum apostasia perinde valeat, ut diximus, ac discessio aut recessio, duos terminos supponit, alterum, a quo quis recedit, alterum, ad quem quis accedit. Qui proinde hoc se atroci crimine polluunt, duplicis immanissimi peccati rei constituuntur, tum desertionis christianae veritatis, tum professionis aut paganismi aut mahumetismi, aut iudaismi. Denominationem vero acquirunt a termino *ad quem*, ac simpliciter pagani aut islamitae, aut iudaei denominantur, qui aliquam ex his superstitionibus profitentur.

526. Nunc pauci iam sunt, qui *formali*, ut ita loquar, apostasia se commaculent (1); ast frequentissime inveniuntur luctuosis his temporibus, qui aequivalentis seu virtualis ac interpretativae apostasiae delicto se maculent per naufragium a fide christiana. De hac propterea mihi peculiari ratione agendum esse existimavi, ut tantum malum, quantum in me est, a christiana republica avertam. Ut autem quodam ordine procedam, tum diversas classes enumerabo eiusmodi apostatarum, tum varios exponam gradus istiusmodi virtualis, quam nuncupavi, apostasiae, tum demum gravitatem peccati, cuius se reos faciunt, qui in eam impingunt, declarabo.

§ I.

Variae classes expenduntur eorum, qui per apostasiam virtualem seu aequivalentem a christiana fide deficiunt.

527. Ex praemissis notionibus apostasia cum dicat recessum seu discessum a Deo, cum quo saltem per fidem quis coniungebatur, consequitur, generatim apostatam omnem esse, qui veram fidem deserit, quam quis antea profitebatur, ac professionem societatemque christianam ita deserit, ut nolit amplius inter ecclesiae membra connumerari. Spectato hoc primo termino, *a quo* quis recedit, patet, apostatas omnes in pari esse conditione; verum si ratio habeatur alterius termini, scilicet *ad quem* quispiam se recipit, possunt apostatae in varias classes distingui, prout magis vel minus recedunt aut abscedunt, sive id fieri contingat verbis sive factis, aut etiam verbis et factis.

528. Itaque primo veniunt in numero apostatarum, de quibus est sermo, quotquot, relicta revelatione supernaturali, rationalismum profitentur, seu rationis ductum unice consectantur, etiamsi larvam aliquam aut umbram revelationis fingant agnoscere, ut se christiano sub nomine tegant. Ceterum, quidquid supernaturalismum sapit reipsa reiiciunt, divinam ex. gr. bibliorum inspirationem, veracitatem, creationem, miracula, vaticinia, mysteria omnia, ideoque Ss. Trinitatem et Incarnationem, et quae cum illis adnexa sunt (2).

(1) Ita impii christiani opinionem praevalentem, ut aiunt, sequuntur; quondam, cum paganismus in aula floreret, plures fiebant pagani; cum vero floreret mahometismus, fiebant islamitae, sive iudaei efficiebantur; non tamen aetate hac nostra defuerunt, qui aut islamismum aut iudaismum profiterentur.

(2) De quibus consuli possunt Amand Saintes in op. *Hist. du rationalisme*, Paris 1841. De Starck in *Convivio Theoduli*, *Chassay Défense du Christianisme historique*, trib. vol. Paris 1863, necnon in *Conclusion des démonstrations évangéliques*, Paris 1833. Item in op. *Le Christ et l'Evangile. Le docteur Strauss et ses adversaires.* Item de Valroger, *Etudes sur le rationalisme.*

529. Secundo tanquam apostatae haberi debent quotquot purum naturalismum seu deismum unice tenent, religionemque christianam ac revelatam omnem penitus abiiciunt. Hi sunt, qui vulgo increduli audiunt.

530. Ad tertiam classem spectant, qui pantheismum sub qualicumque modificatione et forma sequuntur ad exclusionem veri Dei personalis, rerum omnium ex nihilo conditoris. Hi siquidem Deum cum mundo confundunt, adeo ut eum spectent tanquam formam Dei exteriorem eiusque emanationem, per quam ipse se exterius prodit, vimque et actionem suam exerit tum in materia inorganica, tum in plantis, tum in brutis animantibus, ac demum in homine, in quo cogitat et acquirit cognitionem suimetipsius, et constanter se evolvit in historia fatali necessitate, proficitque sub omni respectu (1). Quamvis vero, qui eiusmodi systema sectantur, atheismi abs se denominationem ablegent, re tamen vera athei sunt larvati, atque in atheorum censum omnino referendi (2).

531. Quartam classem apostatarum constituunt athei formales, qui vel ipsam Dei non solum existentiam repudiant, sed vel ipsam eius notionem, adeo ut non nisi fatum ac naturam admittant, libertatem omnem ac essentiale boni ac mali discrimen inficiantur, ac propterea meriti ac demeriti, virtutis et vitii notiones uti vanas ac sensu vacuas voces habent (3).

532. Quinta demum classis ex illis constat, qui plenum et absolutum scepticismum consectantur, ac de omnibus prorsus dubitant nedum extra se positis, sed et de propria existentia. Hi quos vere insanos dixeris ac insanientes, profecto nullam sive de Deo, sive de religione quavis ideam admittunt, atque ceu monstra ac ultimum humani generis dedecus spectandi sunt, atque perpetuo mendaces dum sua agendi ratione practica evertunt, quod theoretice tenere se fingunt.

533. Porro ecquis negaverit, has omnes hominum classes veros apostatas constituere, qui per gradus veluti quosdam magis ac magis a fide abscedunt, atque in totidem abyssos profundissimas corruunt? Omnium horum origo prima superbia est, quae ad eum modum, quo apostasiam partialem, quae in haeresi consistit, genuit, sic et hos coniecit in apostasiam plenam et absolutam, iuxta illud Eccli.: *Initium superbiae hominis, apostatare a Deo: quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor eius, quoniam initium omnis peccati est superbia. Qui tenuerit illam adimplebitur maledictis, et subvertet eum in finem* (4). Quibus verbis graphice et initium et progressus apostasiae designantur. Ideoque non tam ab errore intellectus, quam a cupiditatibus ac prava voluntate exordium omnium istarum aberrationum repeti debet, quae superstructae sunt ad pallium ipsis inducendum. Tolle superbiam, tolle cupiditates, et apostasia omnis sub quovis respectu sive partialis sive totalis a mundo exulabit.

(1) Cf. Maret, *Essai sur le Panthéisme.*

(2) Cf. Lupus *Du traditionalisme et du rationalisme*, vol. 3.

(3) De quibus consuli potest elegantissimum iam cit. *Avertissement à la jeunesse et aux pères de famille, sur les attaques dirigées contre la religion par quelques écrivains de nos jours* par l'Evêque d'Orléans. Orléans 1863. Item opus inscriptum: *Tableau des trois époques*, ou *Précis historique et critique de la doctrine des philosophes avant, pendant et après la révolution.* Tours 1857.

(4) X, 14, 15.

Cum tamen non omnes eodem malitiae gradu apostatae peccent, non abs re erit diversos hos gradus perpendere, quod erat ex praemissis secundo loco praestandum.

§ II.

Varii recensentur malitiae gradus eorum, qui in apostasiam virtualem ac interpretativam dilabuntur.

534. In his gradibus recensendis respectus habendus est non solum ad subiectivam animi dispositionem, quae soli Deo patet, sed potissimum ad obiectivam seu prout se exterius manifestat, habita ratione rei, de qua agitur, aut societatis, cui nomen datur, vinculorum, quibus se aliquis obstringit, finis, ad quem tenditur, mediorum, quae in usu adsciscuntur, ceterorumque eiusmodi adiunctorum, quae indolem patefaciunt specialis malitiae, quae inest apostasiae peculiari.

535. Porro si sermo sit de individuali alicuius errore, aut incredulitate in genere spectata, aut iuxta recensitas modificationes, unusquisque intelligit, minori illum malitia laborare prae aliis, qui in societatem coëunt ad errorem aut incredulitatem ex professo adstruendam ac disseminandam. Etenim quamvis iste gravissime peccet ac reus constituatur facinoris flagitiosissimi tum coram Deo, tum coram ecclesia ac societate, quam scandalo laedit, nihilominus facilius resipiscere poterit, praesertim si aut cupiditatibus illectus, aut prava librorum lectione, aut colloquiis pravis in barathrum illud deiectus fuerit. Difficilis quidem et horum conversio evadit, nihilominus desperata prorsus non est eorum resipiscentia, nec pauca desunt eiusmodi resipiscentiae exempla, ut notum est.

536. Longe peior eorum conditio est, qui se adscribunt sectis secretis, quarum scopus est eversio religionis catholicae seu christianismi, ac vulgo *francomuratoriae*, *carbonariae*, *illuminatorum*, aliarumve appellationum nominantur (1). Harum socii in varios hierarchiae, ut ita dicam, gradus distribuuntur, ac unusquisque gradus sua munera obit. Omnes horribili apparatu in sectam cooptantur, hisque praecipitur, ut, de quibus secreto colloquuntur, habeant secum nullique dicant. Gravissimum exigunt iusiurandum, singuli pro viribus sectae tuendae et propagandae adlaborant; quare hi scriptis, pecunia, patrocinio sectae sunt magno usui, illi persuadent regibus et imperatoribus, ut maioris utilitatis specie perniciosa consilia capiant, isti seditionem faciunt, milites conscribunt et bella gerunt.

537. Igitur quis nisi caecus non videat, sectas omni impetu ferri eo, ut catholicam ecclesiam evertant, et christianismum extirpent? Imo in nonnullis sectarum coetibus res adeo progressa est, ut odium in Deum et Christum eius profiteantur atque abominabilem execrationem (2). Hoc ut plurimum dissimulant, ne publicam indignationem incurrant, mysterii se velamine tegunt; at, cum sese illis occasio obtulerit, quod intus sentiunt, palam proferunt (3). Ecquis hos apostatas non dixerit maximi peccati reos?

538. Proxime ad eos accedunt socialistae et communistae nuncupati, quorum plerique ad enumera-

(1) De quibus videre est praeclarum opus *La franc-maçonnerie dans sa véritable organisation par Ecker traduit de l'Allemand et considérablement augmenté de documents historiques sur la franc-maçonnerie française* par l'abbé Gyr, Liège 1854, duobus vol. in-8.

(2) Praeter auctorem cit. Cf. *Storia, dottrina, e scopo della frammassoneria*. Vienna. 1861.

(3) Ibid.

tas sectas etiam spectant, ita tamen ut directe unaquaeque ex his foederatis peculiarem sibi finem proponat ; socialistae quidem , ut praesentem societatis statum evertant atque in alium commutent , communistae vero eo tendunt , ut proprietates omnes, tum bonorum, tum familiarum cum suis consectariis e medio tollant, ut instituant quemdam pantheismum socialem , ideoque et ipsi eiusdem criminis se reos constituunt (1).

539. Aliae plures eiusdem generis societates seu sectae impiorum hominum hac fere aetate institutae sunt, Sansimoniani, Icariani, Liberi amoris, etc., quae non sunt nisi modificationes ac subdivisiones sectarum antedictarum. His omnibus unus finis praestitutus est habenas laxandi cupiditatibus omnigenis, ac proinde Deum religionemque omnem excludendi , utpote sibi molestam. Et hos propterea inter apostatas connumerare debemus aut formales , aut aequivalentes, qui prima subsellia obtinent in impietate.

540. Horum omnium malitiam , nemo est, qui non videat supremum gradum attingere , etsi honestatis pallio quandoque se tegere connitantur: omnes ab inferis vere erupisse dixeris in perniciem non minus religionis quam societatis universae, cuius fundamenta subruere student. Attamen longe lateque diffusae sunt eiusmodi sectae , in silentio machinas admovent ad ecclesiam conculcandam quatiendamque, atque ad thronos legitimos evertendos. Nihil non moliuntur, ut propositum sibi finem obtineant pertinaci obstinatione. In guberniis latent, ac prima plerumque officia obtinent , ibique telam ordiuntur illorum mediorum, quae magis idonea censentur ad sibi praefixum finem assequendum.

541. At fide divina certi sumus , nunquam fore, ut his machinationibus sectae istae omnes apostatarum ecclesiam concutiant , quae , divini fundatoris sui pollicitationibus innixa, nihil sibi timet. Non ita vero se res habet quoad principes et principatus, qui, dum eas fovent, sibi ipsis perniciem consciscunt. Nos ipsi haud paucos ex istis nondum saeculi unius spatio e thronis suis deiectos oculis nostris vidimus. Dum intenti videbantur ad molestias creandas viris ecclesiasticis ac religiosis, ad bellum gerendum adversus Apostolicam sedem, ad propria iura, ut ipsi autumabant, sarta tectaque tuenda et conservanda, permoti ab occultis sectarum sociis , subito defecerunt, regno aut principatu spoliati et in exilium acti.

542. Verum de his satis ; nunc iam superest, ut expleamus , quae proposuimus, exponendo gravitatem peccati, cuius ipsi se reos faciunt , qui in apostasiam eiusmodi incidunt.

§ III.

Illorum exponitur peccatum, qui quoquomodo in apostasiam incidunt , aut eidem suffragantur.

543. Reos se mortis aeternae efficere *non solum qui ea faciunt*, pronuntiat Apostolus, *sed etiam qui consentiunt facientibus* (2). Ex quibus colligimus, reos fieri gravissimi apostasiae criminis, tum apertos apostatas formales, qui nuncium re-

(1) Vid. Avogadro conte della Motta , *Saggio intorno al Socialismo.* Taparelli *Esame critico degli ordini rappresentativi.* Nicolas, *Del Protestantesimo e di tutte le eresie nel loro rapporto col socialismo.* Nos ipsi de hoc argumento scripsimus in op. *L'idea cristiana della chiesa distrutta nel protestantesimo,* cap. 19.

(2) Rom. I, 32

mittunt catholicae veritati, ut falsam religionem profiteantur, aut ut incredulitati sub quovis respectu adhaereant, tum apostatas virtuales seu interpretativos, qui tamen catholico adhuc nomine gloriantur. De primis res aperta est, ac satis de iis disseruimus. Reliquum igitur est, ut eos persequamur, qui in posteriori classe apostatarum censentur, qui, ut innuimus haud pauci sunt. Ac iuverit ipsos distinctim percurrere, ut pateat, quinam sint, qui tanto se facinore commaculant.

544. Igitur culpabiles apostasiae virtualis ac interpretativae se faciunt, quotquot ex catholicis destinata malitia plaudunt incredulorum et haereticorum conviciis adversus ecclesiam, eamque proscindunt ac lacerant omni, quo possunt, modo, ut contemptibilem efficiant, atque ex hoc principio mandata eius parvi pendunt, imo proculcant.

545. Item, quotquot romano pontifici, coetui episcopali aut sacerdotali, religiosum institutum ab apostolica sede probatum sectantibus, non ex quadam animi levitate, sed ex corde publice insultant tanquam ministris ecclesiae Dei, quam invisam habent et execrantur; nec verentur eos calumniari, persequi et dictis et factis, adeo ut nec possint in publicum prodire, quin istorum impiorum cachinnis, quandoque etiam fustibus aliisque indecoris actibus sese exponant, qui alioquin tanquam honesti cives honorandi essent.

546. Quo item in numero habendi sunt, quotquot in theatris seu scenicis repraesentationibus exhibent irrisioni et despectui tum res sacras, tum sacra ministeria, sacrosque ministros, haereticorum et paganorum more, ut hac ratione animos spectatorum a catholica religione abducant. Nec modo viles abiectique eiusmodi histriones apostasiae de qua loquimur, reatu se contaminant, verum etiam, qui eiusmodi ludibria impedire cum possint et ex munere, quod obtinent, debeant, nihilominus ex secreto in ecclesiam odio permittunt, imo fovent ac promovent. Idem dic de insana turba, quae eiusmodi spectaculis assistit, ac praeterea incredibili quodam furore ea excipit, quandoque etiam iterari poscit.

547. Insuper immunes ab eiusmodi noxa non sunt, quotquot leges aut proponunt aut efficaciter promovent adversantes religionis bono, quaeque eversivae sunt dogmatum atque observationis essentialis ecclesiasticae praxeos et disciplinae, aut iurium ecclesiae; qui os obstruere nituntur concionatoribus, ne veritates annuntient catholicas, quae ipsis non arrident, ac interea facinorosorum quorundam perduellium ecclesiasticorum audaciam ad subvertendos fidelium animos confirmant, tutantur promoventque.

548. Denique, ceteris omissis, eiusmodi apostatis merito adnumeramus eos quoque, qui non modo infractores legum ecclesiasticarum sunt, sed praeterea id praestant ex quadam ostentatione publica ad suum patefaciendum earundem contemptum, ac palam de eis obloquuntur, ac implicite saltem, sin minus explicite, ecclesiae auctoritatem in illis constituendis inficiantur. Neque aliud sentiendum de iis, qui pontificias constitutiones, aut solemnia Pontificis acta gravi supercilio ad suam trutinam revocant, expendunt, damnant, perinde ac si iudices ipsi constituti fuissent ad supremae auctoritatis acta ac determinationes librandas, ut eas aut probent, aut reiiciant pro lubitu suo. Idque dictum volumus, tum de constitutionibus dogmaticis ac doctrinalibus,

tum de disciplinaribus, tum denique de iis, quae ad mores spectant. Fieri enim haec nequeunt a privatis hominibus, quicumque ii fuerint, absque contemptu catholicae religionis, atque haereticali latente in corde principio, quod citius serius oblata occasione exterius se prodet.

549. Iam vero ecquis inficias ibit, hos omnes, quos recensuimus, aliosque eiusmodi magis vel minus apertae apostastae vitio laborare? qui se ipsos oppugnatores hostesque exhibent catholicae fidei quam interius amiserunt, atque omnem dant operam, ut a religione christiana se descivisse glorientur tum dictis, tum factis omnigenis? Profecto, si vel dubius in fide infidelis est (1); quid de iis censendum, qui omnem abiecerunt fidem, ac saltem ita se gerunt, ac si nullam omnino fidem haberent, atque etiam atrox bellum omni, qua possunt ope, eidem indicunt? nonne omnes velut apostatae turpissimi habendi erunt?

550. Quamvis autem forsitan non omnes ecclesiasticis censuris obstricti sint, uti haeretici et apostatae formales (2), tamen coram Deo, imo et addo, coram hominibus, quibus adeo grave praebent, scandalum tales censendi sunt. Certe oraculum Christi est: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est* (3), seu ut alibi legitur: *Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet cum venerit in maiestate sua* (4). Quid porro erit de iis, qui Christum eiusque ecclesiam omnino abiiciunt, aut etiam impetunt et quatiunt sub quovis respectu? nonne isti abscesserunt et abscedunt a Christo eiusque regno seu apostatae totidem veri sunt? Ex iis procul dubio esse convincuntur, de quibus passim apostolus loquitur, praesertim vero in epistola ad Hebraeos, ubi summam istorum conversionis difficultatem exaggerat illis verbis: *Impossibile est, eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum coeleste.... et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam* (5), et iterum: *Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quaedam expectatio iudicii, et ignis aemulatio, quae consumptura est adversarios.... horrendum est incidere in manus Dei viventis* (6). Et interea isti tument!

551. De sacrae antiquitatis sensu ambigi nequit, utpote quae iugiter eos abominata sit. Nam si vel ipsos libellaticos et thurificatos gravissimis ecclesia poenis subiecit, quid de apostatis et desertoribus senserit, unusquisque per se facile intelligit. Hinc s. Cyprianus sic de ipsis scribebat: *Apostatae vero et desertores, vel adversarii et hostes et Christi ecclesiam dissipantes, nec, si occisi pro Christi nomine foris fuerint, admitti secundum apostolum possunt ad ecclesiae pacem, quando nec spiritus, nec ecclesiae tenuerunt unitatem* (7). Quae quidem intelligi debent, nisi resipuerint eiusmodi infelices, poenitentiamque salutarem egerint.

(1) Uti habetur in capite primo *De haereticis*, et a canonistis omnibus adstruitur. De quo principio cf. Suarez, disp. 19, sect. 4, n. 10, qui animadvertit, eiusmodi dubitationem, ut sit infidelitas et haeresis, debere esse deliberatam et pertinacem in materia fidei.

(2) Conc. lateran. 4, in cap. *Firmiter*, et in profess. fidei Pii IV, et alibi passim.

(3) Matth. X, 33.

(4) Luc. IX, 26.

(5) Hebr. VI, 4, 6.

(6) Ibid. X, 26—31.

(7) Epist. LII, ed. Maur. pag. 73.

Cavendum igitur summopere ab eiusmodi impietate, quae catholicum virum in interitum deiicit, a quo difficile admodum est pedem retrahere.

CAPUT X.

DE MEDIIS AD VITIA, QUAE FIDEI OPPONUNTUR, PRAECAVENDA, AB ECCLESIA PRAESCRIPTIS

552. Mirum non est, si ecclesia, quae omni cogitatione fertur ad illibatum ac integrum fidei depositum conservandum, et ad suos filios quovis hac super re lapsu prohibendos, multa sapienter ac prope divinitus constituit. Ac primo quidem poenis spiritualibus mulctat illos omnes, qui scientes volentesque, adeoque culpabiliter, errorem fidei adversantem profitentur, censuris ex. gr. privatione beneficiorum, quae forte quis obtineret, privilegiorum, aliisque eiusmodi (1). Deinde vero removet fideles omnes a quavis in divinis communione cum infidelibus, haereticis et apostatis (2). Ad eundem finem prohibet, quominus fideles, laici praesertim, ullam ineant cum recensitis fidei hostibus disputationem; ac demum interdicit filiis suis lectionem librorum, qui ab iisdem editi ac vulgati fuerint.

553. Duorum porro priorum mediorum, poenarum scilicet, atque interdictionis communionis cum haereticis et infidelibus, expositionem et discussionem nos dimittimus iuris canonici ac moralis theologiae institutoribus (3). Expendemus duo posteriora, quae respiciunt disputationem de religione cum adversariis fidei ac lectionem librorum prohibitorum, ut fidei amittendae periculum a filiis suis amandet ecclesia. Quoad primum contenti erimus germanam hac super re doctrinam exponere ecclesiae catholicae eiusque mentem aperire. Quoniam haud pauci aetate hac nostra tum ecclesiae auctoritatem, tum eius praxim adoriri non verentur, praemissis opportunis explanationibus, apposita propositione vindicabimus duobus distinctis articulis.

ART. I.

De disputatione cum fidei hostibus.

554. Plura sunt, quae hoc sub titulo comprehenduntur, quaeque discussionem exigunt peculiarem: disputatio videlicet in se spectata; item eadem disputatio ex parte personae congredientis cum infideli seu haeretico, nec non ex parte audientium, ac demum ex ratione modi tenendi in disputatione. Ne longior, quam par est, articulus evadat, et confusionem pariat materia, si simul pertractetur, eam in tot paragraphos dispertiemur, et sic ordini non minus quam perspicuitati consultum erit.

(1) Nec paucae nec minimae sunt poenae ab Ecclesia statutae adversus haereticos formales ac manifestos; eiusmodi sunt: 1. Excommunicatio soli Rom. Pontifici reservata, ex cap. *Excommunicamus* de haereticis, item ex cap. *Noverit* de sentent. excom., et in bulla Coenae. 2. Privatio beneficii ipso facto, saltem quoad titulum. 3. Privatio sepulturae, ex cap. *Quicumque* de haeret. 4. Irregularitas, ex eodem capite. 5. Si ab Ecclesia se separent, privati illico sunt omni iurisdictione. De quibus cf. Card. Ant. Thesaurum *De poenis ecclesiasticis seu canonicis*. Vol. in-fol. Romae 1760.

(2) Nempe iuxta bullam Martini V in Conc. Constant. *Ad evitanda scandala*, haeretici notorii, ac nominatim excommunicati vitandi sunt.

(3) Cf. Fagnanum; Card. Franc. Albitium *De inconstantia in fide*, vol. in-fol. Amstelod. 1683, praeter cit. Thesaurum, aliosque passim

§ I.

De disputatione in se spectata.

555. Praemittenda hic in primis est duplicis generis disputationis partitio, quarum altera materialis, formalis altera nuncupari consuevit.

556. Materialis disputatio illa dicitur, quae exercitationis causa in scholis seu circulis suscipitur de rebus fidei. Hanc bonam et valde utilem esse, dummodo rite fiat, nemo est, qui ambigat. Id enim suadet res ipsa; siquidem et in se bona et honesta non alium in finem suscipitur, quam ut tyrones exerceantur in umbratili veluti quadam pugna, ut exinde in vera validi inveniantur ac strenui ad congrediendum cum fidei hostibus, prout in aliis artibus, militari praesertim, fieri consuevit, Confert praeterea ad doctrinam sibi necessariam comparandam, et ad usum acquirendum armorum seu argumentorum, quae validiora videantur ad adversarium fidei vincendum, ad fidei hostibus effugia ac subtilitates praecludendas. Demum iugis ac universalis usus, qui in ecclesia obtinet, eiusdem utilitatem, addo, et necessitatem comprobat.

557. Dixi autem: Dummodo rite fiat eiusmodi concertatio. Ac primo ratione materiae cavendum est, ne aliquis error defendendus suscipiatur aut erronea doctrina; ratione dispositionis animi cavendum, ne quasi de re dubia agatur, cum fidei veritas in controversiam vocatur, et arguens experiri velit, an ipsa firmis fundamentis innitatur, quod saperet infidelitatem, nec gravi culpa vacaret; ratione modi attendi debet, ut non nisi modeste peragatur, ut veritas elucescat magis, non autem ad ostentandum ingenium aut animo rixandi, consectando verba et subtilitates potius quam rei substantiam. Praeclare haec omnia paucis complexus est s. Gregorius Nazianzenus in oratione de moderatione in disputationibus adhibenda, scribens: *Usitata ne spernas, novitatem ne captes ut nominis splendorem tibi apud vulgus concilies* (1), et paulo post: *Maxime ita comparatum est, ut omnis sermo contentiosus et cum ambitione coniunctus exercitatio quaedam sit, qua ad contendendum de rebus gravioris momenti provehamur. Proinde nobis cura esse debet, ut, quemadmodum pueros in primis moribus et prima institutione fingimus, ut insequentis aetatis improbitatem fugiant, ita nos quoque ne in levibus quidem parvique momenti disputationibus audaciae atque ineptiae significationem praebeamus, ne ea tandem diuturna consuetudine in maioribus abutamur* (2). Et haec de disputatione materiali (3).

558. Disputatio formalis seu vera ea est, quae fit ad persuadendam

(1) Orat. 32, edit. Paris 1778, alias 26, n. 26.

(2) Ibid. n. 28.

(3) Praeclara hac super re monita praebet Mabillonius in tractatu *De studiis monasticis*, saec. 2, cap. 10, § 2, dignumque est, ut referatur, quod 4 loco posuit: « Cum quidquam morae exercitationis gratia contra fidei orthodoxae principia obiicere parant, id cautissime multaque cum moderatione praestent, adeo ut inde dignoscatur, vel solius exercitii vel maioris dumtaxat claritatis ergo dubium illud in tali materia proponi: neutiquam vero tanquam rationem, et multo minus ut opinionem, quam serio efficaciterque velint evincere. Cicero, quantumvis ethnicus, modum istum contra Deum disputandi velut impium absolute reprobavit, sive data opera, sive simulate fiat; ait enim: Mala et impia consuetudo est contra deos disputandi, sive animo id fiat, sive simulate. » Cic. in fine lib. 2 *De nat. deor.*

vel defendendam veritatem adversus haereticos aut infideles. Si enim susciperetur ex dubitatione disputantis, ita ut res tanquam dubia in disputationem adduceretur, ut per illam veritas eruatur, intrinsece mala esset in rebus fidei et propria haereticorum est, et catholicis nefas esset de fidei articulis vel levem disputationem admittere.

559. Itaque disputatio cum haereticis pro fide tuenda et eorum erroribus impugnandis de se licita est et commendanda prout ex Scriptura, ex patribus ipsaque ratione constat.

560. Nam apostolus, scribens ad Titum, ait, oportere esse *episcopum amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem: ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere* (1). Quod sine disputatione fieri nequit. Petrus vero, fideles omnes indiscriminatim alloquens, admonet his verbis: *Parati semper ad satisfactionem* (graece apologiam) *omni poscenti vos rationem de ea, quae in vobis est, spe* (2); ac proinde de fide, spei fundamento (3). Exemplo praeterea suo idipsum Christus ostendit, cum disputavit adversus Pharisaeos ad suam divinitatem adstruendam ex Ps. CIX (4); et iterum, cum multiplici argumentatione eosdem convicit (5). Et in Actis legitur: *Surrexerunt... disputantes cum Stephano et non poterant resistere sapientiae et Spiritui, qui loquebatur* (6); de apostolo vero Paulo ibidem: *Disputabat in synagoga cum iudaeis* (7).

561. De patribus pariter res aperta est. Constat enim, eosdem sive cum infidelibus sive cum haereticis palam et scriptis congressos fuisse: cuius agendi rationis tot documenta suppetunt, quot controversias cum iisdem agitarunt, et libri polemici ad nos pervenerunt. Sed praeterea s. Augustinus expresse docet: *Cum respondetur haereticis ex necessitate, aedificantur catholici ex utilitate* (8), et lib. XIV de Trinit. inde scientiam theologicam maxime commendat, quod ad defendendam fidem confundendosque haereticos utilissima sit (9). Ac demum s. Bernardus, *Capiantur*, inquit, *haeretici non tam armis, quam argumentis, quibus refellantur errores eorum* (10).

562. Sed et ipsa ratio id suadet. Nam ex una parte nullo iure positivo eiusmodi disputationes prohibentur, si debitis cautionibus fiant; ex altera vero haud paucae utilitates proveniunt siquidem in illis propriae fidei est protestatio, consulitur honori ipsius fidei ac maiori eiusdem notitiae ad haereticorum conversionem et catholicorum in ea confirmationem; cum praesertim in iis adiunctis disputatio instituitur, in quibus fructus speratur, nec damnum timetur.

563. Igitur tum ex Scripturis tum ex patribus, suffragante ipsa ratione, constat, disputationem cum haereticis in se spectatam honestam ac licitam esse.

564. Hactenus quidem de disputatione in se spectata disseruimus. Cum tamen fieri possit, ut defectus plures irrepant, qui eandem tum illicitam, tum etiam malam reddant

(1) Tit. I, 9. (2) I. Petr. III, 15.
(3) Nonnulli pro spe legunt *fide*; alii utrumque coniungunt, ut s. Thom. II, 2, q. 2, art. 10. S. Fulgentius lib. 1 ad *Trasimund.* c. 2.
(4) Matt. XXII, 41— 46.
(5) Io. VIII, 41, seqq.
(6) Act. VI, 9, 10.
(7) Ibid. XVII, 17.
(8) *Enarr.* in psal. 106, n. 14.
(9) Cap. 1.
(10) Serm. 64 in Cant. n. 8.

ac periculi plenam, expendendae supersunt circumstantiae, in quibus tantum licite et absque periculo disputatio suscipi potest, sive ex parte disputantium, sive ex parte audientium, sive ex modo disputandi. Sit itaque

§ II.

De conditionibus ex parte disputantium.

565. Disputantium nomine complectimur tam catholicos quam haereticos, cum quibus disputatio suscipitur. Conditiones siquidem, quae servari debent, ut licita illa evadat, afficiunt utrosque, licet sub diverso respectu.

566. Ut incipiamus a catholicis, generatim animadvertimus, requiri ex ipsa lege naturae, ut, qui ineunt disputationem, firmi sint in fide, ac nullum ipsis instet periculum dubitationis, multo vero magis excidendi a fide; hoc enim in casu ruinam sibi pararent, dum aliis suppetias ferre contendunt. Requiri insuper ut sufficienter doctus sit, *ut potens sit eos, qui contradicunt, arguere*, ut loquitur apostolus (1). Alioquin deteriorem faceret causam, quam defendere assumit, ingenti fidelium scandalo. Eiusmodi autem doctrina seu scientia relativa saltem esse debet ad illam, qua adversarius potitur (2).

567. In specie autem iure positivo ecclesiastico sub anathematis interminatione vetatur, ne laicus se disputationi ingerat, ut patet ex cap. *De haereticis* in 6, ubi sic loquitur Alexander IV: *Inhibemus quoque, ne cuique laicae personae liceat publice vel privatim de fide catholica disputare; qui vero contrafecerit, excommunicationis laqueo innodetur.* Ideoque sub gravi obligat eiusmodi interdictio. Verum hic quaeritur, qui laicorum nomine designentur? Longe verisimilior illorum sententia videtur, ut tales dicantur per oppositionem ad clericos ad quos hoc officium spectat, iuxta illud Apostoli, quod Deus dedit *pastores et doctores in aedificationem corporis Christi*, nempe Ecclesiae (3). Idque patet ex Concilio Carthag. IV, cap. 98: *Laicus, praesentibus clericis, nisi ipsis iubentibus, docere non audeat* (4): in quibus verbis laici per oppositionem ad clericos nominantur. Et clarius adhuc ex s. Leone M. qui scribit: *Praeter eos, qui sunt Domini sacerdotes, nullus sibi ius docendi et praedicandi audeat vindicare, sive ille monachus, sive sit laicus, qui alicuius scientiae nomine glorietur* (5).

568. Verum hic difficultas exoritur quoad laicos doctos, num et ipsis interdicta sit cum haereticis disputatio, cum scientia et doctrina pollent ad valide retundendas haereticorum versutias? Communior responsio est, haud eos posse eiusmodi disputationes inire, saltem absque episcopi iussu aut rogatu, aut nisi magna utilitas intercedat, et consuetudo ferat (6), ac omne damni periculum absit.

569. Et haec quidem de Catholicis; quod vero spectat ad haereti-

(1) Ad Tit. 1, 9. Cf. Suarez, disp. 20, n. 8, ubi post s. Thomam II, 2, q. 2, art. 10, non pauca documenta ac monita affert, quae utilia hac in re valde sunt.

(2) Cf. Suarez ibid. ubi animadvertit non posse generaliter definiri quanta scientia requiratur, sed considerandas esse circumstantias; nam ad disputandum cum haeretico indocto vel vulgari minor doctrina in catholico sufficit, item minor in re clara, quam in difficili, et sic in aliis.

(3) Ephes. IV, 11, 12.

(4) Apud Hard. *Acta Conc.* tom. 1, fol. 984.

(5) Ep. 109 ad *Maximum Antioch.* episc. cap. 6, ed. Ballerin.

(6) Suarez, disp. 20, sect. 1, n. 11.

cos, ratio habenda est istorum dispositionis. Profecto, si ipsi investigandae ac melius cognoscendae veritatis studio permoverentur, commendanda erit cum illis disputatio. Quod si nullus ex ipsorum protervia et tumore fructus esset sperandus, experientia duce, omnis cum haereticis eiusmodi disceptatio esset declinanda, quae magis eos obfirmaret in suis erroribus. Quo referuntur verba Apostoli: *Haereticum hominem post unam et secundam correptionem devita* (1), et iterum: *Noli contendere verbis; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium* (2). Quibus innixi Patres eiusmodi disputationes passim improbarunt; in his Tertullianus *De praescript. haeret.* cap. 15 seqq. ex professo docet non esse admittendos haereticos ad disputationem de Scripturis sacris (3). Cuius rei rationem exhibet s. Augustinus, dicens: *Non disputationem amant haeretici, sed quoquo modo superare impudentissima pertinacia, ut congregent, quae non pepererunt* (4), et s. Io. Chrysostomus in illud Apostoli ad Titum: *Haereticum hominem, etc., Contentiones*, inquit, *contra haereticos dicit esse vitandas, ut ne frustra laboremus, cum nihil hinc lucri proveniat; finis enim in nihilum vertitur. Cum enim quis ita perversus est, ut, quidquid evenerit, sententiam non mutare decreverit, cur frustra laboras in petram semen iaciens* (5)? Et s. Bernardus subdit de haereticis: *Nec rationibus convincuntur, quia non intelligunt; nec auctoritatibus corriguntur, quia non recipiunt; nec flectuntur suasionibus, quia subversi sunt* (6); ut alios praeteream.

570. Verumtamen monet s. Io. Chrysostomus, non esse facile seu statim desperandum, sed perseverandum esse patienter, quia verbum Dei saepius repetitum solet tandem aliquando operari (7). Imo et illud addo, quandoque fieri posse, ut non omni fructu careant eiusmodi disputationes; quia, etsi disceptans indurescat, ab audientibus saltem fructus speratur aut ex nonnullorum conversione (8), aut ex catholicorum confirmatione, aut etiam ex minori haereticorum audacia. Hinc s. Bernardus: *Etsi*, scribit, *haereticus non surgat de faece, Ecclesia tamen confirmatur in fide* (9). Quocirca catholici viri laudabiliter se conferunt ad libros scribendos, quibus et catholicam doctrinam illustrent, et adversus haereticos et incredulos defendant, licet de eorum conversione non multum sperare possint. Aliquis enim semper fructus colligitur (10).

(1) Tit. III, 10.

(2) II, Tim. II, 14.

(3) Rationem vero praebet cap. 17, scribens: « Quoniam nihil proficiet congressio Scripturarum, nisi plane ad stomachi, qua ineat, eversionem, aut cerebri. Et tamen nostri protestantes constanter nos provocant ad *biblia, ad sola biblia*, ita tamen ut ea intelligi debeant iuxta propria ipsorum placita !

(4) Lib. 15 *contr. Faust.*

(5) Hom. VI in cap. III, ep. ad Tit. n. 1.

(6) Serm. 66 in Cant. n. 12.

(7) Hom. VI in II ad Timoth. n. 2, ubi inter cetera, et haec praeclare scribit: « Si enim piscatores saepe postquam tota die retia frustra iecerunt, non desperant; tamen; multo magis id nobis convenit. Vide namque, quid inde sequatur; saepe contingit, ut post doctrinam assiduam, doctrinae aratrum in profundum animae penetrans, vitium perturbans excindat.

(8) Ita Bossuetus convicit dominam Duras, Calvinistam, per collationem, cui ipsa adstiterat, cum Claudio. Cf. *Il protestantesimo e la regola di fede*, tom. 1, p. 2, cap. 4, art. 2.

(9) Serm. 64 *in Cant.* n. 9.

(10) Cf. Gersonium in tract. *De laude scriptorum*, in quo per totidem considera-

571. Ac certe, si Ecclesiae impugnatores et hostes nunquam cessant ab operibus edendis, quibus eius doctrinam adoriantur; quomodo desides esse poterunt filii eius, qui pro uniuscuiusque conditione ac statu totidem milites esse debent ad praelianda praelia Domini?

§ III.

De conditionibus ex parte audientium.

572. Expendens s. Thomas quaestionem, *utrum sit cum infidelibus publice disputandum: Ex parte audientium*, scribit, *considerandum est, utrum illi qui disputationem audiunt, sint instructi et firmi in fide, aut simplices et in fide titubantes. Et quidem coram sapientibus in fide firmis nullum periculum est disputare de fide. Sed circa simplices est distinguendum, quia aut sunt sollicitati sive pulsati ab infidelibus, vel haereticis, sive paganis nitentibus corrumpere in eis fidem, aut omnino non sunt sollicitati super hoc, sicut in terris in quibus non sunt infideles. In primo casu necessarium est publice disputare de fide, dummodo inveniantur aliqui ad hoc sufficientes et idonei, qui errores confutare possint; per hoc enim simplices firmabuntur, et tolletur infidelibus decipiendi facultas; et ipsa taciturnitas eorum, qui resistere deberent pervertentibus fidei veritatem, esset erroris confirmatio. Unde Gregorius in II Pastor. Sicut incauta locutio errorem pertrahit, ita indiscretum silentium eos qui erudiri poterant, in errore derelinquit. In secundo vero casu periculosum est publice disputare de fide coram simplicibus, quorum fides ex hoc est firmior, quia nihil diversum audierunt ab eo, quod credunt. Et ideo non expedit eis, ut verba infidelium audiant disputantium contra fidem* (1).

573. Adeo haec dilucida sunt, ut vix opus sit aliquid adiicere. Id unum animadvertimus, ea intelligenda esse non solum de disputatione publica, sed etiam de privata, ac non omnimode occulta, quae habeatur coram paucis aut fide infirmis aut simplicibus, qui facilius percipiunt difficultates quam earum solutiones (2). Quinam autem auditores tales habendi sint, prudentia quadam est iudicandum (3).

§ IV.

De conditionibus ratione modi.

574. Curandum in primis est, ut fructuosa evadat disputatio, ideoque non de verbis contentio sit, sed de rebus ac sententiis, prout monet s. Thomas (4) exponens illud Apostoli: *Noli contendere verbis*. Cavendum praeterea est a conviciis, contumeliis, iniuriis, quae valde dedecent catholicum virum, grave munus exercentem: ac proinde fructum impedirent, qui intenditur (5). Tertio res ita agi debet, ut pateat, non adversarium vincendi causa susceptam disputationem esse, sed ut veritas eluceat, ac triumphus de errore sit, non de persona; quod re-

tiones enarrat, quae his versibus continentur: « Praedicat atque studet scriptor, largitur et orat. Affligitur, sal dat, fontem lucemque futuris. Ecclesiam ditat, armat, custodit, honorat. Reperitur autem in opp. editione Ellies Dupin Antverpiae 1706, tom. 2, part. 1, pag. 694, seqq.

(1) II, 2, q. 10, art. 7.
(2) Si fiant in lingua vernacula.
(3) Cf. Valentia, *De fide*, q. 10, disp. 1, punct. 4.
(4) Art. cit. 7 ad 1.
(5) Cf. S. Io. Chrysostom. hom. 6 in II ad Tim.

cte s. Hieronymus expressit, dicens: *Non de adversario victoriam, sed contra mendacium quaeramus veritatem* (1). Quarto demum prae oculis habendum est, quod de moderatione in disputando monuit s. Gregorius Nazianzenus, ut *nec tarditate nimia, nec nimio fervore agatur: ex utroque*, inquit, *extremo sumendo id quod utile ac fructuosum est, ex illa mansuetudinem, et ex hoc zelum* (2).

575. Si quando publica atque etiam privata concertatio cum haeretico instituatur, prudentissimum est consilium, ut non solum testes adsint, sed et scribae, qui excipiant, quae hinc inde probata fuerint. Sic enim se gessit s. Augustinus in collatione quam habuit cum donatistis (3).

576. Praeclaram cum haereticis *reformatis* nuncupatis disputandi methodum praebuit Veronius, qui ea saepius feliciter usus est, eosque ad silentium passim ingenti rubore redegit (4).

577. Ceterum, etsi ex hactenus discussis disputatio cum infidelibus et haereticis per se bona sit, quandoque autem maxime utilis, imo et necessaria, nihilominus experientia ostendit, non nisi raro eam in bonum cedere. Ut plurimum enim mala fides in haereticis se immiscet ac praevalet. Hinc merito Tertullianus: *Haeretici*, inquit, *firmos fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt* (5).

ART. II. *De prohibitione librorum malorum, praesertim haereticorum.*

578. Hoc est alterum medium, quo Ecclesia utitur, ut immunes ab errore, haeresi aut impietate reddat filios suos. Mirum est, quo furore non solum haeretici, verum etiam increduli omnes, aetate potissimum hac nostra adversus eiusmodi prohibitionem excandescant, praesertim ex quo ubique fere locorum invaluerit principium de libertate typographica, quod in omnibus guberniis formae, quam vocant, repraesentativae obtinet (6). Nec tamen eiusmodi gubernia sibi cohaerent, dum enim cuivis quidlibet vulgandi adversus religionem, adversus Ecclesiam, adversus fidem, facultatem amplissimam tribuunt, mulctis, carceribus, exilio, si opus fuerit, plectunt eos, qui libellis editis adorirentur gubernii formam, aut statutum, seu constitutionem civilem; item dum blasphemias omnes, convicia nedum contra Romanum Pontificem et Sanctos omnes, sed contra Deum ipsum libere evomi patiuntur, si alicui verbulum excideret, quod summum imperantem attingeret, illico gravissimis poenis subiiceretur (7).

579. Verum quidquid de hac a-

(1) Lib. 1 *contr. Pelag.* n. 21, ed. Vall.

(2) Orat. cit. 26, seu 35, n. 6, ex edit. Paris. 1778, aut ex ed. 1630.

(3) Cf. *In Breviculo collationis cum Donatistis*, cap. 8.

(4) Inscribitur autem: « Methodus compendiaria sive brevis et perfacilis modus quo quilibet catholicus, etiam scholis theologicis non exercitatus, potest solis bibliis, sive genevensia illa sint, sive alia, et confessione fidei, religionis praetensae ministrum evidenter mutum reddere et religionario cuicumque, quod in omnibus et singulis praetensae reformationis suae punctis errore teneatur, demonstrare. »

(5) *De praescript. haeretic.*, cap. 15.

(6) Hoc nempe est unum ex principiis constitutis in celebri conventu habito an. 1789.

(7) Cuius agendi rationis quotidiana exempla suppetunt in gubernio italico nuncupato, in quo libere quaeque turpia, irreligiosa, impia scripta vulgantur impune; sed si verbum excidat, quod vel a longe aut statutum, aut personam regiam videatur attingere, illico mulctae et carceres auctoribus decernuntur. Talis est libertas, quae ab eiusmodi guberniis data est.

gendi guberniorum ratione sentiendum sit, Ecclesia ius habet arcendi fideles suos a venenatis fontibus, eosdemque fontes eisdem digito, ut ita dicam, demonstrandi, ut sibi caveant, ne mortem animae incurrant. Idque facile evincitur, spectata natura rei, de qua agitur, item missione sibi divinitus collata, usu perpetuo nec non sanctionibus gravissimis conciliorum oecumenicorum romanorumque Pontificum. Quare insequentem propositionem adstruimus.

PROPOSITIO

Iure ac merito Ecclesia malorum librorum interdicit lectionem fidelibus suis, eosque ab illis arcet, ne inficiantur.

580. Ac primo ab Ecclesia iure ac merito librorum malorum lectionem interdici, clamat ipsa, de qua agitur, rei natura. Nam agitur de negotio omnium maximo, de intemerata scilicet fide servanda, ex qua pendet animarum aeterna salus, aut sempiternus interitus. Siquidem mali dicuntur libri illi, qui errores exitiales continent aut contra fidem, aut contra mores aut contra legitimas auctoritates. Si propterea eiusmodi libri vulgo ac impune legi permitterentur, facile iisdem erroribus animi imbuerentur, actum esset de puritate fidei ac morum, imo et de publica securitate. Et sane si omni ratione cavendum est, ne corpora contagiosa lue foedentur, qua ad certum interitum cives adducerentur, multo magis eadem cautela opus est, ne animi pravis doctrinis imbuantur, quae ad extremam ipsos perniciem impellerent. Atque hac ratione vel ipsa gubernia se gerunt, dum agitur de non labefactanda perniciosis scriptis civili societate.

(1) Matth. XXVIII, 20.
(2) Io. XXI, 15, seqq.

581. Praeterea idipsum ostendit divina missio, quae Ecclesiae data est de custodiendo fidei deposito, et ad coelum perducendo recto itinere fideles quos ipsi Deus commisit. *Docentes eos*, dixit Christus Apostolis suis de iis, quos baptizaverint, *servare omnia quaecumque mandavi vobis* (1), et ad Petrum Apostolorum principem : *Pasce*, inquit, *agnos meos, pasce oves meas* (2). Hinc Apostolus Paulus episcopis simul Mileti congregatis aiebat: *Ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis exurgent viri, loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. Propter quod vigilate* (3); et ad Timotheum scribens: *O Timothee*, inquit, *depositum custodi* (4). Ex quibus aliisque pene innumeris, quae adduci possent, testimoniis dilucide patescit, omnem Ecclesiae cogitationem et curam in eo sitam esse debere, ut quacumque ratione potest, Christi doctrinam integram servet. Ergo dare operam debet, ne perniciosi libri fidelium manibus terantur. Nam si, aiente Apostolo, *corrumpunt mores bonos colloquia mala* (5), quanto magis scripta, quae permanent, fidem moresque corrumpere dicenda sunt, nisi compescantur, prohibeantur removeanturque e fidelium manibus? Quamobrem potest ac debet Ecclesia damnare et prohibere, vi muneris sibi commissi a Christo Domino de intemerata doctrina custodienda usque ad saeculi finem, libros, qui eam quoquo modo corrumpunt foedantque.

582. Tertio Ecclesiam quovis tempore usam esse hac potestate, compertum est documentis biblicis et

(3) Act. XX, 29—31.
(4) I. Tim. VI, 20.
(5) I. Cor. XV, 33.

historicis. Legitur enim Act. XIX, 19: *Multi ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros et combusserunt coram omnibus; et computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium* (1). Quod exemplum aetati insequenti norma fuit. Celebre est factum quod refert Tertullianus de quodam presbytero, Pauli amatore, qui periodos Theclae edidit, nec non eiusdem Apostoli conficta itinera ac gesta. Qui cum a s. Ioanne Evangelista convictus fuisset falsitatis, depositus ab officio est, atque inter apocryphos seu reiectas et damnatas scripturas istiusmodi libri reiecti sunt (2). Sic etiam can. 52, inter apostolicos nuncupatos, saec. III editos, constitutum est: *Si quis falso inscriptos impiorum libros tamquam sanctos in Ecclesia publicaverit ad perniciem populi, e clero deponatur* (3). Ex quo deprehendimus, eiusmodi libros interdictos fuisse. Aliud eiusdem potestatis usus exemplum eodem saeculo praebet s. Cyprianus; qui libellum calumniosum a novatianis editum adversus s. Cornelium papam proscripsit, adiiciens: *Si quando talia quorumdam calumniosa temeritate conscripta sunt, legi apud nos non patimur* (4). Sic etiam concilium nicaenum scripta Arii condemnavit, teste Socrate (5), ac legi vetuit, ut scribit Sozomenes (6). Pluribus exemplis opus non est ad ostendendum, Ecclesiam quovis tempore noxios libros proscripsisse. Si quis plura cupit, poterit egregios auctores, qui hac de re data opera scripserunt, consulere (7).

583. Quarto, nec minus luculenter idipsum conficitur ex gravissimis conciliorum oecumenicorum romanorumque Pontificum sanctionibus. Sane praeter libros Arii damnatos prohibitosque a concilio nicaeno, eadem proscriptio et prohibitio occurrit in concilio ephesino quoad libros Nestorii (8), nec non librum Messalianorum, *Asceticum* inscriptum (9) idem Concilium reprobavit atque prohibuit. Per eadem ferme tempora s. Leo M. libros manichaeorum et priscillianistarum proscripsit, lectionem interdixit, ignique damnavit (10).

584. Sed praestat hic adiicere documentum celeberrimum, quod veluti praeformationem quamdam nobis exhibet operis, quod postea ab indice nuncupatum est librorum prohibitorum a concilio tridentino primo invectum ac deinceps a ro-

(1) Controversia excitata est, num ex mandato Apostoli Pauli eiusmodi combustio facta fuerit, an ex spontaneo illorum fidelium motu. Tirinus in suis Commentariis in sacr. Scripturam in priorem sensum inclinat. Verum, hoc praetermisso, habemus in hoc facto insigne documentum de sentiendi ratione veteris Ecclesiae circa pravos libros.

(2) Tertull. *De baptismo*, cap. 17, collat. cum Hieronym. *De viris illustribus*, cap. 12.

(3) In ed. Hervaci est n. 59; de quo cf. Beveregium in op. *Codex canonum eccl. primitivae vindicatus et illustratus*, lib. 2, cap. 7, n. 4.

(4) Epist. ed. Pamel. 41. In quam vide eiusdem editoris notas.

(5) Lib. I. hist. eccl. cap. 6

(6) Hist. eccl. lib. 1, cap. 21, edit. Vales.

(7) Inter ceteros eminent Gretzerus *De iure et more prohibendi libros*, tom. 13 collect. eiusdem operum ed. Ratisbonensis 1737 — 1741. Theoph. Raynaudus in op. *Erotemata de malis ac bonis libris*, op. edit. Lugdun. 1655, tom. 11. Zaccaria, *Storia polemica delle proibizioni dei libri*. Roma 1757. Scotti, *Teoremi di politica cristiana*. Teorema 9. S. Alphons. de Liguori in dissert. *De iusta prohibitione et abolitione librorum nocuae lectionis*.

(8) Art. 1, edit. Labb., tom. 3, col. 171.

(9) Act. 7, ibid. col. 307.

(10) In ep. ad Thuribium apud Amort. Elementa iuris canon. tom. 1, pag. 255.

manis Pontificibus perfectum et absolutum. Loquimur porro de decreto Gelasiano, quod Romae in concilio LXX episcoporum editum est, et in quo tres distinctae classes habentur, nempe librorum canonicorum catalogus, quos romana Ecclesia uti divinos venerabatur (1); deinde scriptorum orthodoxorum qui ab eadem Ecclesia approbabantur; tertio librorum apocryphorum, seu eorum, quos Ecclesia eadem improbabat. Hoc decretum factum est anno verosimilius 496. Non desunt eruditi viri, qui censeant, decretum istud, quod nomine s. Gelasii vulgatum est, iam coeptum fuisse sub Damaso, continuatum a s. Leone Magno, amplificatum a Gelasio, ac demum absolutum sub Hormisda, eo quod in pluribus codicibus modo uni modo alteri horum pontificum tribuatur (2).

Quidquid vero de hoc sit, illud extra omne dubium nunc adversus nonnullos criticos protestantes positum est, tum eiusmodi decretum genuinum esse, tum in eo ineluctabile documentum exhiberi illius potestatis, qua Ecclesia ac romani Pontifices usi sunt in pravorum librorum prohibitione (3).

585. Ex hac aetate nunquam interruptam seriem habemus eiusmodi proscriptionum librorum haereticorum, quae sive a conciliis, sive a romanis Pontificibus factae fuerunt; uti in synodo octana, in qua damnati sunt libri acephalorum; item a concilio V trium capitulorum damnatio edita est scriptorum origenistarum, et ita porro,

586. Donec a Paulo IV an. 1557 confectus est index librorum prohibitorum (4), qui deinceps paulo auctior an. insequenti 1558 refusus est, ac demum an. 1561 prodiit *Modificatio indicis librorum prohibitorum*. Hoc ipsum negotium demandatum est ab eodem Pontifice concilio tridentino an. 1562, quod aliquot ex patribus elegit, ut novum indicem conficerent, quo probato, demum illum vulgavit apposita constitutione an. 1564 Pius IV una cum decem regulis eidem libro praemissis (5). Ab eius successore s. Pio V instituta est sacra indicis Congregatio an. 1566 ut ab ipsa decernerentur libri, qui damnationis notam mererentur, praevia summi Pontificis approbatione. Hinc factum est, ut sub Alexandro VII coeperit index edi cum clausula: *Alexandri VII Pont. Max. iussu editus*. Demum Benedictus XIV rem totam absolvit sapientissima constitutione *Sollicita ac provida*, omnium plausu excepta, qua modum tenendum proposuit in libris praesertim auctorum catholicorum in indicem referendis. Hic index saepius recusus est pro opportunitate.

587. Causa, ob quam index in-

(1) Hic catalogus idem est ac ille, quem postea Conc. Trident. sess. 4, sanxit.

(2) Apud Blanchinium tom. 4. Anastasii bibliothecarii *De vitis roman. Pontificum*, Romae 1783. Prolegom. opusc. 3, pag. 61, seqq. Cf. etiam Iustum Fontaninium *De antiquitatibus Hortae*. Romae, 1718, lib. 2, cap. 3.

(3) Cf. Zaccaria, op. cit. epoca seconda dall'anno 495 all'anno 866, ubi per extensum refert integrum sive Gelasii, sive Hormisdae decretum una cum documentis posterioribus.

(4) Sic inscriptus erat index auctorum et librorum, qui tanquam haeretici, aut suspecti, aut perniciosi ab officio s. Romanae inquisitionis reprobantur, et in universa christiana republica interdicuntur.

(5) Vulgatus fuit hoc sub titulo: *Index librorum prohibitorum cum regulis confectis per Patres a Tridentina synodo delectos, auctoritate sanctiss. D. N. Pii IV, Pont. Max. comprobatus*. Romae apud Paulum Manutium cudi f. in aedibus populi romani, in-4.

stitutus fuerit, repeti debet ex inventione artis typographicae, qua factum est, ut libri, qui antea non nisi magnis impensis excribi poterant ac longo tempore, ideoque rari habebantur, multiplicari summa celeritate coeperint, et exiguo potuerint pretio comparari. Haeretici hac facilitate abusi sunt ad suos errores disseminandos. Exinde coacta est Ecclesia ad praemuniendos filios suos hunc indicem construere, quo noxii libri notarentur, et eorum lectio interdiceretur, ne pravis doctrinis imbuti ipsi sibi perniciem consciscerent. Labentibus annis index iugiter auctus est, ita ut identidem debuerit excudi (1).

588. Igitur sive spectata rei natura, sive missione Ecclesiae a Christo, fundatore suo, tributa, sive usu perpetuo, sive demum ratione habita gravissimarum sanctionum conciliorum praesertim oecumenicorum romanorumque Pontificum, constat, Ecclesiam ius, imo vero et munus ac officium habere libros pravos prohibendi, ne in fidelium perniciem cedant.

589. Potuissem hanc propositionem argumento, quod vocant *ad hominem* invicte adstruere, nisi praefixi limites brevitatis aliter poscerent. Siquidem exploratum est, tum ex historia, tum ex factis luculentissimis, quovis tempore haereticos et incredulos maxime sollicitos fuisse in comburendis, destruendis, prohibendis libris adversariorum suorum, praecipue vero catholicorum, qui perversis eorum dogmatibus opponerentur. Omissis enim arianis, iconoclastis aliisque antiquis haereticis, qui quovis modo destruere adnisi sunt catholicorum libros (2), saeculi XVI novatores eadem ratione sese gesserunt tum quoad libros catholicorum, tum quoad libros sectariorum, qui invicem sibi adversabantur. Lutherani proscripserunt libros anabaptistarum et sacramentariorum; sacramentarii libros vicissim prohibuerunt lutheranorum; et ita porro (3). Sed, quod animadversione dignum est, iisdem motivis innitebantur, quibus moventur catholici in prohibendis haereticorum scriptis. Sic enim Witakerus Edmundi Campiani quintae rationi, qua is athleta conquerebatur, prohiberi in Anglia libros catholicorum, respondit: *Dolemus a vobis* (catholicis) *ea scribi, quae necessario prohibenda sunt; nisi enim et rempublicam seditione turbari, et Ecclesiam haeresi laborare, et mentes hominum nefariis opinionibus imbui vellemus, libros vestros ab omni aditu propellere oportebat. Nam si magistratus cavere diligenter solet, ne qua pestis contagio in suam civitatem aliunde inferatur, multo quidem magis providendum est, ne libri pestilentes et perniciosi, e quibus homines illiterati mortiferos errores hauriant, palam in foro volitare possint* (4). Haec ipsa intorqueantur in libros haereticorum et incredulorum, et plane cohonestata erit catholicae Ecclesiae praxis. Possem eiusmodi testimonia adversariorum ingenti numero, si opus esset, multiplicare (5); verum necesse non est, cum res per se pateat.

(1) Postrema editio sub Gregorio XVI, an. 1835 prodiit, curante R. P. Degola, sac. Cong. a secretis.

(2) Nam Arianos sollicitos fuisse in comburendis catholicorum libris, testem habemus Georgium pseudopatriarcham Alexandr. in epist. ad orthodox. *De persecut. excit.* Sic etiam Hunnericus, Vandalicus rex in Africa, referente Victore Vitensi lib. 2, *De persecut. Vandal.* « Codices universos sacerdotum, quos prosequebantur, praeceperat ignibus tradi : » et ita reliqui se gesserunt.

(3) Zaccaria, op. cit. lib. 2, cap. 7.

(4) Ibid. n. 2.

(5) Quae magna copia videri possunt

590. Ceterum ex postrema hac animadversione in promptu est responsio saltem indirecta ad omnes difficultates, quas adversarii urgent ad oppugnandam Ecclesiae praxim.

Difficultates.

591. I. Obi. Eiusmodi librorum prohibitio est inutilis ac perniciosa. Ac primo quidem est inutilis: 1° nam excitat curiositatem ac desiderium legendi eos libros, qui forsitan vel ignorabantur, vel negligebantur; 2° quod experientia quotidiana confirmat. Constat enim nonnullos libros qui prius vix legebantur, per interdictum illico sic diffusos esse, ut recudi debuerint (1). Atque huc refertur illud Taciti, quod, cum Nero iussit libros exuri Fabricii Veientonis, subdit: *Conquisitos lectitatosque, donec cum periculo parabantur; mox licentia habendi oblivionem adtulit* (2); 3° idque iuxta receptum adagium: *Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.* Nequit igitur non esse inutilis illa prohibitio, quae non solum effectum non obtinet, sed potius contrarium producit. 4° Accedit, plerosque aut indifferentes, aut nullius conscientiae vel inter christianos ipsos reperiri, quibus talis interdictio inutilis est. Ergo.

592. Resp. 1° generatim: Si ita est, quare igitur adeo excandescunt Ecclesiae hostes adversus eam ob eiusmodi prohibitionem? Cur eam non potius promovent? Cur vel ipsi protestantes hanc praxim consectati sunt, ac nunc etiam quoad possunt libros catholicorum removent, prout etiam nunc temporis et increduli et pseudo-politici ita se gerunt (3)?

593. Resp. 2° *Neg.* Ant.: ad 1. prob. *D.*; in viris parum timoratae vel nullius conscientiae, *C.*; in illis, in quibus fides adhuc extincta non est et conscientia viget, *N.* Etenim quibus adhuc fides cordi est, ac Dei timore reguntur, valde salutaris est librorum prohibitio, ne se gravi culpa inficiant, ac periculo se exponant imbibendi errores, quibus eiusmodi libri scatent, amittendaeque aeternae salutis. Omnes porro sinceri christiani tales sunt, ideoque innumeris prope utilis haec prohibitio evadit. Qui talia obiiciunt ceteros ex semetipsis metiuntur. Qui autem perdita conscientia sunt, nulla lege tenentur.

594. Ad 2. *D.* Si eiusmodi prohibitiones fiant a potestate laica, seu a potestate politica, *Tr.* vel *C.*; si a legitima, nempe ab ecclesiastica potestate fiant, *N.* Ut plurimum enim libri, qui a politica potestate vetantur, ex iis sunt, qui impetunt aut imperantes, aut ipsorum regimen, aut dispositiones aliaque eiusmodi, qui, si interdicantur, curiositatem utique ac de-

apud eundem eruditissimum auctorem nec non apud Gretzerum in suppl. suorum librorum *De iure prohib. libros*, p. 7, cap. 10.

(1) Prout contigit operi cuiusdam Mothe-le-Vayer, aliisque non paucis.

(2) *Annal.* lib. XIV.

(3) Etiam increduli ac haeretici suum habent librorum prohibitorum indicem, quatenus, cum opus ipsis permolestum vulgatur, illico in album suum referunt, atque inter se conspirant, ut nunquam aut in ephemeridibus suis, periodicis elucubrationibus, aut in suis scriptionibus de eo mentionem faciant, ut oblivioni tradatur. Quod pluribus exemplis ostendere possem. Exemplo sit vita primi parochi genevensis, Guarin, duobus voluminibus in-8 comprehensa; iam vero, quamvis de opusculis nullius fere momenti scriptores genevenses notitiam praebeant, cum in hac biographia fraudes, vexationes omnigenae detegantur haereticorum adversus catholicos, altum omnes silentium de ea servarunt. Et ita passim apud eos fit. Ecquis ad malitiam incredulorum et haereticorum cognoscendam valet?

siderium excitare solent; atque huc referuntur, quae ex Tacito allata sunt. Non ita vero se res habet, quando ab ecclesiastica potestate prodeunt hae prohibitiones, quae pro obiecto habent perversam doctrinam sive circa fidem sive circa mores, quae proinde nonnisi in perditis hominibus desiderium aut curiositatem excitare consueverunt: ceteri ab iis se abstinent.

595. Ad 3. *D.* Nisi obsistatur huic propensioni, *C.*; secus, *N.* Si quidpiam valeret obiectum effatum, nimis probaret; nulla enim tunc constitui lex deberet prohibens; vel ipsa divina mandata inutilia dicenda forent. In solis impiis ad summum vel nullum vel contrarium effectum librorum prohibitio produceret; de his autem nulla ratio haberi debet.

596. Ad 4. *D.* Inutilis est incredulis, indifferentibus et impiis eiusmodi prohibitio, *Tr.*; inutilis aliis etiam sub hoc respectu, *N.* Transmisimus primam distinctionis partem, quia haec ipsa prohibitionis transgressio identidem saltem conscientiae remorsus excitare solet, ceteros removet ab istorum consortio; patefacit ipsorum incredulitatem, aliosque eiusmodi effectus, vel ipsis invitis producit. Salutaris est praeterea illis omnibus qui perditae omnino conscientiae non sunt, ac nondum sunt prolapsi in illam impietatis abyssum, per quam omnia contemnant.

597. II. Inst. Saltem non minimum nocet talis librorum proscriptio. Siquidem 1° nocet ingeniis destitutis libertate cogitandi et scribendi; 2° nocet litteratis hominibus qui tot privantur bonis libris, quibus proficere possent; 3° nocet universae reipublicae litterariae, quae destituitur tot praesidiis ad provehendum progressum in scientiis, artibus bonisque studiis; 4° nocet vel ipsi religioni, quasi nempe ipsa ita timeret ab adversariorum telis, ut aliter non posset seipsam tueri nisi ea subducendo ab hominum intuitu, ceu fuga, terga vertendo (1). Ergo.

598. Resp. Imo prodest plurimum, ut patet ex adductis probationibus.

599. Ad 1. Prob. N. Non enim aliud ab ingeniis quaeritur, nisi sobrietas ac temperantia in cogitando atque scribendo. Dummodo se intra debitos fines cohibeant, quos recta ratio et religio constituunt, plena fruuntur libertate. Excessus ac licentia, quae semper nocent in quocumque ordine, damnantur ac prohibentur; alioquin innumera prope mala orirentur, quibus compescendis nullum idoneum suppeteret medium, ubi invalescerent.

600. Ad 2. *D.* Nisi aliud occurrendi huic incommodo medium auctoritas ecclesiastica suppeditaret, *Tr.*; si providerit, *N.* Iam vero doctis ac litteratis viris apte dispositis apostolica Sedes providit per facultatem, quam summa facilitate concedit iis omnibus, qui testimoniis muniti eam poscunt. Adeo vero hac in parte se difficilem non praebet, ut si accusari posset, esset potius de excessu quam de defectu (2). Hac ratione dum malo, ne noceat, providetur, consulitur doctis et eruditis viris, ne retardentur in studiis suis.

601. Ad 3. Neg. ut constat ex praecedenti responsione. Et sane experientia ostendit non minus progredi scientias, artes ac bona studia iis in locis in quibus viget index li-

(1) Cf. cit opus Zaccariae, diss. 1, p. 261, seq.

(2) Debuerunt identidem pontifices romani datam facultatem revocare, ut patet ex non paucis eorum decretis.

brorum prohibitorum, quam ubi non viget. Si comparatio instituatur inter regiones protestantium et catholicorum, deprehenditur, non minus florere litterariam rempublicam doctisque ac eruditis viris refertam sive in his sive in aliis regionibus. Idem dic de progressu in mathesi, astronomia, physica, chimica, medicina, physiologia aliisque disciplinis, perinde ac in re presse litteraria (1).

602. Ad 4. *N.* Nunquam enim vera religio timuit adversariorum tela, quae perpetuo retudit. Nec enim veritas ab errore aliquid habet pertimescendum; ast valde timet infirmitatem lectorum eorumque imperitiam in sophismatibus detegendis, defectum necessariae scientiae ac eruditionis, non autem vim, quae insit in eiusmodi libris, aut pondus. Si omnes bona fide pollerent, docti vere ac eruditi essent, veritatis lux longe magis ipsis affulgeret inter errorum tenebras.

603. III. Obi. non pauca emolumenta ex librorum haereticorum lectione provenire possunt. Nam 1° etiamsi in istorum libris plura falsa sint ac erronea, tamen multa vera et interdum docta et erudita in iis continentur; 2° propterea nequeunt eradicari zizania, ne forte cum illa eradicetur simul et triticum. 3° Quod quidem conforme est Apostoli consilio I. Thess. v, 21: *Omnia probate; quod bonum est, tenete*; 4° eo vel magis, quod ad refellendos haereticos necesse sit eorum errores cognoscere ac fundamenta, quibus innituntur, ut destrui possint, quibusque argumentis catholicam veritatem impugnent, ut eis possit responderi: haec porro omnia praestari nequeunt nisi per ipsorum librorum lectionem. 5° Illudque accedit, quod, dum haeretici errores suos adstruunt, multa tradant quae ad confirmandam veritatem haud parum conferunt, ad adversarios convincendos vel arguendos ex concessis, vel ad contradictionem aut absurditatem in eorum dictis patefaciendam. 6° Id quidem confirmari posset exemplo veterum patrum, qui versatos sese ostendunt in haereticorum libris. Quin etiam concil. carthaginiense IV, cap. 16 praecepit episcopis ut libros haereticorum legerent pro necessitate temporis. Ergo.

604. Resp. *D.* Quae tamen cum non exiguo detrimento ac periculo coniuncta sunt, *Tr.*; quae cum his non coniunguntur, *N.*

605. Ad 1. prob. *D.* Malis et noxiis permixta, *C.*; sine hac permixtione, *N.* Nunquam enim sive haeretici sive increduli venenum purum propinare consueverunt, sed ut plurimum ad alliciendos incautos non pauca docta ac erudita suis lucubrationibus adiiciunt, quibus tanquam retibus aut laqueis irretiant ac decipiant suisque erroribus inficiant lectores suos, quin etiam fucato stylo et eleganti in eundem finem ad legendum alliciunt. Interim incauti capiuntur ac seducuntur. Quocirca vel apud probatos auctores haec ipsa conquirenda sunt, vel, si qui sunt, quibus utilia istiusmodi volumina esse possint, legitima facultate se communiant, ut iisdem uti valeant.

606. Ad 2. *D.* Si per prohibitionem eradicarentur triticum et zizania, *C.*; si tantum avertatur seductionis periculum, *N.*

(1) Satis est percurrere opera Io. Andres, Tiraboschi, praeter bibliothecas tum nationales, tum provinciales uniuscuiusque regionis, nec non amplas bibliothecas, sive historiam litterariam cuiusvis ordinis regularis, ut id appareat luculentissime.

607. Ad 3. *D.* Si agitur de probatione a legitima potestate facienda, *C.*; de probatione facienda a privatis, *Subd.*; inter bona ac licita, *C.*; inter licita et illicita, *N.* Nam probatio, de qua hic disserit Apostolus, ea est, quae fieri debet ab Ecclesiae praesulibus, non autem a privatis singulis. Quum vero aliquid ab Ecclesia improbatum est, cuiusmodi sunt libri, quos ipsa prohibet non amplius opus est probatione ex parte fidelium, sed obedientia, non amplius sunt probandi seu examinandi, sed fugiendi (1).

608. Ad 4. *D.* A delectis viris doctis probatisque, qui idonei sint ad errores detegendos ac refellendos, *C.*; a vulgo promiscuo, *N.* Ita semper factum est in Ecclesia, in qua nunquam defuerunt viri apprime docti, qui haeresum monstra everterent. Ceteri idoneis subsidiis destituti, quae ad tantum opus requiruntur, contenti esse debent auctoritate Ecclesiae, quae eas damnat.

609. Ad 5. idem responsum esto.

610. Ad 6. *D.* Munus doctorum obeundo, utpote a divina providentia in Ecclesia excitati ad sese opponendos haereticis, *C.*; secus, *N.* Patres enim fuerunt veluti luminaria in Ecclesiae coelo a Deo constituta ad tenebras errorum insurgentium dissipandas, ac uti columnae ad fulciendam Dei domum ab incursibus haereticorum. Neque omittendum primis saeculis nondum constitutas circa libros eas leges fuisse, quae postea necessitate cogente, latae sunt (2).

611. Ad 7. *D.* Ad eos refellendos uti Ecclesiae doctores, *C.*; alia de causa, *N.* Sensus canonis est potius restrictivus quam ampliativus, ut ex eius verbis constat, quae ita se habent: *Ut episcopus gentilium libros non legat; haereticorum autem pro necessitate temporis* (3); seu permittitur episcopis, aut etiam suadetur, ut haereticorum libros legant, ut eorum cognitionem sibi comparent, et alios arceant ab ipsorum lectione, ne exinde venenum hauriant ac detrimentum capiant, eosque confutent, prout temporis necessitas postulat (4).

612. Instant: Saltem viri docti ac in fide firmi poterunt noxios eiusmodi libros legere ad eorum confutationem faciendam; siquidem nullum ipsis instat periculum, et facultas praesumenda est. Ergo.

613. Resp. *Neg.* Sed omnino standum est legi. Haud paucos fallit amor sui ipsius et de propria aestimatione sensus exaggeratus; nec sunt facienda mala, ut eveniant bona (5). Quapropter, si viri sunt vere docti atque ea comparati scientia ac fidei firmitate, qua possint felici successu errores refellere, qui fidei adversantur, sibi debitam facultatem adsciscant, quae ipsis cer-

(1) Cf. Estium in hunc loc.

(2) Interim adnotare iuverit, quod, cum s. Dionysius Alexandr. episcopus scrupulis angeretur, ne haereticorum librorum lectione inficeretur, licet, ut par est, eos detestaretur, confirmatus fuit coelesti visione. « Et vox (scribit ipse) ad aures meas perlata diserte mihi praecepit hoc modo: Lege omnia, quaecumque in manus venerint. Idoneus namque est, qui singula disquiras et examines; hacque occasione ad Christi fidem impulsus es. » Apud Euseb. Hist. eccl. lib. 7, cap. 7, ed. Vales. Vide etiam in ed. opp. *De Magistris*, in cap. 3 ad Philemon.

(3) Apud Harduin. *Acta Conc.* tom. 1, col. 980.

(4) Vide Cotelerium tom. 2 *Patrum apostolic.* p. 117.

(5) Cf. s. Alphonsum de Ligorio in dissert. cit. *De iusta prohibitione et abolitione librorum nocuae lectionis*, cap. 5, n. 1.

to non denegabitur, si opportunis fuerint testimoniis communiti. Ceterum, cum lex respiciat universale bonum, omnes ei debent obtemperare.

APPENDIX

De bulla Coenae nuncupata, ac de indice librorum prohibitorum.

614. Hactenus de gravissima librorum noxiorum quaestione: praestat iam coronidis gratia aliquid adiicere ad maiorem huius argumenti elucidationem.

615. Ac primo iuverit animadvertere duplici potissimum via Ecclesiam romanosque pontifices uti ad avertendos fideles a noxia lectione, tum indice librorum prohibitorum, tum bulla, quam vocant *In coena Domini*, eo quod singulis annis in die coenae Domini anniversaria publicari consueverit. Nonnulla circa utramque scholia ad rem nostram subiiciemus.

616. Ut exordiamur a bulla coenae, ea prohibet *libros haereticorum haeresim continentes, vel de religione tractantes.* Super quae verba plures instituuntur quaestiones: 1° num scilicet integer liber, an aliqua eius tantummodo pars prohibita hac clausula censeatur? Communis sententia est, quod ubi opus haeretici in plura volumina distribuitur, quorum alterum errores contineat, alterum vero non item, si haec sint de diversa materia, non censeantur comprehensa, secus vero si de eodem argumento tractetur cum connexione inter se (1). 2° Sic omnes conveniunt, prohiberi etiam manuscripta nondum impressa haereticorum, habita ratione finis, ob quem lex illa sancita est (2). 3° Quod si liber partim haeretici partim catholici sit, distinctione opus est; si enim concurrunt ad librum exarandum per modum unius, absque dubio liber prohibitus est censendus; si vero liber auctoris catholici sit, eique aliquis haereticus adnotationes seu postillas adiiciat, si hae breves sint nec noxiae ac in parva quantitate, non videbitur prohibitus; secus vero si tales sint, ut et numero et prolixitate eo directae appareant, ut doctrina catholica refellatur (3). 4° Quaeri praeterea solet, num sub eadem clausula contineantur etiam libri catholici qui textus proferunt haereticorum in ordine ad ipsorum confutationem. Verum responsio in promptu est, nullo scilicet modo comprehendi, cum ad fidei propugnationem id fiat, atque ad errores haereticorum refellendos, idque praeterea usu iugi tot polemicorum catholicorum, qui hac ratione se gesserunt, ac porro gerunt, approbatur (4). Nonnulli hic adnotant, ex regula 6 indicis cavendum ab agitandis controversiis vulgari idiomate. Quae quidem cautio optima est, cum agitur de controversiarum cursu edendo, de polemicis scriptis ad ecclesiasticae iuventutis institutionem destinatis. Verum si sermo sit de confutatione alicuius operis vulgari lingua exarati fidem ac religionem impugnantis, necesse est eodem idiomate illud refellere; alioquin fideles facile seduci possent destituti antidoto op-

(1) Suarez, disp. 20, sect. 11, n. 9.

(2) Ibid.

(3) Ita Suarez loc. cit. s. Alphons. in cit. diss. cap. 5, n. 4.

(4) Controversistae praecipue, qui necessario debent adversariorum difficultates in medium proferre, ut eas diluant, prout inter ceteros ita se gessit Bellarminus, qui adversarios haereticos plane protrivit. Verum hic cavendum a nonnullorum insidiosa vafritie, qui, dum in toto suo robore hostium fidei obiecta proponunt, deinde adeo leviter eisdem respondent, ut magis ea confirmare videantur. Ego ipse interdum in eiusmodi malitiosos auctores non semel incidi.

portuno. Atque ita universim usu receptum est penes nationes omnes christianas (1).

617. Quod vero spectat ad alteram clausulae partem : *Haeresim continentes*, aut *de religione tractantes*, nullum dubium esse potest, librum censendum prohibitum, qui vel unicam haeresim contineat, etiamsi ex professo in eo de haeresi non agatur. Siquidem inter ceteras haereticorum artes et haec recensetur, quod ipsi consueverint obiter huc illuc errores ingerere ac permiscere in argumento alioquin bono aut indifferenti, ut facilius incautis illos obiiciant. Sic etiam eiusdem clausulae vi prohibiti generatim habendi sunt haereticorum libri de religione tractantes, seu libri qui ex instituto de religione tractent, sive exponentes sacram Scripturam, sive fidei controversiam, sive conciones aliave eiusmodi; non autem si obiter tantum aliquid de religione attingant (2). Hi porro libri, etsi nominatim in indicem relati non fuerint, hoc ipso quod ab haereticis prodierint, interdicti sunt. Attamen quandoque exceptiones habentur ab hac regula, cum videlicet agitur de nonnullis operibus de religione tractantibus editis ab heterodoxis, quae communi consensu innoxia sunt, quandoque etiam rei christianae et catholicae utilia ; exemplo sint: Tractatus de religione Hugonis Grotii, Systema theologicum Leibnitii, Historia Innocentii III ab Hurter adhuc acatholico exarata, item Vita s. Gregorii VII a Voigt edita, Epistolae Cobbet circa ita nuncupatam reformationem Anglicanam, aliaque eiusmodi. Haec enim omnium catholicorum manibus teruntur, quin Ecclesia ea improbet, imo vero quandoque haec ipsa Romae vulgata sunt, ac legitima auctoritate probata fuere (3).

618. Et haec de libris haereticorum ex clausula bullae *Coenae* ad institutum nostrum attigisse sufficiat; nam quod attinet ad ceteras clausulas de retinentibus apud sese libros eosque laudantibus aut defendentibus, de censuris soli romano pontifici reservatis, perinde ac de facultate soli eidem summo pontifici reservata : ea omnia dimittimus ad theologiae moralis institutores, quorum est ea enucleare aut ad eos, qui data opera hoc de argumento scripserunt (4).

619. Sic breviter nos expediemus quoad librum indicis iussu concilii tridentini ac romanorum pontificum editum. Decem in eo, ut diximus, sapientissimae praemittuntur regulae, quae inservire debent tum congregationi ab indice nuncupatae, tum ceteris qui eas servare et exsequi debent. His regulis nonnullae declarationes additae sunt a Clemente VIII, nominatim circa IV, quae pro obiecto habet versiones bibliorum vulgari lingua, *quae, si fuerint ab Apostolica Sede approbatae aut editae cum annotationibus desumptis ex sanctis patribus, vel ex doctis catholicisque viris con-*

(1) Nunc sane iam contraria consuetudo obtinet. Necessitas vero ad ita agendum polemicos scriptores impulit. Cum enim fidei osores lingua vulgari suas elucubrationes edere consueverint, quibus venenum propinant, necesse est eadem lingua eos refellere, alioquin malum foret absque idoneo remedio, cum nemo iam fere sit, qui latina lingua libros conscriptos legat; interim illi gregem Domini depopulantur.

(2) Ita Suarez, diss. 20, n. 17, seqq.

(3) Cuiusmodi sunt epistolae Cobbet in linguam vernaculam translatae, tum Systema theologicum Leibnitii, curante de Lacroix.

(4) Inter quos semper potiori loco habendus est s. Alphonsus de Ligorio.

ceduntur (1); item Alexandri VII, quibus cavetur, ne sine debita facultate opera sive Romae sive in universa ditione pontificia ab auctoribus ibi degentibus composita transmittantur in alias regiones edenda sub comminatis poenis. Idque in ordine ad regulam x.

620. His adiecta est instructio Clementis VIII pro iis, qui libris tum prohibendis, tum expurgandis, tum imprimendis diligentem ac fidelem, uti par est, operam sunt daturi, quae satis prolixa est. Accessit denique constitutio Benedicti XIV *Sollicita ac provida*, de qua paulo ante mentionem fecimus; ubi praesertim circa libros catholicorum plura summa prudentia praescripta sunt, quaeque, si adamussim executioni mandentur, prout fit, nemo est, qui iure conqueri possit, acerbe aut graviter secum actum esse in censura suorum librorum. Quin et illud gravitate plenum addidit doctissimus pontifex: *Utinam vero in adspectum lucemque hominum libri eiusmodi in hac temporum licentia et pravitate non efferrentur, in quibus dissidentes auctores mutuis se iurgiis conviciisque proscindunt, aliorum opiniones nondum ab Ecclesia damnatas censura perstringunt, adversarios eorumque scholas ac coetus sugillant et pro ridiculis ducunt, magno equidem bonorum scandalo, haereticorum vero contemptu, qui digladiantibus inter se catholicis, seque mutuo lacerantibus plane triumphant. Etsi vero fieri non posse intelligamus, ut disputationes omnes e mundo tollantur, praesertim cum librorum numerus continenter augeatur, faciendi enim plures libros nullus est finis ut est apud Ecclesiasten cap. 12, compertum praeterea Nobis sit, magnam aliquando utilitatem ex iis capi posse; modum tamen in defendendis opinionibus et christianam in scribendo moderationem servari merito volumus. Non inutiliter* (inquit Augustinus in Enchir. cap. 59 prope finem) *exercentur ingenia, si adhibeatur disceptatio moderata, et absit error opinantium, se scire quod nesciunt. Qui veritatis studium et purioris doctrinae zelum, quo suarum scriptionum mordacitatem excusent, obtendere solent, ii primum intelligant, non minorem habendam veritatis, quam evangelicae mansuetudinis et christianae caritatis rationem* (2).

621. Quod quidem praeclarum monitum si quovis tempore opportunum fuit, aetate hac nostra maxime est necessarium, in qua Ecclesia eiusque doctrina undique impetitur ab innumeris prope hostibus inter se foederatis. Profecto commiseratione dignum foret spectaculum, ut dum domus vastatur incendio, qui ad illud extinguendum iunctis viribus accurrere deberent, inter se ob nullius aut parvae frugis contentiones secum decertarent ac proprias vires invicem absumerent ac enervarent! Nonne id proinde foret ac Ecclesiae hostibus victoriam decernere atque triumphum?

622. Antequam finem faciam animadvertendum censeo, tum bullam Coenae, tum librum indicis ac decreta congregationis, quibus opera sive haereticorum sive catholicorum in indicem pariter referuntur, haud indigere promulgatione in singulis provinciis, ut in conscientia obligent. Praeterquam quod enim id pluribus in casibus fieri non posset, romani pontifices Pius IV et Clemens VIII mandarunt et cura-

(1) Ex decreto s. Congreg. Ind. 15 iunii 1557, postea edito.

(2) § 22.

runt, ut index per totum orbem publicaretur, ideoque eorum mens fuit, ut universos fideles ubique locorum adstringeret, prout et pontifices reliqui non semel id ipsum declararunt. Satis proinde est ad obligationem inducendam, ut Romae haec decreta promulgentur ad valvas sancti Petri et in acie campi Florae, quemadmodum de ceteris eiusmodi actis fieri consuevit. Multo vero minus necesse est, ut eiusmodi decreta acceptentur ut vim habeant; sufficit propterea ut ad notitiam perveniant.

623. Et haec quidem quoad forum ecclesiasticum sive externum. Nam quod attinet ad rem in se spectatam, extra omne dubium est, lectionem pravorum librorum, qui erroribus contra fidem et sacram doctrinam scatent aut bonis moribus adversantur, ipsa naturali lege prohiberi etiam ob periculum, in quod se iniicerent, qui eiusmodi lectioni operam darent, propriae ruinae spiritualis; hoc ipso se peccati reos constituunt iuxta illud: *Qui amat periculum, in illo peribit.* Quo fit ut, qui etiam facultate muniti fuerint legendi libros prohibitos, si experimento ipsis constet, se in tale incurrere periculum, teneri naturali lege ad se abstinendum a pernicio sa lectione (1).

624. Demum notandum est, censuras latas in legentes, retinentes, vendentes etc. vetitos libros, sive in bulla Coenae, sive in constitutionibus romanorum pontificum per se non afficere nisi libros haereticorum, seu continentes haereses aut prava dogmata, aut ex professo de religione tractantes. Quod vero attinet ad libros catholicorum, qui eos sine legitima facultate legerent aut retinerent, sese culpa lethali macularent, aut in statutas aut statuendas poenas incurrerent, non autem in excommunicationem aliasque censuras inciderent (2).

De fide hactenus

(1) Cf. s. Alphons. in diss. cit.

(2) Ibid.

PARS SECUNDA

DE SPE

1. Si ex apostolo Hebr. XI, fides est sperandarum substantia rerum, pronum est inferre, spem non modo fidei inniti, verum etiam ab ipsa profluere, seu gigni, cum eaque arctissimo nexu coniungi. Quod vero fidem inter ac spem intercedat discrimen, perbelle explicat s. Augustinus, scribens: *Est fides et bonarum rerum et malarum, praeteritarum ac praesentium et futurarum, et suarum et alienarum: spes autem non nisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum, et ad eum pertinentium, qui earum spem gerere perhibetur* (1). S. vero Bernardus sic fidem ac spem loquentes inducit: *Dicit fides: Parata sunt magna et inexcogitabilia bona a Deo fidelibus suis; dicit spes: Mihi illa servantur* (2).

2. Quae de spe a nobis disserenda sunt, versantur circa eiusdem naturam ac fundamentum, nec non circa ipsius obiectum tum materiale, tum formale, eiusque subiectum, circa eius proprietates, effectus ac vitia, quae eidem opponuntur. Quae quidem in totidem capita dispertiemur.

(1) Enchir. cap. 8.
(2) Serm. 10 in psal. *Qui habitat*, n. 1.
(3) Ad Tit. II, 13.

CAPUT I.

DE VARIA SPEI ACCEPTIONE EIUSQUE NATURA

3. Multiplici sensu in sacris litteris spei nomen accipitur; interdum enim sumitur pro re sperata, quo sensu scribit apostolus: *Expectantes beatam spem* (3); interdum pro causa sive primaria, sive secundaria cui spes innititur, iuxta illud psalmistae Deum alloquentis: *Quia factus es spes mea, turris fortitudinis* (4); item pro spei habitu, ex apostolo scribente: *Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria haec* (5); demum pro actu sperandi, uti legitur apud Iob: *Reposita est haec spes mea in sinu meo* (6).

4. In duabus postremis his acceptionibus, de quibus nos agere instituimus, spes potest tum generice sumi, tum presso sensu. Prout generice accipitur non aliud est quam naturalis animi affectio ac appetitio, et a s. Thoma definitur: *Motus appetitivae virtutis, consequens apprehensionem boni futuri, ardui, possibilis adipisci* (7), cuius obie-

(4) Psal. 60, 4. (5) I. Cor. XIII, 13.
(6) Iob XIX, 27.
(7) I, 2, q. 40, art. 9.

ctum est bonum aliquod futurum, seu absens, arduum atque possibile. Sic enim scribit idem Angelicus doctor: *Circa obiectum spei quatuor conditiones attenduntur : Primo, quod sit bonum; non enim, proprie loquendo, est spes nisi de bono ; et per hoc differt spes a timore, qui est de malo. Secundo, ut sit futurum; non enim spes est de praesenti iam habito, et per hoc differt spes a gaudio, quod est de bono praesenti. Tertio requiritur, quod sit aliquid arduum, cum difficultate adipiscibile; non enim aliquis dicitur aliquid sperare minimum, quod statim est in sua potestate, ut habeat: et per hoc differt spes a desiderio, vel cupiditate, quae est de bono futuro absolute. Quarto, quod illud arduum sit possibile adipisci; non enim aliquis sperat id, quod omnino adipisci non potest; et secundum hoc differt spes a desperatione* (1).

5. Discrimen, quod s. doctor constituit inter desiderium et spem, intelligi debet de simplici desiderio, quod non includit arduitatem obiecti assequendi, prout eam supponit spes, quae propterea erigitur ad illam efficaciter per idonea media superandam, prout alibi exponit, dicens: *Spes supra desiderium addit quendam conatum et quandam elevationem animi ad consequendum bonum arduum* (2).

6. Ex his intelligimus, naturam spei generatim sumptae in appetitu consistere alicuius boni futuri, ardui ac possibilis ; ac propterea ad voluntatem pertinere, non autem ad intellectum, secus ac autument saeculi XVI novatores (3). Iuxta diversitatem boni, in quod spes tendit, sive naturalis, sive supernaturalis, spes ipsa in naturalem et in supernaturalem tanquam in duas species distinguitur; quae distinctio etiam aliunde confirmatur. Nos de sola spe supernaturali, quae et theologica nuncupatur, agere constituimus. In quo autem spes haec, prout differt a naturali, consistat, compertum fiet ex insequenti propositione.

PROPOSITIO

Spes christiana est virtus theologica, per quam certa cum fiducia expectamus a Deo tum beatitudinem aeternam, quae in Dei fruitione consistit, tum media illius consequendae propter divinarum promissionum veracitatem.

7. Dicitur 1° *virtus*, quia perficit hominem qui eam possidet, prout proprium est cuiusvis virtutis. Et quidem *theologica*, ac proinde supernaturalis ac divinitus infusa (4): quia pro obiecto immediato habet Deum, summum hominis bonum, possidendum. Quo spectant illa apostoli verba: *Deus autem spei repleat vos omni gaudio, et pace in credendo, ut abundetis in spe et virtute Spiritus sancti* (5).

8. 2° *Certa cum fiducia*, ad significandum solidum fundamentum, cui innititur, qui sperat, ad id, quo tendit, pervenire. 3° Ideo subditur: *Expectamus a Deo*, quia beatitudo talis est, quae solis naturae viribus comparari nequit ; siquidem, ut

(1) Ibid. art. 1.

(2) I, 2, q. 25, art. 1.

(3) Cf. Suarez, *De spe*, disp. 1, sect. 2, n. 1, ubi adnotat novatores utramque virtutem, fidem scilicet ac spem fere inter se confundere, nec actum spei a fidei actu distinguere. Ex quo inferunt spem esse in intellectu, eiusque formale obiectum esse verum, non autem bonum.

(4) Quod spes theologica virtus sit divinitus infusa, sancitum est a Concilio Tridentino sess. 6, cap. 7, his verbis: « In ipsa iustificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur fidem, spem et caritatem. »

(5) Rom. XV, 13.

praeclare docet s. Thomas: *Infinitae virtutis est proprium ad infinitum bonum perducere* (1). Cum vero istud bonum sit futurum, ideo de eo diximus: *Expectamus* (2).

9. 4° Adiicitur: *Tum beatitudinem aeternam, quae in Dei fruitione consistit, tum media illius consequendae:* quae verba habent rationem differentiae, atque germanam spei christianae substantiam propriamque naturam complectuntur. Spes namque, si recte consideretur, constat duobus voluntatis nostrae actibus; uno scilicet, quo appetit Deum et in ipsum movetur, quatenus eundem apprehendit ut propriam beatitudinem; altero, quo eius possessionem ac fruitionem aliquando futuram expectamus per media illius consequendae; quae partim a Dei largitate, cuiusmodi sunt supernaturalia gratiae auxilia, partim a voluntate nostra proficiscuntur, quae sunt bona opera ac virtutum exercitia nobis propria. Ex his Dei possessio constituit spei obiectum primarium, media constituunt eiusdem obiectum secundarium.

10. 5° Demum dicitur: *Propter divinarum promissionum veracitatem:* quibus praecipuum continetur christianae spei fundamentum.

11. Haec porro spes perinde ac fides potest esse sive *formata*, sive *informis*. Formata illa dicitur, quae cum caritate coniuncta est, adeoque in omnibus iustis reperitur; informis autem, quae caritate destituta est, prout contingit in peccatoribus, qui a caritate per lethalem noxam exciderunt.

Quae hic vix attigimus ad enucleandam spei definitionem, plenius exponemus in tractatus decursu.

(1) II, 2, q. 17, art. 2.

(2) Huc referuntur verba Tobiae 2, 18: « Filii sanctorum sumus, et vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.

CAPUT II.

DE OBIECTO SPEI

12. Duplex spei obiectum distinguitur, materiale et formale. Materiale illud est, circa quod spei virtus versatur; formale vero est motivum, quo inducimur ad sperandum, quod per obiectum materiale proponitur. De utroque singillatim distinctis articulis agere constituimus.

ART. I.

De obiecto materiali spei.

13. Bifariam pariter obiectum spei materiale secernitur, primarium scilicet ac secundarium. Primarium est Deus ipse, seu beatitudo nostra in Dei fruitione et assecutione: secundarium, quidquid ad assecutionem Dei perducit, qui est beatitudo nostra. Quod ut adstruatur, sit

PROPOSITIO

Obiectum materiale spei primarium est Deus ipse, beatitudo aeterna: secundarium sunt adiumenta omnia, tum spiritualia, tum temporalia, quae ad beatitudinem ordinantur.

14. Sic vero per partes probatur, ac primo: Illud recte dicitur primarium ac praecipuum spei obiectum, quod voluntas directe appetit ut bonum, quo beata efficiatur, atque ut finem ultimum, in quo plane conquiescat. Sed hoc bonum, in quod homo per christianam spem directe tendit, est Deus ipse ut constituens proprium finem suamque beatitudinem. Hinc D. Thomas: *Non enim*, inquit, *minus aliquid ab eo sperandum est, quam sit ipse, cum non sit minor eius bonitas, per quam bona creaturae communicat, quam*

eius essentia ; et ideo proprium et principale obiectum spei est beatitudo aeterna (1).

15. Praeterea : Id est a nobis praecipue sperandum , quod est per opera nostra praecipue quaerendum : porro illud est beatitudo, dicente Christo : *Quaerite primum regnum Dei* (2).

16. Ad secundarium vero obiectum quod attinet, illud esse adiumenta omnia, quae ad beatitudinem ordinantur, inde patet, quod ad finem obtinendum necessario requirantur media , atque eiusdem virtutis sit velle finem et media ad finem necessaria. Eiusmodi autem inprimis sunt supernaturalia gratiae auxilia, quibus mens hominis illustratur, excitatur , corroboratur ad veritatem cognoscendam , ad exercendam virtutem, ad vincendas cupiditates , ad peccata declinanda ; tum etiam temporalia subsidia ad hanc vitam sustentandam ac tuendam necessaria , quatenus ad eundem beatitudinis aeternae finem aliquo modo referuntur. Nec enim haec omnia petere aut sperare licet nisi a Deo , ut propterea iubeant nos Scripturae sollicitudinem omnem nostram in divinam providentiam proiicere , neque alio fine , nisi ut iis recte utentes aeterna beatitudine digniores efficiamur.

17. Insuper, quidquid a Deo petimus, illud omne est obiectum spei, quia oratio fundatur in spe. Petimus autem a Deo spiritualia et temporalia ; ac omnia suo modo sunt materia divinarum promissionum , ac proinde materia spei. Id ipsum dicatur de eo omni, quod cadit sub meritum , praesertim de condigno. Iure igitur obiectum materiale spei secundarium constituimus in adiumentis omnibus, tum spiritualibus, tum temporalibus, quae ad beatitudinem ordinantur.

18. Ex hactenus expensis recte infertur, Deum, ut est beatitudo nostra , posse quadantenus dici obiectum adaequatum materiale spei , quatenus videlicet reliqua omnia ad consecutionem huius boni referuntur; etsi sub alia etiam ratione omne bonum supernaturale, vel quod ex supernaturali providentia nobis a Deo confertur, possit quodammodo dici materia adaequata spei (3).

Art. II.

De obiecto formali spei.

19. Obiectum formale illud dicitur, quod virtutem aliquam in suo esse constituit atque ab omni alia distinguit, atque motivum seu fundamentum exhibet proprium eiusdem virtutis. Iam vero illud, per quod spes christiana ab omni alia virtute theologica, praesertim vero a caritate, secernitur est Deus, prout est bonum nostrum , seu summa beatitudo nostra , aliquando possidendus ut ultimus finis noster, non sine tamen aliqua arduitate et difficultate, quam vincere nequimus nisi per supernaturalia Dei ipsius subsidia nobis promissa ob Christi merita. Quo fit, ut duplex quodammodo partiale ac inadaequatum spei obiectum formale pariter distinguatur iuxta duplicem actum, quo in Deum tendimus. Alterum est Deus ipse beatificans, in quem per actum desiderii efficacis tendimus; alterum vero Deus auxiliator seu quod respicit media ad ipsum assequendum per voluntatis actum , quo nitimur vincere, Deo auxiliante, difficultates, quae eidem assecutioni obsistunt. Ex his duobus obiectis partialibus , virtualiter inter se distinctis, exsurgit obiectum totale et adaequatum formale virtutis spei.

(1) II, 2, q. 17, art. 2.
(2) Matth. VI, 33.
(3) Cf. Suarez, disp. 1, sect. 1, n. 8.

20. Circa utrumque eiusmodi partiale obiectum, Dei scilicet beatificantis ac Dei auxiliantis, nonnullae controversiae agitantur, sive inter ipsos catholicos, sive inter catholicos et protestantes. Inter catholicos sunt, qui contendant, haud distingui Dei beatificantis amorem ab amore caritatis, quo iustificamur; alii vero censent, Deum beatificantem, seu quatenus est bonum nostrum, esse obiectum spei formale adaequatum absque respectu ad eius auxilia; contra vero alii arbitrantur, proprium et adaequatum formale spei obiectum esse solum Deum auxiliatorem, seu virtutem Dei auxiliatricem. Alii demum ex utroque conflari obiectum formale spei, affirmant. Quod attinet ad priorem quaestionem, in tertia parte, in qua de caritate pertractabimus, opportunius rite disseremus. De reliquis quid verisimilius tenendum sit, insequentibus propositionibus aperiemus, quibus etiam haereticorum errorem de bonorum operum inutilitate ad aeternam beatitudinem nobis comparandam adoriemur.

PROPOSITIO I.

Obiectum formale spei est Deus, ut bonus nobis et in suis promissionibus infinite verax.

21. Hac propositione adaequatum formale spei obiectum complexi sumus, tum nempe Deum beatificantem, seu prout est beatitudo nostra ac bonum nostrum, tum Deum auxiliatorem per promissiones suas, quae constituunt fundamentum spei nostrae.

22. Sic vero veritatem ostendimus prioris partis: Ideo enim Deum appetimus ut beatitudinem nostram, quia ipsum infinite bonum agnoscimus, atque ea quidem bonitate, quae diffusiva est, communicabilis, constituitque creaturarum rationalium perfectionem: *bonum* namque *est*, *quod omnia appetunt*, omnia autem appetunt suam perfectionem (1); multo vero magis, cum eiusmodi donum summum est ac ipsum excedens naturalem ordinem, quatenus supernaturale est ac supra naturae exigentiam ac per solam fidem cognitum.

23. Quoad alteram vero partem, ea exinde patet, quod ideo speremus, tanto bono, seu Dei ipsius fruitione aliquando potiri, quia non deerunt media ab eo constituta ac subsidia ad id consequendum. Iam vero fundamentum, cui innitimur ad haec subsidia saluti nostrae necessaria speranda nobisque expectanda, nullum aliud est, quam quia haec ipsa nobis ille promisit, nec promissionibus suis ullo modo deesse potest. Recte igitur divina bonitas, quae communicabilis est, ut primum, veracitas vero divinarum promissionum ut alterum statuitur christianae spei obiectum formale, seu quod idem est, motivum et fundamentum (2).

24. Quandoquidem vero aeternam beatitudinem atque media ad eam comparandam superandasque difficultates, quae ab eius assecutione

(1) Hoc est principium instar axiomatis a veteribus receptum, quodque passim angelicus doctor commemorat et usurpat. Desumptum autem est ex Aristotele I *ethic.* et s. Thomas illud explicat in loc. cit. q. 5, art. 1.

(2) Praeclare haec complexus est s. Thomas II, 2, q. 17, art. 2, scribens: « Spes attingit Deum, innitens eius auxilio ad consequendum bonum speratum. Oportet autem, effectum esse causae proportionatum. Et ideo bonum, quod proprie et principaliter a Deo sperare debemus, est bonum infinitum, quod proportionatur virtuti Dei adiuvantis; nam infinitae virtutis est proprium ad infinitum bonum perducere. »

nos impedire quoquomodo possent, Deus promisit ac dare constituit, quia omnipotens est et facit quaecumque vult, quia benignus ac misericors est, atque inprimis propter infinita Christi merita, in quo, et per quem omnia nobis donavit; idcirco memoratae divinae perfectiones, ac praecipue Christi merita ipsa quoque inter christianae spei motiva ac fundamenta connumerantur.

25. Indidem pronum est analysin instituere spei nostrae. Ideo volumus Deo potiri, quia Deus beatitudo nostra est; sentimus quippe, nihil praeter Deum nos perficere ac plene beare posse. Ideo vero, ad Deum pervenire speramus, quia idem ipse Deus ea media ad eum perveniendi nobis promisit, et dare vult, quia Christus passione ac morte sua promeruit: factus quippe est nobis iustitia et sanctificatio, et redemptio. Demum ideo Christi merita nobis donata sunt, quia Deus infinite bonus et misericors est: *Nam sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* (1). Ex quo patet, immediatum spei fundamentum, ac proprie dictum esse divinarum promissionum veracitatem; nam exinde nascitur vinculum, quo Deus se nobis obstrinxit; fundamentum vero mediatum esse merita Christi, per quae ius quoddam nobis acquisitum est ad divina haec impetranda. Siquidem eorum meritorum intuitu nobis dantur, quaecumque dantur; in eius propterea nomine iubemur petere, quidquid petimus. Cetera denique Dei attributa, omnipotentiam, bonitatem, misericordiam conferre ad spem nostram magis ac magis augendam ac roborandam.

26. Ex dictis praeterea colligitur, quae sit propria ratio, sub qua spes Deum contemplatur, et quomodo sit a caritate diversa. Spes aeque ac caritas Deum contemplantur ut infinite bonum; sed caritas ut infinite bonum in seipso; spes vero ut infinite bonum nobis; caritas ut summum bonum absque ullo ordine ad creaturas; spes ut bonum proprium creaturae, ac creaturae non solum communicabile, sed etiam communicandum: caritas denique in Deo quiescit, ut eo fruatur; spes autem ad Deum tendit, ut eum aliquando possideat. Atque hinc est, quod amor caritatis dicatur proprie amicitiae, amor vero spei nuncupetur concupiscentiae.

27. Spes enim aliquem supponit amorem, nec sine amore esse potest; siquidem voluntas in Deum non tenderet, nisi amaret; amor tamen spei longe differt ab amore caritatis. Amor quippe caritatis nihil praeter Deum contemplatur eiusque infinitam bonitatem; amor vero spei constat duplici amore, Dei videlicet et proprio ipsius spem habentis. Nam homo per spem Deum quidem amat propter infinitam eius bonitatem; at simul divinam hanc bonitatem amat, quia amat seipsum, eamque apprehendit ut bonum proprium, seu sibi conveniens; atque appetit Deo coniungi, quia, Deo coniunctus, vult propria beatitate potiri.

PROPOSITIO II.

Amor spei, quo Deum diligimus ut summum bonum nostrum, distinctus est ab amore caritatis et amicitiae, quo Deum diligimus propter se.

28. Hanc propositionem statuimus tum, ut magis pateat verum obiectum formale spei, de quo agimus, tum ut ultimum praecludatur effugium Baio, qui a novatoribus errores suos mutuatus est, docens, actum spei theologicae haud esse

(1) Io. III, 16.

actum concupiscentiae, sed benevolentiae, elicitum a caritate (1), sicque confundit has duas virtutes spei et caritatis saltem respectu *obiecti primarii formalis*. Licet vero de caritatis natura et obiecto acturi simus, cum de hac virtute data opera disseremus, ob materiae tamen nexum aliquid hic attingere constituimus de proprietate spei, quatenus a caritate distinguitur.

29. Propositio autem nostra, quae communis est inter theologos, sic aperte adstruitur ab angelico doctore: *Spes*, inquit, *et omnis appetitivus motus ex amore derivatur... Amor autem quidam est perfectus, quidam imperfectus. Perfectus quidem amor est, quo aliquis secundum se amatur, ut puta cum aliquis secundum se vult alicui bonum, sicut homo amat amicum. Imperfectus amor est, quo quis amat aliquid, non secundum ipsum, sed ut illud bonum sibi proveniat, sicut homo amat rem, quam concupiscit. Primus autem amor pertinet ad caritatem, quae inhaeret Deo secundum seipsum. Sed spes pertinet ad secundum amorem; quia ille, qui sperat, aliquid sibi obtinere intendit* (2).

30. Sancto Thomae hac in re praeiverat s. Anselmus, scribens: *Nihil velle poterat* (Angelus) *nisi iustitiam, aut commodum; ex commodis enim constat beatitudo, quam vult omnis rationalis natura* (3); *seu aut iustitiam in se seu Deum, prout est iustitia essentialis, ac in ipso sistendo per caritatem; aut Deum prout est beatitudo nostra et commodum nostrum, quod omnes appetunt.* Et alibi: *Quarum una* affectio voluntatis) *est ad volendum commoditatem, altera ad volendum rectitudinem. Nempe nihil vult voluntas, quae est instrumentum, nisi aut commoditatem aut rectitudinem* (4).

31. Igitur in eo differunt amor caritatis et amor spei, quod ille sistit in obiecto amato in se et propter se, seu propter eius bonitatem; iste vero spectat hoc ipsum obiectum, quatenus ipsum appetit, prout est sibi bonum, et ex quo amans beatus efficitur, et vult esse beatus. Cum vero duo isti amores inter se distincti sint, exinde consequitur, non esse inter se confundendos; confunderentur autem, si amor concupiscentiae seu spei idem diceretur ac amor benevolentiae seu caritatis.

32. Insuper certum est, inter se distingui duas has theologicas virtutes, spem et caritatem, dicente apostolo: *Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria haec: maior autem horum est caritas* (5). Et quidem non sola denominatione, ut ex eo constat, quod de sola caritate dicatur: *Nunquam excidit.* Praeterea re inter se distingui, patet ex homine fideli peccatore, in quo, deficiente per peccatum caritate, manet tamen spes; nisi peccatum contra spem sit, quo destrueretur habitus infusus huius virtutis, id quod non obscure docet concilium Tridentinum (6), tenetque certa

(1) Cf. Viva, pag. 377. Ripalda p. 3. *De ente supernaturali*, lib. 2, integra disp. 2, in qua auctor Baii hac super re errores exponit ac fuse confutat.

(2) II, 2, q. 17, art. 8.

(3) Lib. *De casu diab.*, cap. 4.

(4) Lib. *De concord.* q. 3, cap. 11.

(5) I. Cor. XIII, 13, et Eccli. XXIV, 24: *Ego mater pulchrae dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctae spei.*

(6) Sess. 6, cap. 6, ubi disserens de modo praeparationis ad iustificationem, supponit, adesse spem, antequam impii seu peccatores acquirant iustificationem per caritatem, dicens: *In spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore.* Item can. 3, et alibi passim. In peccatoribus baptizatis permanet spes per modum habitus, qui non destruitur nisi per actum spei contrarium aut per

theologorum et patrum doctriua, ita ut contrarium asserere ad minus erroneum sit (1).

33. Quo iacto firmo fundamento, sic instauro argumentum: Nisi amor concupiscentiae distingueretur ab amore benevolentiae, iam non amplius distinguerentur inter se virtutes spei et caritatis in suo obiecto formali.

34. Etenim, dempta distinctione utriusque amoris, benevolentiae et concupiscentiae, per quam in obiecto suo formali spes a caritate secerneretur, vix aliud discrimen inter utramque virtutem assignari posset. Siquidem aut constituitur istud discrimen, ut aliqui contendunt, in eo, quod caritas spectet Deum absolute sub ratione boni illumque amet, spes vero sub ratione ardui et excedentis hominis facultatem, illudque speret (2); aut constituitur in eo, quod caritas tendat in bonitatem, spes vero in omnipotentiam, seu in Deum in se bonum, et in Deum auxiliantem, ut alii volunt (3). Verum neutra sententia admitti posse videtur. Non prima, quia arduitas per se alicuius rei non inducit ad sperandum, sed potius ad retrahendum a spe; si autem spectatur excellentia et absentia obiecti, haec caritati communia sunt (4). Non altera, quia, etsi verum sit, exinde constitui differentiam inter spem divinam seu supernaturalem, et humanam seu naturalem, attamen ea spectat Deum potius ut causam efficientem et extrinsecam, quam ut obiectum formale et intrinsecum (5). Restat igitur, ut concludamus, non alia ratione quam obiecti formalis, quod est bonum in se, et bonum nostrum, duos hos amores, scilicet amorem, quo Deus in se et propter se diligitur, ac dicitur benevolentiae, et amorem quo Deus diligitur, ut est bonus nobis, et concupiscentiae nuncupatur, inter se distingui, ideoque et virtutes spei et caritatis pari ratione distingui, prout habent alterutrum amorem pro obiecto formali, ac utrumque amorem bonum esse, licet alter sit altero perfectior.

35. Exinde colligitur, merito damnatam esse ab Alexandro VIII propositionem XIII: *Quisquis etiam aeternae mercedis intuitu Deo famulatur, caritate si careat, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur* (6). Ast de his iterum, ut praemonuimus, ubi de caritate.

Difficultates.

36. I. Obi. 1. Propugnata doctrina adversatur s. Augustino, qui utramque virtutem spei et caritatis ad eundem amorem refert. Scribit enim in lib. *De perfectione iustitiae: Caritas non auferetur* (in coelo), *augebitur et implebitur, contempla-*

infidelitatem. Destructo quippe habitu fidei, destruitur pariter habitus spei.

(1) Dixi: *Ad minus erroneum*; siquidem non desunt theologi, qui, id pene haereticum esse affirment, inter quos Vasquez in p. 2, disp. 91, cap. 4. Cf. s. Thom. p. 2, q. 65, art. 4. Cf. Suarez, loc. cit., n. 22, et Ripalda, l. c.

(2) Hanc sentent. indicat s. Thom. in *Quaestionibus disputatis*, quaest. *De spe*, art. 1, et 2, 2, q. 17, art. 1, 2 et 3. Item Caietanes, q. 18, art. 1, eamque tenet Paludanus 3, d. 20. Richardus apud Suarez, sect. 3, n. 1.

(3) Haec videtur s. Thom. q. 16, art. 1, et alibi. Cf. Suarez, 16, n. 3. Gotti, quaest. 1, *De spe*, dub. II, § 2, n. 11, seqq.

(4) Cf. Suarez loc. cit. n. 2.

(5) Cf. Suarez, loc. cit. n. 3.

(6) Hanc propositionem propugnavit Franc. van Viane T. D. Lovanii die 12 iunii 1676; item docuere Io. Sinnichius, Franc. Farveques, Albertus Vandem, Iac. Pontanus, aliique theologi Lovanienses. Cf. Viva in prop. 10, damn. ab Alex. VIII, n. 17.

ta, quod credebat, et quod sperabat, adepta (1). Adipiscitur autem Deum ut summum in se bonum. Idem in Enchiridio amorem caritatis reciprocât cum amore spei, dicens : *Nec amor sine spe est, nec sine amore spes* (2). 2° Ex ipsa rei natura id ipsum conficitur. Nam ad spem spectat ex dictis bonum absens, arduum, probabiliter futurum, desiderare. Iam vero ad caritatem pariter spectat Deum, summum bonum absens et divinae gratiae subsidio obtinendum, desiderare; cum universim ad amorem benevolentiae spectet bonum, si est absens, desiderare, et eodem frui, si est praesens, ut patet in amore, quo amicos diligimus. Ergo ad caritatem theologicam de facto spectat actus theologicae spei.

37. Resp. *Neg.* ad 1. probat. seu ad primum textum obiectum ex s. Augustino dicimus, illum ad rem non esse. Nam ibi s. Doctor, ut patet ex eius scopo et orationis serie, nihil aliud significare intendit, quam in coelis nos consecuturos Deum, quem et dileximus et speravimus in hac vita, quin quidpiam insinuet circa rationem eiusmodi dilectionis, utrum amaverimus ut bonum in se, amore benevolentiae, an vero ut bonum nobis, amore concupiscentiae, quia in utraque hypothesi scopum suum attingebat ostendendi, quod in patria beati obtineant, quod in hac vita et crediderunt et dilexerunt et sperarunt, nempe Deum, quem perfecte diligent, perfecteque adimplebunt primum et maximum mandatum : *Diliges Dominum*, etc., quod non possunt nisi imperfecte his in terris servare (3).

38. Quoad alterum textum ex Enchiridio respondemus, reipsa tum spem, tum caritatem ab amore procedere, sed diversa ratione. Amor spei pro obiecto formali Deum habet ut bonum nobis; amor caritatis pro obiecto formali Deum habet ut bonum in se. Reciprocari proinde sub hoc diverso respectu possunt, cum sibi non opponantur. Nec aliud sibi vult s. Augustinus, qui aperte agnovit distinctionem inter utrumque amorem; imo saepe inculcat amorem spei tanquam bonum; ex. gr. cum in *Enarr.* in ps. CXX sic fideles hortatur : *Noli facere* (bonum opus) *nisi propter vitam aeternam, ideo fac, et securus facies* (4); et in ps. XXXIX : *Sit Dominus Deus tuus spes tua : non aliud aliquid a Domino Deo tuo speres, sed ipse Dominus tuus sit spes tua..... Tu ipsum Deum tuum pete ; imo vero, contemptis aliis, perge ad illum* (5). Ut alia pene eiusmodi innumera omittam (6).

39. Ad 2. *N.*; fatemur porro, utramque virtutem spei et caritatis in hac vita pro obiecto habere Deum uti bonum absens, arduum et futurum, sed ex diverso motivo moveri ad illud desiderandum. Per caritatem enim desiderium movetur ex ipsa bonitate divina, prout est in se; quod est obiectum formale caritatis : per spem vero desiderium excitatur ad idem summum bonum prosequendum, quatenus est bonum

(1) Cap. VIII, n. 19.

(2) Cap. VIII.

(3) En Augustini verba : « Quia fidei et spei iam res ipsa, non quae credatur et speretur, sed quae videatur, teneaturque, succedet : caritas autem, quae in his tribus maior est, non auferetur, sed augebitur... In qua plenitudine caritatis praeceptum illud implebitur : Diliges Dominum Deum tuum, etc.

(4) N. 10. (5) N. 7 et 8.

(6) Cf. apud Felic. Mayr in op. *Divus Augustinus vitae spiritualis magister.*, tom. 2. mens. octob. et novemb., ubi plurima eiusmodi ex s. Doctore congesta reperiuntur.

nobis, ac propterea quatenus est obiectum formale spei proprie dictae.

40. II. Obi. 1° Fieri nequit, ut hic amor pertineat ad virtutem theologicam; licet enim per eum ametur Deus, tamen ratio amandi non est increata, sed creata, nempe ipse amans et commodum proprium: quae quidem non videtur supernaturalis amandi ratio. 2° Verum dato etiam, quod homo possit se supernaturaliter amare, ille amor spectat ad caritatem, et ea ratione velle sibi beatitudinem, et quaecumque bona supernaturalia, caritatis est officium, ut docet s. Thom. II, 2, q. 23, art. 2 ad 2, et q. 23, art. 4. 3° Idque confirmatur ex eo, quod velle proximo beatitudinem ex amore supernaturali sit officium caritatis: multo igitur magis sibi ipsi beatitudinem velle, officium est caritatis. Ergo.

41. Resp. ad 1. cum eximio Suarezio: *Nego*. Quia hic amor attingit Deum ipsum, et ratio amandi est ipsamet bonitas increata Dei, non ut est bonum Dei, sed ut est bonum increatum meum; et ita sufficienter attingit hic amor Deum, prout necessarium est ad theologalem virtutem. Neque refert, quod is, cui bonum hoc amatur, sit creatum quid: nam hoc non obest rationi virtutis theologalis; sicut e contrario, si qua virtus immediate tantum attingit materiam creatam, quamvis illam amet, vel referat ad personam increatam tanquam ad obiectum, cui non satis est ad rationem virtutis theologicae (1).

42. Ad 2. *D*. Potest etiam ad caritatem spectare, *C*.; ad solam caritatem, *N*. Nam possumus tum Deum supernaturali ratione amare et nobis et aliis etiam ut bonum nostrum et bonum alterius, non vero solum ut bonum in se, et ut est summa excellentia, cui debetur honor et gloria. Iam vero amor spei proxime attendit rationem proprii commodi, quamvis supernaturalis et alterius ordinis, remote autem attendit etiam rationem ipsius Dei, prout est bonus in se, nec aliud sibi vult s. Thomas in locis citatis. Et sic responsio patet ad 3.

43. Nam etiamsi generatim officium sit caritatis velle sibi et aliis beatitudinem, potest tamen hanc beatitudinem ipsam velle, ut est bonum sibi et aliis, in quo ex dictis consistit obiectum formale spei. Eo vel magis, quod ex quodam amore etiam gignatur spes, dicente s. Augustino in *Enchiridio*, cap. 8: *Spes sine amore esse non potest*, non quidem amore amicitiae, quam natura sua et ordine spes antecedit, sed amore concupiscentiae, qua optatur bonum sibi et aliis, quo amore postea progrediendo idem bonum, prout in se est absque respectu ad proprium commodum, potest sibi et aliis optare et velle (2).

44. Inst. perfecta, imo et perfectissima caritas praecipitur in magno legis mandato: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Iam vero mandatum istud nobis non imponitur sine relatione ad nos ipsos, ut patet ex adiectione, *tuum*, quae perinde valet ac: Creatorem *tuum*, benefactorem *tuum*, bonum *tuum*, ideoque omnis Dei amor tendit in Deum, ut nobis summe bonum: non igitur distinguitur amor spei ab amore caritatis.

45. Resp. *Neg*. Alioquin sequeretur, nos haud posse Deum in se diligere, nisi directe et reflexe spectaretur ut bonum nostrum, seu merces nostra; quod absonum est

(1) Disp. 1, sect. 3.

(2) Cf. s. Thom. II, 2, q. 17, art. 3 et 8. Item Suarez, sect. 7, n. 3 et 7.

et alienum a patrum doctrina, inter quos satis sit verba afferre s. Bernardi, qui scribit: *Amor iste meritogratus, quia gratuitus... Qualis suscipitur* (a Deo), *talis et redditur. Qui enim sic amat, haud secus profecto, quam amatus est, amat: quaerens et ipse vicissim, non quae sua sunt, sed quaè Iesu Christi, quemadmodum ille nostra, vel potius nos, et non sua quaesivit... Domino confitetur, non quoniam sibi bonus est, sed quoniam bonus est. Hic vere diligit Deum propter Deum, non propter se ipsum* (1). Quapropter illo praecepto includitur utraque dilectio, tum magis tum minus perfecta (2).

CAPUT III.

DE SUBIECTO SPEI

46. His expeditis quae ad spei naturam spectant eiusque obiectum tum materiale, tum formale, ordo postulat, ut de eiusdem virtutis agamus subiecto, nempe remoto, ut vocant, seu de creatura intellectuali, ac de iis, in quibus insit spes, aut esse possit. Nam de subiecto proximo omnes uno ore conveniunt cum Angelico Doctore, in voluntate sistere spem, cum agatur de appetitu in bonum et quidem summum, cuiusmodi Deus est, quodque solius est voluntatis (3).

47. Quaeri igitur solet, in quibus tanquam in subiecto resideat spes, tum quoad habitum, tum quoad actum, qui ex habitu proficiscitur. Iam vero isti esse possunt aut iusti, aut peccatores, fideles, aut haeretici, quoad eos, qui adhuc hac mortali vita fruuntur; aut animae in purgatorio degentes, aut beati, aut denique damnati, quoad eos, qui iam sunt vita functi.

48. Paucis nos ab his expediemus, utpote quae vix in controversiam veniant. Ecquis enim dubitavit unquam, in iustis spem tum in habitu, tum in actu subsistere, cum tota ipsorum vita nil aliud sit, quam expectatio quaedam ac desiderium efficax aeternae vitae? Hac enim aluntur ad salutem.

49. Sic de peccatoribus fidelibus ambigi nequit, illis inesse spei habitum, qui non amittitur per peccatum (si excipias peccatum desperationis formalis; quemadmodum non destruitur habitus fidei, nisi per infidelitatem), sed permanet, ac proinde in actus spei erumpere possunt. Neque enim peccatum per se spei opponitur, ut contrarium contrario. Et reipsa describens concilium Tridentinum iustificationis modum seu ordinem, ait de peccatoribus: *Dum peccatores se esse intelligentes, a divinae iustitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore* (4). Supponit igitur Concilium, in peccatoribus fidelibus inesse spem, antequam ad iustificationem, seu ad statum iustitiae et caritatis perveniant.

50. Quoad haereticos autem formales, doctrina communis theologorum est, eos, sicut vera fide, ita et vera spe theologica, quae illi innititur, destitutos esse sive quoad habitum, sive quoad actum. Atque hoc est, quod docuit s. Augustinus, in *Enchiridio*, scribens: *Fides credit, spes et caritas orant; sed sine fide esse non possunt* (5): et paulo

(1) *De diligendo Deo*, cap. 9, n. 26.
(2) Cf. Ripalda, op. cit. part. 3, disp. 22, sect. 1, 2, 3.
(3) II, 2, q. 18, art. 1.
(4) Sess. 6, cap. 6.
(5) Cap. 7.

post: *Nec amor sine spe est, nec sine amore* (aliquali , seu saltem imperfecto) *spes, nec utrumque sine fide*(1). Eadem proinde ratione, qua non credunt formales haeretici fide theologica, sed naturali et acquisita seu sibi conficta : sic neque sperant spe theologica, qua destituti sunt, sed spe quadam naturali et acquisita, quae ad vitam aeternam nihil confert, et a qua praeterea, utpote debili et infirma, in desperationem facile decidunt , uti ex experientia non semel comperimus (2). Tantum abest, ut extra Ecclesiam culpabiliter decedentibus pateat aditus ad salutem !

51. Quod si formales haeretici spe theologica destituti sunt, quia carent fide; quanto magis eadem spe destituti dicendi sunt increduli omnes, deistae, athei practici, aliaque monstra , qui non solum fidem omnem abiiciunt ac dedignantur , verum etiam acriter eam impugnant et exsecrantur! Quapropter et istos in desperationem agi sub vitae exitum , passim videmus. Infelix istorum conditio , qui tamen adeo tumescunt , comparari debet cum illorum conditione, de quibus scribebat apostolus : *Promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo* (3).

52. Communis pariter theologorum doctrina est, spem permanere in animabus adhuc in purgatorio degentibus. Siquidem ipsis insunt habitus fidei et caritatis ; ideoque inesse debet etiam habitus spei , sine qua nunquam fides et caritas simul sumptae reperiuntur. Accedit, quod animae illae actum spei exserere adhuc possint, et quidem circa primarium spei materiale obiectum , nempe circa beatitudinem aeternam, quae respectu ipsarum adhuc habet rationem boni futuri , possibilis ac ardui ; cum nequeant ad illam nisi per tolerantiam poenarum, quas in purgatorio sustinent, pervenire. Nec refert, quod eiusdem beatitudinis assequendae certitudinem habeant. Nec enim certitudo spem evertit: alioquin B. Virgo , perinde ac illi, quibus forte revelatio de futura beatitudine facta est, sine spe vixissent, aut sperare desinerent. Ex hac enim tantum fit, ut earum spes certissima sit, nullamque secum ferre possit eius amittendae formidinem (4).

53. Idipsum ob paritatem rationis sentiendum est quoad patriarcharum reliquorumque iustorum veteris Testamenti animas in limbo iam detentas, de quibus praeterea scriptum legimus : *Spes illorum immortalitate plena est* (5).

54. Superest, ut de beatis ac de damnatis quidpiam adiiciamus. Porro neque in illis, neque in istis adesse spem proprie dictam , exploratum est, cum in ipsis desint conditiones, quae ad eam constituendam requiruntur. Etenim in beatis locum habere nequit illa conditio, ut obiectum spei sit de bono futuro, cum iam Deo praesente per visionem beatificam fruantur. Idem de altera dic, scilicet de bono arduo, cum in eius possessione reperiantur, nec non de postrema , nempe de bono tantum possibili, cum iam illud habeant. Ac ita reipsa docet angelicus, qui praeterea nonnullas solvit difficultates petitas, sive ex Christo adhuc viatore, in quo negat veram spem theologicam fuisse; sive ex

(1) Cap. 8.
(2) Cf. Valentia disp. 11 *De spe*, q. 11.
(3) Ephes. II, 12.
(4) Cf. Maratium disput. 34, sect. 1, n. 6, nec non Suarez *De spe*, disp. 1, sect. 8.
(5) Sapient. III, 4. In quem loc. cf. praeclarum et copiosum commentarium Cornelii a Lapide.

aeternitate, quam sperare possunt beati, quam inficiatur respectu eorum spectari posse tanquam futuram, cum participent de aeternitate ipsius Dei, in qua non est ratio futuri : sive ex spe beatitudinis respectu aliorum, quam etsi sperare possint, non tamen ex virtute spei, sed magis ex amore caritatis : sive denique ex spe relate ad beatitudinem corporis, tum quia corporis gloria respectu gloriae animae minimum quiddam est, tum quia habens gloriam animae habet iam sufficientem causam gloriae corporis (1).

55. Sic etiam ex defectu conditionum, quae ad constituendam spem requiruntur, patet, eadem damnatos penitus carere. Debet enim spes esse de bono possibili et futuro; porro damnati pro certo habent, se nunquam ad beatitudinem posse pervenire, cum cognoscant, poenas suas fore perpetuas; ac proinde nequeunt spem concipere de bono possibili ac futuro. Ita etiam s. Thomas, qui de diabolo, damnatorum principe, intelligit verba Iob xv, 22: *Non credit, quod reverti possit de tenebris ad lucem* (2). Merito igitur damnata est misericordium, seu Origenis eiusque asseclarum doctrina, qui autumarunt, damnatorum poenas finem aliquando habituras, ideoque spem illis concedebant. De quibus, seu potius de Origene scripsit s. Augustinus, eum misericordiorem fuisse, quam deceret: *Et tanto invenitur errare deformius et contra recta Dei verba perversius, quanto sibi videtur sentire clementius* (3).

56. Atque haec quidem rata sunt apud omnes. Ex occasione tamen huius argumenti, quod est de subiecto spei, consueverunt non pauci theologi quaestionem agitare, utrum possit in eo spes esse, ac propterea teneri adhuc obligatione sperandi, cui facta esset a Deo revelatio de certa eius futura damnatione. Quid de hac hypothetica quaestione sentiendum verisimilius nobis videatur, commodius inferius dicemus, cum nempe nobis sermo erit de desperatione.

(1) II, 2, q. 18, art. 2.

CAPUT IV.

DE PROPRIETATIBUS SPEI

57. Duae praecipuae sunt spei christianae proprietates, eius videlicet firmitas ac certitudo, nec non eiusdem necessitas. De utraque singillatim proinde nobis est disserendum. Cum vero firmam certamque spem asserimus, intelligi id debet de spe in se sumpta, seu ex parte Dei et motivorum, quibus innititur; nam ex parte nostra, cum conditionata sit, deficere interdum potest defectu conditionum ex parte sperantis. Quod vero attinet ad eiusdem necessitatem, omnimoda ea est, saltem quoad adultos, tum medii, tum praecepti, sive quoad habitum, sive quoad actum. De utraque proprietate distinctis articulis agere constituimus.

Art. I.

De certitudine spei christianae.

58. Hac in re quaestio movetur inter catholicos et protestantes non iam de certitudine ac firmitate, quae ex parte Dei inhaeret spei christianae, sed de ea quae est ex parte nostra. Contendunt enim novatores, non minus certam esse spem ex parte nostra, quam sit ex parte Dei. Siquidem, cum ipsi excludant quamcumque bonorum operum necessitatem ad salutem, inferunt, spem

(2) II, 2, q. 18, art. 3.
(3) *De civitate Dei*, lib. 21, cap. 18.

esse absolutam, minime vero conditionatam, ac dummodo habeatur fides promissionum, quam vocant, in tuto iam positam esse aeternae gloriae adeptionem. Ita Lutherus, protestantium omnium parens qui, *Vides*, inquit, *quam dives sit homo christianus, vel baptizatus, ut etiam volens non possit perdere salutem suam quantiscumque peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata possunt eum damnare, nisi sola incredulitas* (1). Quod si interdum Lutheri discipuli, pudore affecti eiusmodi doctrinae, videntur non plane excludere a negotio salutis bonorum operum necessitatem, cum haec sint indicia verae fidei; attamen non bonis operibus, sed soli fidei adscribunt tum iustificationis, tum aeternae salutis adeptionem. Quod magis elucet ex eo, quod adhuc persistant cum suo antesignano Luthero in assignando discrimine inter legem et evangelium, quod lex proponat iustitiam atque salutem sub conditione operum, evangelium vero sub sola conditione fidei; sic etiam ex eo, quod non desint, qui adhuc teneant libertatem christianam nullam aliam esse, quam illam, quod fidelis liber sit a debito legis implendae.

59. Nec alia est calvinistarum doctrina, sin minus etiam deterior, dum adstruunt certitudinem divinam, tum propriae iustificationis, tum praedestinationis, cui quidem certitudini ita praecipiunt ab unoquoque credente esse inhaerendum, ut nulla hac de re dubitatione aut anxietate se angi patiatur. Ita videlicet Martinus Bucerus, ita Petrus Martyr, ex Calvino, qui diserte docuit, *neminem esse vere fidelem, nisi qui erga se divinae benevolentiae promissionibus fretus, indubitatam salutis expectationem praesumit* (2).

60. Ut igitur universam complectamur germanam doctrinam de spei certitudine sub uno respectu, deque eius incertitudine sub altero, et sic refellamus heterodoxorum placita; insequentes adstruemus propositiones, ea tamen lege, ut non iteremus, quae de hoc ipso argumento disseruimus in tractatu *De gratia*, in quo egimus de iustificatione.

PROPOSITIO I.

Spes christiana firmissima ac certissima est ex parte Dei.

61. Licet in idem tandem recidant duo hi conceptus firmitatis et certitudinis, ipsorum tamen ratio distincta subtilius a quibusdam theologis assignatur. Siquidem spes a nonnullis dicitur firma, quatenus omnem excludit ex parte Dei deliberatum timorem, fluctuationemque voluntatis; certa autem, quatenus ex parte Dei frustrari atque a veritate deficere non potest. Hanc porro certitudinem ac firmitatem christiana spes a fide participat. Hoc ipso enim, quod Deus aliquid promisisse creditur, iam firmissime atque certissime speranda est res promissa vel absolute vel conditionate, prout sensus est promissionis; atque ideo certitudo, quae primario est in intellectu atque in fide, participative, ut aiunt, etiam in spe, atque in voluntate invenitur (3). Verum quidquid sit, utraque concurrit in spei virtutem, in eaque invenitur.

62. Quod reipsa spes in se, et ex parte Dei firmissima sit, declarat Tridentina synodus, dicens: *Tametsi in Dei auxilio firmissimam*

(1) In lib. *De captiv. Babylon.* cap. *De Baptismo.* Alia prope innumera eiusdem haeresiarchae his similia testimonia cf. apud Döllinger in op. *La Réforme.*

(2) Instit. lib. 3, cap. 2, § 16.

(3) Cf. s. Thom. II, 2, q. 18, art. 4.

spem collocare et reponere omnes debent (1). Idque declaravit synodus innixa Apostoli verbis: *Per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animae tutam ac firmam* (2). Ratio vero hoc ipsum suadet: nam ex dictis formale spei obiectum est Dei virtus auxiliatrix ad superandas difficultates, quae arduam efficiunt beatitudinis assecutionem, quae nobis promissa est; iam vero cum virtus eiusmodi sit omnipotens et infinite efficax, dubitare de ea absque infidelitate non possumus, cum Deus se ipsum negare nequeat. Ideoque nihil firmius ex parte Dei spe christiana concipi potest.

63. Sed et certissima pariter atque firmissima inde demonstratur, quod innititur fide divina, qua certissime proponuntur solidissima sperandi motiva ac fundamenta, divinae scilicet promissiones, quibus sacrae Litterae refertae sunt. Sic ps. XXIV, 3: *Universi qui sustinent te, non confundentur.* Eccli. II, 11: *Scitote, quia nullus speravit in Domino, et confusus est;* item Rom. V, 5: *Spes non confundit;* et iterum II, Timoth. I, 12: *Scio, cui credidi, et certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem;* ut alia his similia praeteream. Porro, si spes ex parte Dei incerta esset ac aliquando deficeret, profecto Deus creaturis suis deesset, ac propterea ii confunderentur, qui sperant in Domino, secus ac Scripturae testantur.

64. Et haec satis sint; velle enim idipsum pluribus persequi esset tempus frustra terere; cum omnibus exploratum sit, haud posse hoc in dubium revocari, quin de Dei ipsius omnipotentia, veracitate, ac fidelitate in promissis suis servandis dubium iniiciatur. Haec autem omnia complexus est s. Bernardus, dum in sermone IX in psal. *Qui habitat*, n. 6, explanans verba: *Quoniam tu es, Domine, spes mea*, praemissisque b. Petri verbis: *Omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum; ipsi enim cura est de vobis*, ita prosequitur: *Ut quid enim, si haec sapimus, ut quid cunctamur... huic uni tam solidae, tam perfectae, tam beatae spei tota devotione animi, toto fervore spiritus inhaerere? Si quid illi impossibile, si quid vel difficile est, quaere aliud in quo speres... Si decreverit salvare nos, continuo liberabimur; si vivificare placuerit, vita in voluntate eius est; si praemia aeterna largiri, licet ei, quod vult, facere. An vero de facilitate iam non dubitas, sed tibi est suspecta voluntas? Plane et voluntatis testimonia credibilia facta sunt nimis. Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Denique quando in se speranti desit illa maiestas, quae tam studiose monet in se sperari?... Quare? quibus meritis? Audi, quid sequitur: Quia speraverunt in eo. Dulcis causa, attamen efficax, attamen irrefragabilis... Quis speravit in eo, et confusus est? Facilius est coelum et terram transire, quam verbum eius evacuari.* Quibus nihil praeclarius dici poterat.

PROPOSITIO II.

Spes christiana incerta est ex parte nostra.

65. Sane, quamquam certa sit ac firma spes ex parte Dei, tamen incerta est ex parte nostra, seu ex

(1) Sess. 6, cap. 13.

(2) Hebr. VI, 18, 19.

parte sperantis, prout non minus luculenter evincitur. Huc enim inprimis faciunt ea omnia, quae a theologis afferri solent ad ostendendum, neminem absque speciali revelatione certum esse posse de sua aeterna salute aut praedestinatione, quamdiu in his terris vivit (1). Sed praeterea id ipsum colligitur ex ipsa rei, de qua agitur, natura. Etenim nemo certus esse potest, se esse in statu gratiae, nec, nisi coniecturis innixus, quispiam id sibi polliceri potest. Multo vero minus certus esse quis potest, se in eadem gratia usque ad mortem esse perseveraturum, ratione habita propriae infirmitatis et inconstantiae totque tentationum, quibus impetitur, ac periculorum, in quibus versatur. Cum vero sub his conditionibus promissiones a Deo nobis factae sint de danda vita aeterna; evidenter colligitur, incertam plane spem esse ex parte nostra; eo nempe sensu, quod omnimodam de ea certitudinem habeamus. Nam quod spectat ad certitudinem quandam moralem ac humanam, ut ex inferius dicendis patebit, eam utique habere possumus, perinde ac fiduciam, quam ex divinae gratiae subsidio nobis polliceri possumus.

66. Atque hoc est, quod Tridentina synodus docet sess. VI, cap. XII: *Nemo*, ibi dicitur, *quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinae praedestinationis mysterio usque adeo praesumere debet, ut certo statuat, se omnino esse in numero praedestinatorum... Nam, nisi speciali revelatione, scire non potest, quos Deus sibi elegerit.* Iamque cap. IX, idem concilium edixerat: *Sed neque illud asserendum est, oportere eos, qui vere iustificati sunt, absque ulla omnino dubitatione apud semetipsos statuere, se esse iustificatos... cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.* Hinc can. XV statuit: *Si quis dixerit, hominem renatum et iustificatum teneri ex fide ad credendum, se certo esse in numero praedestinatorum, anathema sit;* et can. XVI: *Si quis magnum illud usque in finem perseverantiae donum se certo habiturum, absoluta et infallibili certitudine, dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit.*

67. Divinae porro Scripturarum auctoritati doctrinam hanc inniti facile ostendi potest, cum refertae illae sint apertissimis testimoniis, quae incertitudinem hanc adstruunt. Sic notissima sunt illa Ecclesiastae verba, cap. IX, 1 et 2: *Sunt iusti, atque sapientes, et opera eorum in manu Dei, et tamen nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta...* (2). Rom. XI, 20, scribebat Apostolus: *Tu autem fide stas; noli altum sapere, sed time;* ac I. Cor. X, 12: *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Tum etiam Philipp. II, 12: *Cum metu et tremore vestram salutem operamini;* ac demum, ceteris omissis, apostolus Petrus, II. epist. I, 10: *Magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* Adnitendum igitur est per bona opera iugiter in fide facta certitudinem aeternae salutis sibi comparare, seu continua sollicitudine opus est, ne quis ab incepto desistat, ut sic per Dei gratiam aeternam adipiscatur salutem.

68. Exinde pronum est colligere, quod inter fidem et spem intercedat discrimen respectu certitudinis;

(1) Cf. tract. *De grat.* part. 2, cap. 2, art. 3, prop. 1.

(2) Cf. in hunc loc. Cornelium a Lapide, qui copiose eum discutit et exponit.

nempe, illam esse *absolutam*, cum fieri nequeat, ut illa, quae a Deo revelata sunt, veritate careant; hanc vero esse *conditionatam*. Quamvis enim ex parte divinae fidelitatis non possint divinae promissiones frustrari, possunt tamen, conditione ex parte nostra non posita, deficere.

69. Animadvertendum vero hic est, locutos nos esse de certitudine omnimoda, quae falli non possit, quaeque soli fidei competit. Nam quod attinet ad certitudinem quandam moralem, qua quis post debita media recte adhibita possit humano iudicio sibi persuadere, se esse in statu gratiae, et confidere, quod sit Dei ope in finem usque in ea perseveraturus, id quidem ultro concedimus. Haec enim certitudo est, in qua boni omnes acquiescunt, iuxta illud: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum* (1). Quae quidem fiducia aliquid addit ad spem relate ad nos. Haec autem eo magis augetur, quo quis in via virtutis ac perfectionis proficit, in eaque magis confirmatur. Atque hic maioris claritatis gratia omittendum non puto, duo distingui hac in re deberi, statum scilicet gratiae, de quo certitudinem moralem et humanam habere possumus, et praedestinationem ad gloriam, quam nemo sine revelatione speciali sibi tali certitudine promittere potest.

70. Nec omittendum, spem praevalere magis in nobis debere quam timorem, ac propterea, licet spes incerta ex parte nostra sit, nihilominus, ut adnotat Angelicus doctor, dici ea potius debet *certa* quam *incerta*, quia denominatio sumi debet ex eo, quod essentiale est, non vero ex eo, quod est accidentale, nempe *ex defectu liberi arbitrii ponentis obstaculum peccati, non autem ex defectu divinae potentiae vel misericordiae, cui spes innititur. Unde hoc non praeiudicat certitudini spei* (2). Hac igitur spe fretus potest vir fidelis cum s. Bernardo fiducialiter clamare: *Si insurgant adversum me praelia, si saeviat mundus, si fremat malignus, si ipsa caro adversus spiritum concupiscat; in te ego sperabo* (3).

PROPOSITIO III.

Nemini adultorum via patet ad salutem sine illis operibus, quae mandatorum divinorum observatione continentur, ac sine eorum proposito.

71. Ad pleniorem superioris propositionis confirmationem hanc adiicimus, ut magis ac magis fundamentalem hac in re novatorum errorem eliminemus, de omnimoda spei nostrae certitudine, quam ipsi cum fide confundunt, seu fiducia divinarum promissionum, quam quisque iuxta novatorum doctrinam superius expositam habere debet de salute sine bonis operibus assequenda.

72. Iam vero non nisi dependenter a conditionibus bonorum operum atque virtutum exercitio, Deum se daturum vitam aeternam promisisse, luculenter sacrae litterae ostendunt. Sane Christus iuveni sciscitanti Matth. XIX, 16: *Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam aeternam?* v. 17 respondit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* (4); capite vero

(1) I. Io. III, 21.

(2) II, 2, q. 18, art. 4 ad 3. Cf. Gotti, q. 2, *De subiecto spei*, dub. 3, § 2.

(3) Serm 9 in psal. 90, n. 5.

(4) Impie Lutherus hoc Christi responsum ironice datum affirmavit, perinde ac si Christus de re impossibili locutus esset, dicens: *Facies ad kalendas graecas.* Demum ipsum plene repudiavit, in *serm. inedit.* vulgatis a Bruns, pag. 121. Vide Nicolas *De protestantismo*, lib. 2, cap. 4.

XVI, 24: *Si quis*, inquit, *vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.* Item Luc. XIV, 33: *Omnis..... qui non renuntiat omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus;* et ibidem XIII, 3: *Nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Hinc apostolus Rom. VIII, 13: *Si secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Quibus aliisque similibus non paucis nihil apertius dici poterat ad inculcandam bonorum operum necessitatem ad aeternam beatitudinem obtinendam.

73. Praeterea eaedem sacrae litterae opera bona ponunt non solum ut conditionem, verum etiam ut causam, cur vita aeterna retribuatur. Talia sunt loca, in quibus vita aeterna promittitur ut merces, ut praemium, ut corona: porro opera perfecta, quae ab aliquo praestantur, sunt causa mercedis, prout egregie facta sunt causa praemii, atque certamen prospere gestum est causa coronae. Reipsa Christus Matth. V, 11 et 12: *Beati estis*, inquit, *cum maledixerint vobis..... gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis*: et II Io., v. 8 dicitur: *Videte vosmetipsos, ne perdatis, quae operati estis; sed ut mercedem plenam accipiatis.* Item apostolus II, Tim. IV, 7 et 8 de se testatur: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Apostolorum vero princeps in II epistola sua I, 10, his verbis fideles omnes adhortabatur: *Quapropter, fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* Demum Christus denuntiat in extremo iudicii die electos salvandos, eo quod misericordiae opera fecerint, contra vero reprobos damnandos hoc ipso, quod eadem opera neglexerint (Matth. XXV). Iuxta quam doctrinam apostolus II, Cor. IV, 17, discipulos ad passionum tolerantiam hortatur, scribens: *Id enim, quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis.*

74. Iam vero si opera a nobis praestita causa erunt, cur nobis a Christo iudice aut poenae retribuantur aut praemia; si passionum tolerantia operatur in nobis aeternum gloriae pondus, quae sit merces, retributio et corona: profecto opera bona necessaria sunt ad salutem, neque id solum *necessitate praesentiae*, ut comminiscuntur adversarii, quatenus per ea vera fides ostendatur, sed etiam necessitate efficientiae, quatenus, si sint in Deo facta, ut docet concilium tridentinum sess. VI, cap. XVI, vitam aeternam promerentur. Nec tamen est, ut ibidem subditur, quod christianus homo in se ipso confidat vel glorietur, sed potius in Domino, cuius tanta est erga homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quae sunt ipsius dona.

Difficultates.

75. I. Obi. 1° Hoc in Scripturis discrimen ponitur inter legem et evangelium, quod per legem promittatur assecutio beatitudinis sub conditione operum, evangelium vero eandem promittat sub sola conditione fidei, ad bonorum operum exclusionem. 2° Lex timorem et servitutem ingerit, evangelium libertatem omnimodam a lege, ac proinde a timore et servitute. 3° Hac ipsa de causa nova lex passim nuncupatur *lex libertatis*, imo et *evangelium*, quod non aliud significat quam *bonum nuncium*. 4° Iam vero quo-

modo lex libertatis aut bonum nuncium iure nuncupari posset, si instar legis veteris praecepta, comminationes, terroresque incuteret? 5° Quidnam fieret de tot amplissimis promissionibus, quae in evangelio continentur? 6° Quapropter apostolus Rom. VIII, 15, scribebat: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater);* et apostolus Petrus: *Per quem* (Christum) *maxima et pretiosa nobis promissa donavit* (1). Ergo.

76. Resp. ad 1. *N.* Etenim evangelium non secus ac mosaica lex beatitudinem promittit sub bonorum operum conditione, legemque hoc sub respectu evangelium confirmat et perficit, ut constat ex illis Christi verbis, quae leguntur Matth. V, 17: *Nolite putare, quoniam veni solvere legem aut prophetas; non veni solvere, sed adimplere*: subditque v. 19: *Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno coelorum; qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno coelorum.* Et sane universus sermo, quem habuit Christus in monte, quemque tribus continentibus capitibus retulit s. Matthaeus, quid aliud exhibet quam praeceptorum congeriem? Hoc itaque unum intercedit discrimen legem inter ac evangelium, quod lex non daret per se nisi praecepta, nec moveret nisi timore, ex quo servitutem generabat; evangelium vero caritatem et gratiam infundat Spiritus sancti, qua fit, ut christiani non tam timore poenae, quam amore iustitiae, ut filii, ad mandata servanda moveantur; seu in lege veteri praevalebat timor, in lege nova praevalet amor, quin illa amorem, haec autem timorem excludat.

77. Ad 2. *N.* ut patet ex dictis. Etenim si reipsa evangelium omnimodam libertatem praeberet, timore omni ac tremore excluso, non intelligitur, quid Christus sibi voluerit, dum adeo aperte edixit Matth. VII, 19: *Omnis arbor quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur;* dum de homine, qui intravit ad nuptias non indutus veste nuptiali, pronunciavit ibidem XXII, 13: *Ligatis manibus et pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores. Ibi erit fletus et stridor dentium;* dum XXIII multa comminatur contra scribas et pharisaeos ob eorum hypocrisin, malitiam ac superbiam; dum denique cap. XXV intentat reprobis, et quidem defectu bonorum operum, ignem aeternum, *qui paratus est diabolo et angelis eius.* Commentitia igitur est libertas illa, quam ex evangelio sibi promittunt adversarii.

78. Ad 3. *D.* Nova lex vocatur lex libertatis et evangelium, quia nos a peccati servitute liberavit per invectam redemptionem, *C.*; quia nos a legis observatione liberavit, *subd.*; legis ritualis ac iudiciariae, *C.*; moralis, *N.* Itaque duplici de causa lex nova libertatis lex nuncupatur, tum quia per eam liberati sumus a lege caeremoniali et iudiciali, quae gravi iugo premebat iudaeos, utpote populum durae cervicis et incircumcisi cordis, de quo apostolus Petrus Act. XV, 10, aiebat: *Quid tentatis Deum, imponere iugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?* et Paulus Gal. IV, 9: *Quomodo*, inquit, *convertimini iterum ad infirma et egena elementa, quibus denuo servire vultis?* et rursum V, 1: *State et nolite iterum iugo servitutis contineri.* Evangelium insuper dicitur

(1) II. Petr. I, 4.

ob faustum nuncium de opere redemptionis a Christo peracto, per quod a daemonis captivitate in libertatem asserti sumus, non autem eo sensu, quo adversarii autumant de liberatione ab observatione legis moralis, quam ubique Christus et apostoli inculcant.

79. Ad 4. Resp. ideo evangelium legem libertatis praedicari, quia, uti iam diximus, ad maiorem sanctitatem legisque moralis observationem persequendam nos ducit ope divinae gratiae longe in novo testamento uberioris, ac fuerit in veteri foedere; non autem, ut novatores vellent, ad habenas cupiditatibus relaxandas, atque ad omnimodam tradendam a poenis immunitatem, quocumque homines se facinore obstrinxerint (1). Sane biblica oracula, qua ratione intelligenda sit eiusmodi libertas, aperte exponunt. Sic enim scribit apostolus Rom. VI, 20 et 22: *Cum servi essetis peccati, liberi fuistis iustitiae..... Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam;* et cap. VII, 5 et 6: *Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quae per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti; nunc autem soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus, et non in vetustate litterae*; et ad Galat. V, 13: *Vos enim in libertatem vocati estis, fratres: tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per caritatem spiritus servite invicem.* Idipsum exponit s. Iacobus, cap. I, 25: *Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, et permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit;* et cum cap. II, 10 praemisisset: *Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus,* subdit v. 12, 13: *Sic loquimini et sic facite, sicut per legem libertatis incipientes iudicari. Iudicium enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.* Haec porro aliaque eiusmodi, quibus Scriptura referta est, adeo luculenta sunt, ut non nisi per vim in alium sensum trahi queant.

80. Ad 5 Resp. Adimplebuntur eo sensu, quo factae promissiones a Deo sunt, non autem iuxta haereticorum placita, quibus universa naturalis ac divina lex everteretur. Profecto Deus amplissima nobis fecit promissa, quorum alia vitam prae-

(1) Vere abominabilis et immoralis doctrina est, quam ex hoc principio intulerunt ipsi protestantismi ac pseudoreformationis principes, quamque nec ipsi pagani aliquando professi sunt, naturali rationis lumine ducti. Iuverit ad maiorem protestantismi praeconum confusionem nonnulla saltem testimonia ex eorum operibus excerpta in medium adducere tanquam specimen. Lutherus in lib. *De captiv. Babylon.* tom. 2, ed. Ien. fol. 384: « Ita vides (scribebat) quam dives sit homo christianus; etiam volens non potest perdere salutem quantiscumque peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata eum possunt damnare, nisi sola incredulitas. » Quocirca an. 1521 Melanchthoni affirmabat: « Si gratiae praedicator es, gratiam non fictam, sed veram praedica: si vera gratia est, verum, non fictum peccatum ferto. Deus non facit salvos ficte peccatores. » Et iterum: « Esto peccator et pecca fortiter; sed fortius fide et gaude in Christo, qui victor est peccati et mundi. Peccandum est, quamdiu hic sumus. Ab hac gratia non evellet nos peccatum, etiamsi millies millies uno die fornicemur aut occidamus. » Alia eiusmodi pene innumera cf. apud Döllinger, *La Réforme*, tom. 1 et 3. Hanc doctrinam ipsam professi sunt Calvinus et Zwinglius, atque ex ipsis mutuatae sunt sectae omnes, quae deinde ex primis illis ortae sunt... Imo et in praxim adhuc deducunt methodistae aliique haeretici passim, uti documentis certissimis ostendi in opere nuper edito: *Il proselitismo protestante*, cap. 5. Genova, 1862.

sentem attingunt, cuiusmodi sunt, quae spectant ad gratiae subsidia atque ad cetera salutis media; alia vero pertinent ad vitam futuram beatam, quam Deus nobis per Christi merita pollicitus est, adimpletis conditionibus, sub quibus eam promisit. Nec enim desides ac nihil agentes coronare ipse constituit; multo vero minus iniquos atque scelestos cupiditatibusque omnigenis deditos sub libertatis evangelicae obtentu, ut adversarii maxime vellent: *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*, inquit psalmista, Deum ipsum alloquens (1).

81. Ad 6. *D.* Opponens spiritum legis novae, qui est amoris, spiritui legis veteris, qui fuit timoris, *C.*; removens obligationem servandae legis et exsequendi praecepta divina, *N.* Diversitas huius utriusque spiritus, qui dona Dei sunt, refertur solum ad modum seu rationem legis divinorumque praeceptorum observandorum tum in vetere tum in nova lege: hoc tamen discrimine, quod, qui sub lege erant, ducerentur ad eiusmodi observationem spiritu potius timoris quam amoris; christiani vero permoveantur potius spiritu amoris quam timoris. Eadem observatione tum illi tum isti tenebantur ac tenentur, quam nisi observent, ad optatam beatitudinem, et ad promissa divina non pervenient, ac spe sua decident.

(1) Ps. 5, 5.

(2) Patriam habuit Caesaraugustam in Aragonia, Romam venit, ubi fucata modestia et hypocrisi multorum animos sibi devinxit praesertim sequioris sexus. Huic propriam annihilationem, qua media Deo uniri posset anima et quiescere, minime sollicita de his quae corpori obveniunt, summopere inculcabat. Qua in re nimirum doctrinae suae cardinem constituit. Detecta eius vafritie, coque a fidei quaesitoribus coram Cardinalibus et rom. Pontifice convicto, sexaginta octo numero propositiones haereseos, scandali et

ART. II.

De spei christianae necessitate.

82. Iam innuimus spei absolutam necessitatem tum medii tum praecepti sive positivi sive negativi, tum quoad habitum tum quoad actum, licet diversa ratione, uti exponemus. Vix ulla esset difficultas ad veritatem hanc vindicandam, nisi quidam pseudomystici insurrexissent, qui cuiusdam puri amoris ac omnimodae perfectionis obtentu contenderunt, spem christianam, quae respicit proprium bonum et commodum, haud posse cum puro amore et perfectione summa componi. Hi, duce hispano presbytero, Michaële Molinos (2), docuere, talem vel in hac vita christianum hominem attingere posse statum, ut, posthabito quovis amore sui, seu, ut vocant, proprii *interesse*, totus sic afficiatur Dei caritate, ut indifferens etiam sit circa propriam beatitudinem aut damnationem, ac, in Dei voluntatis resignatione plenissime constitutus, nihil a Deo optet, nihil petat, nihil speret, nullamque plane de se ac de propriis actibus sollicitudinem gerat, passive se prorsus habendo in manu Dei. Cum exitiales ac immorales exinde deducerentur consecutiones, factum est, ut universam hanc doctrinam rom. pontifex Innocentius XI apposita constitutione solemniter praescripserit (3).

blasphemiae damnavit Innocentius XI in constit. *Coelestis Pastor*, data an. 1687. Has propositiones et doctrinas suas esse, confessus solemniter est Molinos et eiuravit; in arce s. Angeli detrusum eum poenituit, donec an. 1692 anima reliquit.

(3) Historiam refert Paichellus testis oculatus. Perperam Moshemius adulterare conatus est huius sycophantis ut ipse loquitur, quam retulimus narrationem, dum affirmavit, Molinosi adversarios ideo in ipsum indignatos, quod ipse nonnullas doctrinas cum protestantibus communes profiteretur. Ita Moshemius in *Hist.*

83. Inter ceteras propositiones ad rem nostram hae potissimum faciunt; VII: *Non debet anima cogitare nec de praemio, nec de punitione, nec de paradiso, nec de inferno, nec de morte, nec de aeternitate.* XII: *Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de inferno, nec de paradiso, nec debet desiderium habere propriae perfectionis, nec virtutum, nec propriae sanctitatis, nec propriae salutis, cuius spem expurgare debet.*

84. Ex quibus principiis practica corollaria collecta sunt; Prop. XIV: *Qui divinae voluntati resignatus est, non convenit ut a Deo rem aliquam petat; quia petere est imperfectio, cum sit actus propriae voluntatis et electionis, et est velle quod divina voluntas nostrae conformetur, et non, quod nostra divinae. Et illud:* Petite, et accipietis, *non est dictum a Christo pro omnibus internis, qui nolunt habere voluntatem. Imo huiusmodi animae eo perveniunt, ut non possint a Deo rem aliquam petere.* XVII: *Tradito Deo libero arbitrio et eidem relicta cura et cogitatione animae nostrae, non est amplius habenda ratio tentationum, nec eis alia resistentia fieri debet, nisi negativa, nulla adhibita industria; et si natura commovetur, oportet sinere, ut commoveatur, quia est natura.* Prop. XIII: *Resignato Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda est cogitatio et cura de omni re nostra et relinquere, ut faciat in nobis sine nobis suam divinam voluntatem.* XXI: *In oratione opus est manere in fide obscura et universali, cum quiete et oblivione cuiuscumque cogitationis particularis ac distinctae attributorum Dei ac Trinitatis, et sic in Dei praesentia manere ad illum adorandum et amandum, eique inserviendum, sed absque productione actuum, quia Deus in his sibi non complacet.* XXIV: *Qualescumque cogitationes in oratione occurrant, etiam impurae, etiam contra Deum, sanctos, fidem, sacramenta, si voluntarie non nutriantur, nec voluntarie expellantur, sed cum indifferentia et resignatione tolerentur, non impediunt orationem fidei, imo eam perfectiorem efficiunt, quia anima tunc magis divinae voluntati resignata remanet.* XXXVII: *In occasione tentationum etiam furiosarum non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppositarum, sed debet in supradicto amore et resignatione permanere.* Ut pudori parcam praetermitto propositiones XLI, XLII, XLVII, LII aliasque eiusmodi, quibus impurus veterator Michaël de Molinos cupiditatibus omnimodis habenas relaxabat sub praetensae plenae resignationis in Deum et altissimae quietis orationis obtentu: qua etiam de causa quietistarum sectae auctor nuncupatus est (1).

85. Longe ab eiusmodi turpitudinibus abfuit alter quietismi instaurator piissimus iuxta atque doctissimus Cameracensis archiepiscopus D. Franciscus de Fénélon, qui, nescio qua idealis cuiusdam puri amoris dulcedine captus, eo progressus est, ut spem a perfectorum statu excluserit et absolutum aeter-

eccles. saec. XVII, sect. 22, art. 1. Sed cf. Bergier in *Dictionn. théol.* art. *Molinosisme.*

(1) Huic perniciosae doctrinae Paulus Segneri senior opposuit celeberrimum opus, cui titulum fecit: *Concordia tra la fatica e la quiete nell'orazione*, nec non nonnulla alia hac de re opuscula. Nec omittendum, his fere temporibus noxiam hanc Quietismi doctrinam et praxim in quadam provincia Romae proxima clanculum irrepsisse; ast vigilantia summi Pontificis vix comperta haec sunt, ut statim fuerint profligata.

nae salutis sacrificium admiserit in opere apposite ad hoc edito (1). Eius quidem doctrinae summa ad tres insequentes propositiones, ab Innocentio XII proscriptas una cum aliis viginti, revocari potest. I: *Datur habitualis status amoris Dei, qui est caritas pura, et sine ulla mixtione motivi proprii interesse: neque timor poenarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem: non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam.* VI: *In hoc sanctae indifferentiae statu nolumus amplius salutem ut salutem propriam, ut liberationem aeternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrum interesse omnium maximum; sed eam volumus voluntate plena, ut gloriam et beneplacitum Dei, ut rem, quam ipse vult, et quam nos vult velle propter ipsum.* VIII. *Omnia sacrificia, quae fieri solent ab animabus quam maxime disinteressatis circa earum aeternam beatitudinem, sunt conditionalia. Sed hoc sacrificium non potest esse absolutum in statu ordinario. In uno extremarum probationum casu hoc sacrificium fit aliquo modo absolutum.*

86. Doctrinam hanc acriter inter ceteros impugnavit celeberrimus Meldensis episcopus Benignus Bossuet, quem nonnulli suspicati sunt in fervoris aestu in oppositum prolapsum fuisse, dum spem cum detrimento caritatis stabilivit, docens, non solum in hac vita impossibilem esse statum, in quo absque ullo ad nos respectu diligatur Deus; verum etiam impossibilem esse actum quemlibet puri amoris, adeo ut motivum caritatis sit ipsum spei motivum, proprii scilicet commodi amor. Quidquid porro hac de re sit, de qua suo loco, nempe ubi de caritate disseremus; nobis hic propositum est adstruere tum adversus quietistas, tum adversus semiquietistas spei necessitatem, quamdiu in vivis sumus, adeo ut in nullo perfectionis statu ea excludi possit. Quod quidem efficiemus insequentibus propositionibus.

PROPOSITIO I.

Spes christiana omnibus necessaria est necessitate medii ad salutem, adultis vero etiam de necessitate praecepti tum naturalis, tum divini.

87. Dum adstruimus, spem omnibus necessariam esse necessitate medii, prout comprehenduntur etiam infantes in hac universalitate, intelligi id debet quoad eiusdem

(1) Occasio certaminis, quod ortum est inter Bossuetum et Fenelonium exstitit domina Guyonia, quae Quietismi semina iecerat. Bossuetus adversus eiusmodi Quietismi instaurationem insurrexit, cuiusque suum probandum proposuit Fenelonio; ast hic Guyoniae patrocinium suscepit in libro edito an. 1697, quem inscripsit: *Explication des maximes des Saints sur la vie intérieure.* Bossuetus non contentus opus istud refellere, idem detulit ad Innocentium XII, ut propositiones in eo contentae damnarentur. Diu multumque Fenelonii libro excusso, tandem Innocentius tres supra viginti propositiones ex eo depromptas damnavit per breve *Cum alias*, datum die 11 martii 1699. Huic Rom. Pontificis damnationi humillime se subiecit archiepiscopus Cameracensis, ac ipsemet publice suum librum damnavit, prohibuitque. Longum foret omnia, quae ad totum hoc negotium referuntur, recensere. Haec continentur quinque integris voluminibus opp. Bossueti edit. Versailles 1817, et quinque volum. opp. Fenelonii, ed. Paris. 1828. Acta publica exhibet Carolus du Plessis d'Argentré in *Collectione iudiciorum de novis operibus*, tom. 3, p. 2. Consuli etiam potest D. Ramsay in vita Fenelonii, edita ann. 1723. Videatur etiam De Maistre, *L'Eglise Gallicane*, nec non Henrion *Hist. Eccles.* Pro instituto nostro vix haec attigisse sufficiat.

virtutis habitum, qui eis infunditur per baptismum una cum habitibus ceterarum virtutum. Quoad adultos autem eadem spes theologica, sive in habitu, sive in actu pariter necessaria est omnibus.

88. Etenim si homines fuerint peccatores, absque spe nequeunt iustificationem adipisci, ut constat ex concilio tridentino, quod describens dispositiones ad obtinendam iustificationem necessarias, exigit, ut *in spem erigantur, fidentes, sibi Deum propitium fore* (1). Et reipsa sacrae Scripturae passim eiusmodi dispositionem inculcant, ut cum Prov. xxviii, 25 legitur: *Qui sperat in Domino, sanabitur;* Christus vero in spem prius erigebat peccatores, ac deinde iis peccatorum veniam largiebatur illis verbis: *Confide, remittuntur tibi peccata tua.* Si vero fuerint iusti, non minus ipsis necessaria est spes ad obtinendam in iustitia accepta perseverantiam iugibus precibus, debita fiducia ac sine haesitatione ad Deum fusis, iuxta illud Iacobi i, 6, 7: *Qui enim haesitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur. Non ergo aestimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino.* Multo vero minus sine spe ac oratione obtinere poterunt magnum illud perseverantiae finalis donum, quod solum *suppliciter emereri potest*, ut loquitur Augustinus.

89. Quod si necessaria est spes necessitate medii, hoc ipso patet, eam necessariam esse necessitate praecepti naturalis, cum lex ipsa praecipiat, ut adhibeantur media, quae ad finem obtinendum necessaria sunt.

90. De praecepto autem positivo divino nos dubitare non sinunt divinae litterae, quae toties hanc spem inculcant, ut Ps. lxi, 9: *Sperate in eo, omnis congregatio populi*; et Eccli. ii, 6: *Dirige viam tuam, et spera in illum;* et alibi passim, quin necesse sit testimonia, quae huc referuntur, singillatim afferre, cum notissima sint, ut Coloss. i, 4, 5 et ibid. ii, 15; I. Petri i, 13; Rom. viii 24; Hebr. vi, 18, 19, viii, 12, x, 23, xiii, 6, etc. Hinc s. Augustinus tract. lxxxiii in Io. concludit: *Praeceptum est nobis sperare multa, scilicet, quae promissa sunt.*

91. Apposite animadvertit Suarez disp. ii. sect. i, n. 1 tum in his, tum in aliis similibus textibus, qui ex sacris litteris afferri solent, non esse verbum, quod expresse videatur continere vim praecepti: attamen ut D. Thomas ii, 2, q. 22, art. 1 notavit, pro ratione materiae sufficienter proponi praeceptum illo modo. Nam quia spes, ait, post fidem est quasi fundamentum spiritualis vitae, seu potius principium: praeceptum eius est quodammodo praeambulum ad legem, et fundamentum aliorum praeceptorum; et ideo non tam proponitur per modum praecepti quam per modum promissionis. Nam qui promittit, hoc ipso praecipit sperare promissa.

92. Eiusmodi autem praeceptum ex ea parte, qua negativum est, obligat semper ac pro semper, adeo ut nunquam ullo in casu desperare liceat sine gravissima noxa. Prout vero positivum est, obligat aliquando *per se*, aliquando vero *per accidens*. Obligat per se saepius in vita, quemadmodum et actus fidei, ut cum, adepto rationis usu, nobis proponuntur per fidem Dei promissiones de aeterna beatitudine per Christum assequenda; item in articulo mortis ad superandas diaboli insidias, et quoties excitanda est nostra socordia, aut cum quis urgetur tenta-

(1) Sess. 6, cap. 6.

tionibus contra eandem virtutem; cum quis in desperationis barathrum lapsus est, ut ex eo emergat. Hinc proscripta est ab Alexandro VII propositio: *Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, spei et caritatis ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium* (1). Per accidens urget hoc ipsum praeceptum, quoties sine illius actu adimpleri nequeunt, quae necessaria sunt ad rite christiani hominis officia persolvenda, ex. gr. orationis et poenitentiae, dicente s. Ambrosio: *Nemo potest bene agere poenitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam* (2).

93. Si quis vero quaerat, quaenam res sperandae sint, responsio in promptu est: quod scilicet, spectata necessitate medii, oporteat saltem confuse sperare aliquam retributionem supernaturalem, ut colligitur ex apostolo Hebr. x et xi: item oporteat sperare remissionem peccatorum, ut patet ex concil. trid. sess. vi, loc. cit., denique sperare oporteat, quidquid necessarium est ad salutem. Notandum autem est, posse de his bonis haberi spem sive explicitam, sive implicitam, prout etiam contingit in virtute fidei (3).

PROPOSITIO II.

Spes christiana indiscriminatim omnibus etiam perfectis praecipitur, nec ullus datur status, in quo spes tanquam imperfecta excludatur.

94. Est adversus pseudo-mysticos quietistas aut semiquietistas; huius vero propositionis veritatem hoc adstruimus argumento: Christiana spes etiam perfectis praecipitur, nec ullus datur in praesenti vita status, in quo spes tanquam imperfecta excludatur, si 1° id facto ipso Deus patefecerit; 2° si id patres doceant; 3° si id ipsa rei natura postulet. Atqui. Ergo.

95. Prob. min. quoad 1. partem, et quidem multiplici ratione; ac primo quidem dum sanctis, ad summam iam perfectionem evectis et ad eandem vocatis, aut se ipsum tanquam mercedem proposuit, aut assecutionem aeternae beatitudinis proposuit, aut eam a se petere iussit. Iam vero Abrahae Genes. xv, 1 dixit Deus: *Ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis.* Christus apostolis ad perfectionem vocatis ait: *Omnis qui reliquerit domum vel fratres aut sorores.... propter nomen meum centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit* (4), iubetque eos gaudere et exultare propter hominum maledicta et persecutiones, *quoniam*, inquit, *merces*

(1) Cf. Viva super hanc propositionem, quae est n. 1.

(2) Lib. 1 *De poenit.*, cap. 1, n. 4.

(3) Cf. Suarez, l. c., tum n. 2, 3, tum n. 6, ubi eximius Doctor, quae hic a nobis perstricta sunt, accurate exponit, simul refellens nonnullorum praeposteram doctrinam, qui autumabant, nunquam occurrere in hac virtute necessitatem per se, eo quod eius actus dicerent non esse necessarios per se, sed propter alios tantum, ut nempe erigatur animus ad progrediendum in virtutis via. Numero vero 6 ostendit tum auctoritate scilicet Clementis Alexandrini tum ratione, teneri homines lege ipsa naturae ad eliciendos actus spei naturalis, cum omnes teneantur bene sentire de divina providentia, et ad eam spectet reddere virtuti praemium et vitiis poenam; tum etiam quia hoc est unum ex mediis maxime necessariis, ut omnes alliciantur ad praestandum cultum Deo auctori naturae, ad quod lege naturae obligantur, et ad alia peccata vitanda, et ad virtutem exercendam; tum denique quia homo lege naturae tenetur tendere in Deum ut finem ultimum in eoque ponere suam beatitudinem, illamque intendere per debita media, quae sunt munera spei.

(4) Matth. XIX, 29.

vestra copiosa est in coelis (1). Ac adolescenti perfectionem proponens, eum allicit promissione retributionis in coelo, dicens: *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo* (2). Ecquis vero in animum inducat suum, Christum per propositam retributionem aeternae vitae discipulos et cultores suos a perfectione retraxisse?

96. Quod et facto suo sanctissimi viri ostenderunt. Siquidem nemo dubitat, omnibus virtutibus ac eximia perfectione praeditos fuisse Abraham, Moysen, David, Petrum ac Paulum, quos adeo Scriptura commendat: atqui tamen hi omnes aeternam beatitudinem sibi promissam saepissime contemplabantur eiusque suavissima spe se recreabant. Nam de Abraham scribit apostolus Hebr. XI, 9, 10: quod *fide demoratus est in terra repromissionis tanquam in aliena.... Expectabat enim fundamenta habentem civitatem, cuius artifex et conditor Deus.* Ac de Moyse pariter ibidem v. 26 apostolus scribit: quod *maiores divitias aestimaverit thesauro Aegyptiorum, improperium Christi;* quia *aspiciebat in remunerationem.* David innumeris pene locis, spem hanc se nutrivisse, testatur, ut Ps. CXVIII, 112: *Inclinavi cor meum ad faciendas iustificationes tuas... propter retributionem;* et in Ps. LXXII, 25, 26: *Quid enim mihi est in coelo? et a te quid volui super terram? Defecit caro mea et cor meum; Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum.* Sic etiam apostolus de se ipso scribit II. Timoth. IV, 7, 8: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.* Quid tum? *in reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum eius.* Idemque desiderium maxime se fovisse, testatur, scribens ad Philipp. I, 23 illis verbis: *Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo.* Ecquis porro contendat, se istis omnibus altiorem posse perfectionem attingere, qui tamen spe illecti aeternae felicitatis ad sanctitatem contenderunt?

97. De altera minoris parte, seu de patrum doctrina, ex apertis ipsorum testimoniis constat. Sic s. Ioannes Chrysostomus, loquens homil. XXXVI in Genesim, de promissione a Deo Abrahae facta, ait: *Vidisti quomodo excitavit pietatis athletam? Ipse enim, qui arcana cordium novit, sciebat, iusto illi opus esse huiusmodi verborum consolatione.* S. Augustinus saepissime docet, Deum gratis esse amandum, ita scilicet, ut nulla merces praeter eiusdem possessionem et fruitionem inquiratur: *Gratis*, inquit, *ametur, ut operis, quo ministratur illi, pretium sit esse cum illo* (3); et alibi: *Hoc est gratis amare, non quasi proposita acceptione mercedis; quia ipsa merces tua summa Deus ipse erit, quem gratis diligis: et sic amare debes, ut ipsum pro mercede desiderare non desinas, qui solus te satiet* (4). Et aliis omissis s. Bernardus; *Nunquam*, scribit, *erit caritas sine cupiditate, sed ordinata;* et iterum: *Nescio, si aliquam hominum quartus in hac vita gradus perfecte apprehenditur, ut se scilicet diligat homo tantum propter Deum. Asserant hoc, si qui experti sunt: mihi, fateor, impossibile videtur* (5). Tanquam fictitium nempe reiicit s. Doctor statum illum, in quo homo

(1) Ibid. V, 12.
(2) Ibid. XIX, 21.
(3) Tract. LI, in Io. n. 11.
(4) *Enarr. in Ps.* 134, n. 11.
(5) Tract. *De dilig. Deo*, cap. 14, 15.

nihil optet, ne quidem Dei ipsius possessionem (1).

98. Ratio demum theologica ex eo desumitur, quod homo nequeat, quin neget se ipsum, parvi pendere imo nec appetere ultimum finem suum; id enim perinde esset ac suam exuere ac destruere naturam. Iam vero in utroque ordine, sive naturali, sive supernaturali, licet diversa ratione (2), Deus summum hominis bonum est ac supremus finis. Ergo impossibilis est fictitius amor ille, in quo et per quem Deus possidendus non appetitur, ac mera est illusio. Praeterea si admitteretur adversariorum hypothesis, quo magis homo in perfectione proficeret, eo magis fieret indifferens circa negotium aeternae salutis suae aut aeterni sui exitii et a Deo recessus: quod repugnat (3). Demum Deus, secus ac ecclesiae praxis ferat, et communis hominum sensus dictet, amore diligendus non esset ob collata in homines beneficia et conferenda. Quae cum absurda sint, merito nova eiusmodi doctrina tanquam a veritate catholica abludens proscripta ac reiecta est. Prout etiam magis patefiet ex insequente propositione, in qua honestatem bonitatemque amoris concupiscentiae directe expendere aggredimur.

(1) Cf. document. Pastor. episc. Carnotensis datum an. 1698, nec non Bossuetum in variis editis scriptis supra hoc argumento, in eiusdem operum editione simul collectis.

(2) Cf. Suarez, l. c.

(3) Atque hoc est, quod domina Guyon effutierat in suis scriptis, dicens: « L'abandon parfait, qui est la clef de tout l'intérieur, ne réserve rien, ni mort, ni vie, ni perfection, ni salut, ni paradis, ni enfer. Que craignez-vous, cœur lâche! vous craignez de vous perdre? hélas, pour ce que vous valez, qu'importe? » Cf. apud Collet art. 2, *De spe*, punct. 11, *De necessitate spei*.

(4) Etenim Calvinus in Antid. ad sess. 6 Conc. Trident. c. 25: « Dei iudicio (inquit) nihil est sincerum, nec probum, nisi quod ex perfecto eius amore manat. » Lutherus vero in *Assert.* articul. contra *bullam* Leonis X, affirm. VI, scribit: « Contritio quae paratur per amissionem aeternae beatitudinis, facit hominem hypocritam. Atque ex his fontibus Baius suam hausit doctrinam, quae in constitutionibus rom. Pontificum Gregorii XIII, S. Pii V, et Urbani VIII damnata est, nullum esse Dei amorem entitate naturalem, ideoque commentitiam esse distinctionem amoris Dei in naturalem et supernaturalem; quod non fit ex caritate, non posse esse bonum, aliaque non pauca. De quibus cf. De Ripalda in op. *De Ente supernaturali*, in appendice seu tomo 3, lib. 2, disp. 22, sect. 1, seqq.

PROPOSITIO III.

Amor concupiscentiae, quo Deum prosequimur ut summum bonum nostrum seu conveniens nobis, honestus est et supernaturalis, ideoque licitum ac virtuosum est operari intuitu beatitudinis solius.

99. Haec propositio de fide est, nec solum pseudo-mysticos attingit, verum etiam, imo praecipue, novatores saeculi XVI. Lutherus enim et Calvinus veluti malum damnant actum, quo homo intuitu aeternae retributionis operatur, cum non liceat spem ponere in operibus et meritis nostris; siquidem hoc foret detrahere dignitati Christi, esseque in se ipso confidere. Insuper contendunt quidquid non procedit ex puro amore et benevolentia Dei, ordinare Deum ad nos, quod est inordinatum (4). Quem errorem concilium Tridentinum anathemate feriit sess. VI, can. XXXI: *Si quis dixerit, iustificatum peccare, dum intuitu aeternae mercedis bene operatur; anathema sit.* Quumque nonnulli hanc doctrinam instauraverint, Alexander VIII, iterum confixit, insequentes damnans propositiones; X: *Intentio, qua quis detestatur malum et prosequitur bonum, mere ut coelestem obtineat gloriam, non est recta nec Deo placens;* et XIII:

Quisquis etiam aeternae mercedis intuitu Deo famulatur, caritate si careat, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur (1).

100. Ideo vero in propositionis enunciatione diximus : Quo Deum prosequimur ut summum bonum nostrum seu conveniens nobis, quia de ratione intrinseca boni est, ut sit nobis conveniens, prout clarissime evincit Suarezius, scribens: *Bonum et appetibile in re idem sunt, quamvis his nominibus non idem respectus significetur. Nam appetibile dicit formalem denotationem ab appetitu, vel respectum ad illum; bonum autem non id dicit formaliter, sed id, quod ex parte obiecti est fundamentum talis denominationis seu habitudinis. Propter quod haec causalis vera est, quia bonum est appetibile: sed omnis res appetitur propter convenientiam, quam habet cum appetente: amat enim unusquisque, quod conveniens est. Ergo ratio boni in hac ratione convenientiae consistit* (2). Et iterum: *Impossibile est*, scribit, *appeti, quod non respiciat bonum proprium ipsius appetentis, vel illud includat aliquo modo... Etenim quod appetimus, vel est bonum proprium vel alterius : si proprium, habetur institutum. Alterius autem bonum non appetimus, nisi vel quia in actu appetendi rationem aliquam boni proprii invenimus, vel certe quia, cui tale bonum appetimus, aliquo modo ad nos pertinet, sive unus nobiscum est aliqualiter. Nam aut creatura est aut Creator: si Creator, eatenus illi bonum volumus, qualenus ipse Deus est universale bonum rerum omnium, atque adeo nostrum. Et hac de causa caritas magis Deum amat, quam amantem, quia in Deo includitur bonum ipsius amantis tanquam in fonte atque origine: si vero est creatura, volumus illi bonum, vel quia amicus est, vel quia propinquus, vel quia homo, in quo bonitatem nostrae naturae consideramus. Quod si non sit creatura rationalis, bonum ei optamus, vel quia ad nos attinet, vel quia aliqualiter in natura est nobis similis...* Et s. Thomas 1, 2, q. 26, art. 1, docet, in tantum esse aliquid bonum et appetibile, in quantum est proportionatum bonum amantis. Horum causa inde sumitur, quia, licet ratio boni non respiciat hunc vel illum, tamen ratio appetibilis ab hoc vel illo includit, quod bonum eius sit. Nam appetitus est inclinatio quaedam ad propriam perfectionem tendens ; neque hoc destruit communem divisionem amoris in amicitiam seu benevolentiam et concupiscentiam (3). Quae quidem praemittere constitui tum quia lucem dicendis affundunt circa amorem spei et caritatis, de quo controversia viget, tum etiam quia solvendis difficultatibus magnopere inserviunt.

101. Itaque amorem concupiscentiae, seu quo Deum prosequimur ut summum bonum nostrum, in primis honestum esse evincimus tum ex Scripturis, tum ex doctrina patrum et sanctorum praxi, atque ex intima rei natura.

102. Praetermissis testimoniis sacrarum Scripturarum in praecedenti propositione prolatis, quae huc pariter faciunt, haec praeterea adiicimus, quae propositam doctrinam

(1) De his propositionibus fuse agit Viva, easque accurate refellit in sua *damnatarum thesium theologica trutina*.

(2) Tomo priori *Metaphysicae*, disp. 10, sect. 1 tractans *De bono*, seu *De bonitate transcendentali*, n. 2, ubi innititur s. Thomae, q. 1, *De verit.*, art. 1, et q. 21, art. 1.

(3) *De anima*, lib. 3, cap. 2, § 7.

mirifice confirmant ac suadent. Apoc. II, 10, ait Christus: *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae.* Sic I, Cor. IX, 25.: *Omnis*, scribit apostolus, *qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet; et illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam;* et Col. III, 23, 24.: *Quodcumque facitis, ex animo operamini sicut Domino, et non hominibus; scientes, quod a Domino accipietis retributionem haereditatis.* Porro asserere, Christum et apostolos quidpiam inhonestum sive consulere sive praecipere, aut saltem ad illud inducere, impium ac blasphemum est. Cum igitur ad excitandam fidelium socordiam eiusmodi retributionis incitamentum proponant, plane honestum illud esse dicamus, necesse est.

103. Exinde profluit patrum doctrina, qua ipsi fideles hortantur ad bene agendum. Exemplo sit s. Augustinus, qui scribit: *Hoc enim mandavit Deus. Noli facere nisi propter vitam aeternam, ideo fac, et securus facies* (1); et alibi: *Quaere tuum bonum. Nemo bonus nisi solus Deus, summum bonum: hoc est tuum bonum... Cohaeredes Christi... erige spem tuam ad bonum bonorum omnium. Ipse erit bonum tuum, a quo in toto genere factus es bonus, et omnia in suo genere facta sunt bona* (2). Neque aliter s. Cyprianus, qui haec habet: *Si tantum salus daretur aeterna, pro ipsa perpetuitatem vivendi haberemus in gratia* (3). Sic alii passim (4).

(1) In psal. 120, n. 10.
(2) In psal. 102, n. 8.
(3) Lib. *De laude martyrii*, cap. 2, pag. 549, ed. Maurin.
(4) Cf. Ripalda, l. cit. sect. 2, n. 10.
(5) Uti exhib. in Brev. Rom. in eius lectionibus.
(6) Consuli possunt inter ceteros, qui de hoc argumento scripserunt, Ripalda in op. cit. disp. 22, sect. 1, 2, et 3, nec non Suarez, qui *De spe*, disp. 1, sect. 5, n. 2, ostendit, non solum bonum esse operari ex amore vel timore, quasi ex motivo extrinseco, veluti sumpta ibi occasione, sed etiam tanquam ob finem proximum et immediatum. Et quidem etiam in actibus praeceptis, secus ac nonnulli senserint. Ac demum modum hunc operandi pertinere ad spem vel imperantem vel elicientem.

104. Quo vero aspirationes sanctorum tendebant, nisi ad Deum aliquando in aeternum possidendum, nisi ad fruendum Christi aspectu, illud passim ingeminando apostoli effatum: Desiderium habens esse cum Christo? Certe a Christo ipso Angelicus doctor expostulatus, quam mercedem optaret pro tot bene de se scriptis, respondit: *Non aliam nisi te ipsum* (5). Neque aliud invenies in omnibus sanctorum biographiis.

105. Ratio demum evidens est. Nam actus, quo dirigimur tanquam medio a Deo praestituto ad obtinendum finem supremum et ultimum, ad quem conditi sumus, non potest esse nisi bonus et honestus: porro tales sunt actus amoris concupiscentiae, quibus sive abstrahimur a malo, sive promovemur in bonum, prae oculis habentes aut Dei amissionem aut eius assecutionem. Ergo.

106. Nec solum honestum ac bonum, sed et supernaturalem esse eiusmodi concupiscentiae amorem, ex se patet, cum agatur de obiecto supernaturali obtinendo per media supernaturalia, et quae ad iustificationem etiam assequendam uti dispositio, ex Tridentino concilio, sit ordinata.

107. Quod vero ad perfectionem nullo modo pertineat hunc concupiscentiae amorem exstinguere atque excludere, quin alia addamus, patefiet ex difficultatum solutione (6).

Difficultates.

108. Obi. 1° Qui propriam beatitudinem optat, et propter eiusdem intuitum operatur, hic certe diligit se ipsum, animam suam, utilitatem suam; at vero Christus ad perfectionem contendentibus contrariam viam monstrat. 2° Etenim Matth. XVI, 24: *Si quis*, inquit, *vult post me venire, abneget semetipsum*: et iterum Luc. XIV, 26 dicens: *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem suam..... adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus.* 3° Hinc apostolus I, Cor. XIII, 5: *Caritas*, inquit, *non quaerit, quae sua sunt.* 4° Quod et exemplo suo confirmat, dum Rom. IX, 3, ita de se testatur: *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis*; quid porro sibi vult, *Anathema a Christo esse*, nisi omne salutis propriae desiderium divinae voluntati devovere et propriae damnationi consentire? 5° Nec aliter orabat Moyses, cum veniam populo suo deprecaturus Exod. XXXII, 31 et 32, ita Deum contestabatur: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut, si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Ex his ergo Servatoris documentis summorumque virorum exemplo sequitur, quod qui propriae beatitudinis spem omneque desiderium abiicit, ut in sola caritate quiescat, perfectionem vere attingat.

109. Resp. ad 1 *D.* Diligit se ipsum, animam suam et utilitatem suam ordinate et iuxta Dei beneplacitum, *C.*; inordinate et contra voluntatem Dei, *N.*

110. Ad 2 sive ad 1 prob. *D.* ex Christo, qui se et animam suam inordinate diligit, non est eius discipulus, *C.*; qui ordinate se suamque animam diligit, *N.* Ex perpetuo enim ecclesiae sensu adducta Christi verba intellecta sunt de abnegatione propriarum cupiditatum, quibus plerique homines perperam se ipsos diligunt, omniumque affectionum humanarum, quae impedimento sunt aut esse possunt ad divina exsequenda mandata aeternamque vitam assequendam. Et sane non alium in obiectis verbis sensum esse posse, ex eo patet, quod ipsemet Christus Matth. XIX, 29 vitam aeternam praemii loco proponat dicens: *Omnis qui reliquerit domum vel fratres..... propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit.* Merito propterea ab Innocentio XII proscripta est propositio: *Derelictio non est, nisi abnegatio, seu sui ipsius renuntiatio, quam Iesus Christus in evangelio requirit, postquam cetera omnia reliquerimus* (1).

111. Ad 3 *D.* Qui sua quaerit ad exclusionem eorum, quae sunt Iesu Christi, *C.*; qui sua quaerit in ordine ad Iesum Christum, *N.* Sensus apostoli aperte liquet ex iis, quae alibi scribit, mentemque suam aperit, dicens: *Omnes, quae sua sunt, quaerunt, non quae sunt Iesu Christi* (2). Itaque cum scribit, quod *caritas non quaerit quae sua sunt*, significat, veram caritatem non reperiri in iis, qui temporalia sectantur et propria emolumenta in hac vita, non autem eos, qui quaerunt Christum Iesum, ut eo fruantur in altera vita. Alioquin ipse desiderium non habuisset esse cum Christo, nec sibi pollicitus esset coronam iustitiae a iusto iudice tamquam praemium operum suorum.

112. Ad 4 et 5. *D.* Paulus ac Moyses per quemdam excessum ac impossibilem hypothesim a vita ac beatitudine excidere ad proximi spi-

(1) Quae est 7 inter damnatas ab Innoc. XII, ex op. *Maximes des Saints* Fenelonii.

(2) Philipp. II, 21.

ritualem salutem procurandam se offerebant, *Tr.*; iuxta divinam ordinationem ac desiderium efficax, *N.* Transmisimus primum antecedentis membrum ob multiplices horum locorum expositiones (1). De hypothesi autem impossibili eos esse locutos, ex eo liquet, quod sit contra Dei ordinationem, ut quis privetur aeterna beatitudine ad alienam procurandam. Longe verisimilior illorum videtur expositio, qui verba apostoli et Moysis accipiunt de quolibet temporali detrimento, ac de vita ipsa amittenda, ad lucrifaciendos Deo fratres suos (2).

113. II. Obi. 1. Patres passim gratuitum Dei amorem extollunt, nullo prorsus respectu habito sive ad punitionem sive ad retributionem. 2. In his eminet Clemens Alex. qui constituit 1° quod, si inter Dei cognitionem et aeternam salutem optio daretur, illa procul dubio huic esset praeferenda (3); 2° dicit, hominem perfectum neque timore poenarum neque propter aliquod utile lucrum aut delectationem aliquam operari (4); 3° tres distinguit status iustorum, *servorum* scilicet, qui timent; *mercenariorum* qui sperant; *filiorum* qui amant (5). Neque ab eo dissentiunt s. Gregorius Nazianzenus, Basilius, Cassianus, aliique (6), iuxta quos veri filii sunt ac perfecti, qui nec timent, nec sperant, sed amant. 4° Praecipue vero eminet s. Bernardus, qui in libro *De diligendo Deo*: *Non enim sine praemio*, scribit, *diligitur Deus, etsi absque praemii intuitu diligendus sit* (7). Et apertius paulo post subdit: *Est, qui confitetur Domino, quoniam potens est; et est, qui confitetur, quoniam sibi bonus est*; *et item, qui confitetur, quoniam simpliciter bonus est. Primus servus est, et timet sibi; secundus mercenarius, et cupit sibi; tertius filius, et defert Patri. Itaque, et qui timet, et qui cupit, utrique pro se agunt. Sola, quae in filio est, caritas non quaerit, quae sua sunt* (8). Et alibi: *Amant filii*, inquit, *sed de haereditate cogitant... Suspectus est mihi amor, cui aliud quid adipiscendi spes suffragari videtur.... Impurus est, qui et aliud cupit. Purus amor mercenarius non est* (9). Ergo.

114. Resp. ad 1. *D.* Extollunt patres amorem Dei gratuitum, qui scilicet respectum excludit ad ea, quae praeter Deum sunt, *C.*; ad Deum ipsum summum bonum nostrum, *N.* Nempe docent patres, non aliam nobis esse proponendam retributionem praeter eam, quae in Dei possessione consistit, prout decet hominem perfectum.

115. Ad 2. *N.* Nam Clemens in priori obiecto textu docet, Dei cognitionem seu visionem, in qua essentialis beatitudo consistit, ceteris omnibus, quae eam comitantur, esse

(1) Cf. apud Cornel. a Lapide, Estium, Bernard. a Piconio in hunc locum apostoli, qui cum antiquiorum et recentiorum magis minusve improbabiles sententias seu interpretationes reiecerint, tandem in eam fere consentiunt, quam nos adoptavimus utpote verisimiliorem. Cf. etiam Toletum in comment. in hanc Epistolam.

(2) Cf. expos. s. Io. Chrysost., Theodoreti, Theophylacti, s. Thomae, s. Hieronymi, s. Gregorii Nazianzeni, qui eadem ratione exponunt, quae Exodi XXXII leguntur de Moyse. Cf. Bossuetum *Schola in tuto*, quaest. 12. De locis Exodi XXXII, 32, et Rom. IX, 3, ac *De suppositionibus impossibilibus*.

(3) *Stromat.* lib. 4, edit. Sylburgii Paris. 1641, pag. 483, seq.

(4) Ibid. 485.

(5) Ibid. 493.

(6) Cf. apud Bossuetum tum in opere *Réponse à quatres lettres de M. l'Archevêque de Cambrai*, § 10, tum in op. *Mystici in tuto*, loc. cit.

(7) Cap. 7, n. 17.

(8) Cap. 12, n. 34.

(9) Serm. 83 in Cantica, n. 5.

praeferendam. In altero textu distinguit inter amorem perfectum et amorem imperfectum, in quo timor invenitur admixtus aut spes alicuius rei a Deo distinctae. In tertio demum eundem sensum diversis verbis exprimit, nunquam vero ad exclusionem fruitionis Dei ipsius. Sane hunc prae se ferre sensum obiecta Clementis verba, patet ex contextu; scribit enim: *Existimo autem, oportere neque propter metum supplicii, neque propter aliquam doni promissionem, sed propter ipsum bonum accedere ad verbum salutare.... Qui autem pro donatione eorum, in quae cadit corruptio et interitus, existimant se vicissim accepturos incorruptionem, in duorum fratrum parabola vocati sunt mercenarii* (1). Eadem alibi repetit (2). Nec alio sensu loquuntur ceteri patres (3).

116. Ad 3. Ad s. Bernardum quod attinet, eadem esto distinctio. Eius mens aperte colligitur ex iis, quae in eodem libro *De diligendo Deo* scribit: *Verus amor se ipso contentus est. Habet praemium, sed id, quod amatur. Nam quidquid propter aliud amare videaris, id plane amas, quo amoris finis pertendit, non per quod tendit. Paulus non evangelizat, ut comedat, sed comedit, ut evangelizet; eo quod amet non cibum, sed evangelium. Verus amor praemium non requirit, sed meretur. Praemium sane necdum amanti proponitur, amanti debetur, perseveranti redditur..... Quanto magis Deum amans anima aliud praeter Deum sui amoris praemium non requirit? Aut si aliud requirit, illud pro certo, non Deum, diligit* (4). Excludit igitur s. Pater a vero amore quidquid extra Deum ac praeter Deum amatur, non autem Deum ipsum, aut quod ad Deum refertur; omnique alii amori illum praefert, quo quis vel in ipsa adeptione Dei, magis Dei gloriam respicit quam seipsum. Hic genuinus est Bernardi sensus tum in obiectis locis, tum in aliis similibus, qui obiici possent (5).

117. III. Obi. Amor spei seu concupiscentiae perversus est. Etenim 1° concupiscentia Dei respicit creaturam tamquam finem, cum referat Deum ad creaturam seu ad seipsum, illumque amet tamquam utilem sibi; 2° tum etiam quia amans Deum bonum sibi amore concupiscentiae, prius amat se quam Deum, quem amat qua convenientem sibi, iuxta illud Augustini: *Si diligis aurum, prius te diligis, et sic aurum* (6). Sicque diligendo Deum, concupiscendo illum tibi, prius te diligis, et sic Deum; adeoque uteris, non

(1) Pag. 485, cit. edit.

(2) Ibid. pag. 495.

(3) Sane s. Io. Chrysostomum, haud appellasse mercenarios, qui Christum pro mercede sibi proponunt, patet ex iis, quae scribit Hom. V in *Ep. ad Rom.* n. 7, edit. Maur.: « Christum sequi et adipisci volunt, nec coelum, nec regnum coelorum dilecto anteferunt: Quid enim mihi est in coelo, aut a te volui super terram? hoc est: Neque superioris, neque inferioris cuiusquam boni cupido me tenet, sed tui solius; hic est amor, haec amicitia. » Et s. Ambrosius, qui inter cetera praeclare ait: « Etsi bona est virtutum amicitia et summi boni caritas, nihil aliud quaerit perfectus ille, nisi solum et praeclarum bonum; unde et unum petiit a Domino... Neque vero eum ut angustum inopemque fastidias; abundat enim ad beatitudinem et possessionem boni; et ideo nihil aliud desiderat. » *De Iacob et vita beata*, lib. 1, cap. 7, n. 30, tom. 1, col. 454. Et ita porro Patres reliqui. Cf. Bossuetum, op. cit. *Schola in tuto*, q. 14.

(4) Cap. 7, n. 17, ubi mentem suam declarat magis ac magis exemplo sponsi et sponsae, quo ibidem utitur s. Pater, et ex omnibus, quae subdit in decursu istius tractatus.

(5) Haec testimonia expendit Bossuetus in ep. et loc. cit.

(6) Hom. 34 apud Ripaldam, disp. 22, n. 28.

frueris Deo, quum illum diligis propter te. Quae est perversa quaedam cupiditas, prout adnotavit idem s. doctor scribens : *Summa perversitas est frui utendis, et uti fruendis* (1). 3° Accedit, quod amor concupiscentiae et amor benevolentiae se invicem excludunt; siquidem amor concupiscentiae est mercenarius, amor vero benevolentiae et caritatis est omnino gratuitus, in Deum tendens propter ipsum Deum, et non propter aliud a Deo distinctum; contra vero amor concupiscentiae respicit Deum tamquam commodum ac bonum suum. 4° Et sane, ut proximus recte diligatur, amari debet propter Deum, non autem Deus propter proximum. Ergo iuxta debitum ordinem caritatis etiam nosmetipsos diligere debemus propter Deum, non autem Deum propter nos, prout fit concupiscentiae amore. Hinc Christus : *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos* (2). Porro Christus nos dilexit propter Deum; adeoque propter Deum nobis pariter diligendus est proximus, ac nos ipsos diligere debemus. 5° Demum perfecta caritas ea est, qua creatura vult quidquid Deo beneplacitum est; iam vero in divino beneplacito contineri potest tam praedestinatio quam reprobatio propria. Ergo qui Deum perfecte diligit, debet omnem tum metum poenarum, tum spem beatitudinis omnino abiicere, atque in divina voluntate plenissime conquiescere. Ergo.

(1) Quaest. 83, q. 30.

(2) Io. XV, 12.

(3) Cf. Suarez, qui *De spe*, disp. 1, sect. 5, n. 2, hanc ipsam difficultatem solvit, scribens : « Respondetur ex D. Thoma, 3, d. 27, art. 4 ad 2, in actu amoris Dei duo posse distingui. Unum est obiectum quod est Deus; et hoc si amatur caritate, non amatur propter aliud, sed propter se. Aliud est exercitium huius actus, et hoc potest referri ad mercedem, ut ad finem proximum : sic enim actus caritatis imperari potest ab spe, et non est mordinatio, quia non utor Deo, sed actu meo. Deinde quia in comet usu non sisto in mercede mea aut commodo, tanquam in fine ultimo; nam omnia tandem refero in gloriam Dei, vel formaliter vel virtute. Atque adeo necesse est, ut actus sit bonus, propter quod Tridentinum addit? Dummodo hoc principaliter intendatur, ut Deus glorificetur in nobis. »

118. Resp. *N. A.* Alioquin nec Deus illum nobis commendaret, nec tridentinum concilium Lutheri et Calvini doctrinam anathematizasset, qua novatores illi contendebant, peccare hominem, dum operando aeternam sibi mercedem concupiscit : neque eundem errorem rom. pontifices in Baio damnassent eiusque asseclis.

119. Ad 1. Prob. Vel *N.* vel *D.* Concupiscentia refert Deum ad seipsum proxime et immediate, *Tr.*; refert ad seipsum tanquam ad finem ultimum, *N.* Etenim cum aliquis ex amore spei seu concupiscentiae operatur, non refert Deum ad se, ut falso assumunt adversarii, sed proponit sibi Deum fruendum uti mercedem, quam Deus tribuit in gloriam suam. Ideoque licet proprium bonum sit finis proximus, quem sic operans sibi proponit, finis tamen ultimus vel formaliter, vel virtualiter est gloria Dei. In quo nihil inordinatum est, imo, quod non sit necessario bonum (3).

120. Ad 2. Iuxta constitutum principium fundamentale, quod homo, qui Deum amore spei diligit, hunc amorem demum in Dei gloriam velut finem ultimum referat, iam falsum deprehenditur, eum in hoc actu se seu creaturam principalius amare quam Deum, cum ordinet finem proximum in Deum, qui est principaliter intentus iuxta Dei voluntatem, qui suimet ipsius possessionem ut mercedem proponit,

ut ad rite operandum alliciat. Hac ratione cetera corruunt, utpote falso innixa fundamento, nempe hoc amore hominem Deo uti. Siquidem, ut iamdiu adnotavit angelicus doctor, in actu amoris Dei duo possunt distingui. Unum est obiectum, quod est Deus, et hoc si amatur caritate, non amatur propter aliud, sed propter se. Aliud est exercitium huius actus, et hoc potest referri ad mercedem ut ad finem proximum; sic enim actus caritatis imperari potest ab spe, et non est inordinatio, quia non utor Deo, sed actu meo (1), uti medio perveniendi ad finem ultimum.

121. Ad 3. *N.* Optime enim ambo isti amores inter se componuntur, cum in uno eodemque actu possit ex dictis uterque actus identificari. Nam cum Deus sit bonus in se, et propterea sit bonus nobis, poterit amari simul ob utramque bonitatem, atque adeo amore, qui simul sit benevolentiae et concupiscentiae; cum hoc discrimine, quod amor concupiscentiae immediate referatur ad se, mediate vero ad Deum amore benevolentiae seu amicitiae per debitam ordinationem, prout exposuimus. Ac proinde optime inter se consistunt, neque unus alterum excludit, ut contendunt adversarii (2).

122. Ad 4. *D.* Proximum et nosmetipsos diligere debemus propter Deum, ut finem ultimum, *C.*; ut finem proximum, *N.* Nam quemadmodum nos ipsos proxime diligere possumus amore spei ad fruendum Deo bono nostro, sic alios eodem amore prosequi possumus, ut et ipsi eadem beatitate fruantur. Possumus eis optare gratias et media ad eum obtinendum perinde ac nobis, omnia dirigendo ad Dei gloriam tanquam ad finem ultimum tum Dei tum nostri. Neque aliud Christus in obiectis verbis intendit. Sane ipse nobis promeruit beatitudinem eamque proposuit ut mercedem et coronam ad maiorem Patris sui gloriam.

123. Ad 5. *N. min.* Nam *vita in voluntate eius*, ut dicitur in psalm. xxix, 6, vultque voluntate vera ac sincera omnes homines salvos fieri, *neque* enim *Deus laetatur in perditione vivorum* (3). Ideoque nunquam in beneplacito eius est reprobatio nostra, quam non decernit nisi ex praevisis culpis nostris; alioquin non iuberet sub gravi peccato omnes sperare. Quapropter absurda est et impia abiectio illa totalis omnis metus poenarum aeternarum ac spei beatitudinis, quam solo perfecti ac puri amoris obtentu sibi confingunt adversarii, ac plena illa acquiescentia in damnatione nostra. Id profecto ecclesia nunquam docuit, quae ab his pseudo-mysticis constanter abhorruit.

124. Nec vero hic praetermittendum est, illos quandoque actus totalis resignationis, qui perhibentur nonnullorum sanctorum, non modo haud excludere salutis spem, sed potius eam includere ac supponere eique inniti. Etenim non alia de causa interdum in illos actus proruperunt sancti illi, quam ex intimo quodam sensu, quo certi erant, Deum omnia disponere, ob maius eorum bonum, atque ob aeternam eorum salutem. Hic erat status ipsorum normalis, licet aliquo momento tentationis ad desperationem, uti accidit s. Francisco Salesio, in quadam falsa suppositione, potuerint erumpere in aliquem heroicum actum de voluntate diligendi Deum, etiamsi deberent ab eo aeternum separari.

(1) In 3. d. 39, art. 4, ad 2 superius cit.
(2) Cf. Ripalda, disp. cit.
(3) Sap. I, 13.

CAPUT V.

DE EFFECTIBUS SPEI, AC DE TIMORE

125. Multiplices sunt, iique pretiosissimi, christianae spei effectus. Praecipui vero sunt: 1° quod sperantem excitet ad opera bona perficienda, dum animos accendit, diligentiam solertiamque acuit ad removendos obices, qui ab optato fine assequendo removere possint; quin etiam industriam omnem suggerit, quo metam propositam attingat, iuxta illud Prov. XVII, 8: *Gemma gratissima, expectatio praestolantis; quocumque se vertit, prudenter intelligit*, id est, media omnia solerter, qui rite sperat, in eum finem adhibet longe faciliori ratione ac sollicitudine, quam carnales homines ac mundani divitias parant. Nam *vita vitae mortalis*, ut praeclare loquitur s. Augustinus *spes est vitae immortalis* (1).

126. 2° In adversis animum spes christiana erigit, firmat, solaturque, ita ut cum gaudio rapinam etiam bonorum huius mundi sustineat, ac medias inter pravorum hominum insectationes exultet quandoque et gaudio superabundet, expectans *fundamenta habentem civitatem, cuius artifex et conditor Deus* (2).

127. 3° Est praeterea spes mater timoris sancti, quo fit, ut vir fidelis timore hoc perpetuo regatur, ne Deum ulla ratione offendat, atque vel a minimis etiam culpis, quatenus fert eius infirmitas, se abstineat, iuxta aliud: *Qui timet Deum, nihil negligit* (3).

128. Quandoquidem vero timor praestantissimus sit spei christianae effectus, consueverunt proinde theologi, duce angelico doctore, hic de timore agere (4). Hos imitantes nos etiam tanquam de spei effectu, de timore aliquid hoc loco pertractare constituimus. Ut viam nobis sternamus, praemittemus praevias timoris notiones, ut sic propositionem adstruamus, quae ad argumentum hoc spectat.

§ I.

Variae timoris notiones.

129. Quum hic disseratur de timore, prout ad Deum refertur, ac relationem proinde habet ad spem, quae pro obiecto habet Deum possidendum ut bonum suum; fit, ut de eo agere debeamus, quatenus avertit a Deo, aut quatenus ad Deum perducit.

130. Exinde profluit quadruplex timoris distinctio, quam post Angelicum tradunt unanimi consensu theologi, nempe aut timoris mundani seu humani, aut timoris servilis, aut filialis, aut initialis (5). De singulis tradenda accurata notio est.

131. Timor humanus seu mundanus ille dicitur, quo quis ita timet malum aliquod temporale, quod potest ab hominibus infligi, ut malit peccare et Deum offendere, quam malum illud incurrere; aut etiam, quo quis ita timet generatim aliquod huius vitae incommodum, ut ad id effugiendum Deum graviter offendat.

132. Timor servilis ille est, quo homo poenam timet sive temporalem sive aeternam a Deo infligen-

(1) Conc. 4 in ps. 103, n. 17.

(2) Hebr. XI, 10. Quo pariter referuntur, quae idem Apostolus alibi scribit, ut Rom. XII, 12: *Spe gaudentes*; et ad Tit. 2, 13: *Expectantes beatam spem*, et alibi passim.

(3) Eccle. VII, 19, id est nihil negligit sive boni, ut illud prosequatur, sive mali, ut se ab illo abstineat, uti apprime exponit Segneri *Manna dell'anima*, ad diem 29 novembr.

(4) II, 2, q. 19.

(5) Cf. s. Thom. quaest. cit. art. 2, et seqq.

dam. Timor hic potest dividi in bonum et malum, prout poena potest dupliciter timeri: primo moderate et secundum rectam rationem propter veram mali rationem, quam in se habet: atque hic timor dicitur *simpliciter servilis*. Secundo modo potest timor poenae haberi ultra mensuram rationis, ut sc. timeatur poena tanquam maximum, supremum, pessimumque malum; qui timor nuncupari solet *serviliter servilis* (1). Itaque bonus est timor servilis, cum timor poenae ad timorem adeoque et ad fugam culpae impellit: malus vero, cum a culpa non fugitur, vel saltem voluntas et affectio ab ea non avertitur.

133. Timor filialis ille dicitur, quo timetur malum culpae, quia malum est Dei, non quia malum est timentis; seu quo timemus culpam, non quia inducit reatum poenae, sed quia Deum offendit. Dicitur autem filialis, quia, ut loquitur s. Thomas: *Filiorum est timere offensam patris* (2). Dicitur etiam timor castus, quia oritur ex caritate, cuius est coniungere animas nostras Deo tanquam sponso, sicut uxor se coniungit cum viro unione amoris, et sic coniuncta castitatem coniugalem studiose servat (3). Inter servilem et filialem timorem medius est timor initialis, qui ex sancto Thoma non distinguitur substantia a filiali, sed specie solum differt ut imperfectum a perfecto in eodem genere, sicut caritas incipientium et perfectorum. Hinc timor initialis ab eo definitur, qui aliquid de filiali, et aliquid de servili habet (4). Solum est advertendum, inquit Suarezius, quod in amore concupiscentiae non distinguitur amor in perfectum et in imperfectum, quia totus ille timor genere suo est imperfectus; unde in timore servili, qui illi respondet, non distinguitur timor initialis a perfecto, quia, cum ille timor sit naturae accommodatus, statim a principio est maximus; secus vero est in amore amicitiae, et timore filiali, qui illi respondet (5). Itaque timor initialis per se et formaliter est de malo culpae; tamen quia est in initio sine perfectione, utitur timore servili, vel imperando vel certe comitanter eum admittendo, ut ab ipso adiuvetur. Interdum vero timor dicitur initialis quatenus est initium sapientiae vel iustitiae, ut Prov. I, et IX, ps. CX; Eccli. I, ubi dicitur *radix et plenitudo sapientiae*; et Iob XXVIII, dicitur *ipsa sapientia*. Et hoc modo timor servilis potest dici initialis, quia est initium iustitiae, ut Tridentinum docet (6), docentque patres passim, praesertim Augustinus (7); quamvis perfectius hoc ipsi conveniat timori filiali (8).

134. Quibus praemissis, nihil attinet dicere de timore mundano, vel de timore serviliter servili, quum ambo mali sint ac peccaminosi; nec proinde sive a spe, sive a quacumque alia virtute profluere possint. Imo spes theologica, si viva fuerit, conducit ad utrumque timorem eiusmodi pellendum.

135. Fenim quod malus sit ti-

(1) Cf. Suarez, sect. 4, n. 6, ubi observat, per hunc timorem hominem praeferre malum suum malo Dei; unde in se, non in Deo constituit finem. Quod tunc solum contingit, quando homo plus timet poenam quam culpam, ut, cum quis diceret: *Nisi esset imposita poena, non vitarem culpam*; quod tamen raro contingit, ut ex dicendis clarius fiet.

(2) Q. cit. art. 2.
(3) Ibid. ad 3.
(4) Ibid. art. 8.
(5) Sect. 4, n. 7.
(6) Sess. 6, cap. 6, et sess. 14 *De poenit.*, cap. 4.
(7) In psal. 127.
(8) Cf. 1 Th. q. cit. art. 7 et q. 7, art. 1, et q. 14, art. 6 ad 3.

mor mundanus, seu humanus, qui passim a s. Augustino (1), et a s. Gregorio Magno (2), *timor huius saeculi* vocatur, exinde patet, quod saepe hominem ad culpam inclinat, quia saepe unus homo cogit alium per poenam ad peccandum, de quo propterea dicitur Matth. x, 28, et Luc. xii: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus;* et I. Petr. iii, 14: *Timorem eorum ne timueritis.* Tum etiam ex eo patet, quod est intrinsece malus, quia constituit finem ultimum in creatura amata (3). Hinc I. Ioan. ii, 15, dicitur: *Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo;* et Is. li, 12: *Quis tu, ut timeres ab homine mortali?* Et hac ratione exponitur illud I. Ioan. iv, 18: *Perfecta caritas foras mittit timorem.* Quapropter qui spe viva instructus est, id solum timere debet, ne quidquam praeter Deum timeat. Et sane, si Deus, qui omnipotens et auxiliator est, prout spe apprehenditur, sit pro nobis, quis contra nos? Hinc praeclare s. Augustinus: *Fera saevit? Deum time: serpens insidiatur? Deum time: diabolus te impugnat? Deum time: tota enim creatura sub illo est, quem iuberis timere* (4). Et iterum: *Protegitur imperator scutatis, et non timet; protegitur a mortalibus mortalis, et securus est; protegitur mortalis ab immortali, et timebit, et trepidabit* (5)?

136. Quod dictum est de timore mundano, dicendum pariter est de timore serviliter servili; siquidem et hic malus est ac vitiosus, quia, cum per eum homo magis timeat poenam quam culpam, hoc ipso se potius amare quam Deum, imo se amare, non Deum, convincitur ac constituere in se ultimum finem, non autem in Deo, cuius non timet malum, nempe peccatum, sed suum: in quo est maxima inordinatio, sive perversitas et peccatum. Quo fit, ut neque timor iste a spe, aut alia virtute promanare possit.

137. Quum vero tum timor filialis, tum initialis a caritate dimanent ad eamque pertineant, ut ex eorum notione, quam dedimus, constat; consequitur, omnes recensitos timores ad spem non pertinere; nihil proinde hic de his attinet dicere. Quocirca superest, ut disseratur de solo timore simpliciter servili, quem elici ex spe ac bonum esse, sic adstruimus.

PROPOSITIO

Timor simpliciter servilis, quo debite ac recte timetur poena aeterna, vel aliud quod ad eam ducit, prout est malum et incommodum nostrum, est actus elicitus a virtute spei, estque bonus et honestus.

138. Etenim ad priorem propositionis partem quod attinet, timor ille ad illam virtutem spectat, ex qua immediate procedit. Iam vero timor servilis, de quo agitur, immediate gignitur ex amore beatitudinis nostrae seu beatitudinis, quatenus est bonum nostrum, et commodum

(1) In enarr. 3, in ps. 32, n. 12, et alibi passim.

(2) Moral. lib. 28, n. 40, seqq.

(3) II, 2, q. cit. art. 3.

(4) In ps. 32, n. 12.

(5) In ps. 26, enarr. 2, n. 4. Animadvertendum tamen hic est, quae diximus de timore vel amore mundano, intelligi debere iuxta rigorosam significationem. Siquidem si absolute loquamur de timore mali temporalis, sicut amor talium bonorum non est intrinsece malus, sed ex obiecto indifferens, et ex fine vel modo potest fieri malus; sic et timor potest esse veniale vel mortale peccatum, quando ad haec inducit. Quapropter sicut amor malus temporalis non constituit peculiarem speciem vitii, sed generatim vagatur per omnia vitia, ita data proportione timor temporalis absolute spectatus. Cf. Suarez *De spe*, disp. 1, sect. 4, n. 2.

nostrum, quam timemus ob culpam amittere. *Timor enim*, ut loquitur s. Thomas, *ex amore nascitur* (1). Et s. Augustinus: *Nulli dubium est, nullam aliam esse metuendi causam, nisi id quod amamus* (2). Sed amor quo beatitudinem appetimus, prout est bonum et commodum nostrum, est amor spei. Ergo timor illam amittendi ex spe procedit ad eamque virtutem spectat.

139. Altera vero propositionis pars facile ostenditur. Nam ille bonus ac honestus timor dicendus est, qui ex virtute procedit, et cuius obiectum bonum est ac honestum. Talis porro est actus timoris servilis, ut constat ex dictis. Dimanat enim immediate ex amore spei, habetque pro obiecto immediato fugam culpae, ex qua amissio pendet propriae beatitudinis, ad quam homo naturaliter tendit, et ad quam supernaturaliter per fidem et gratiam directus est. Ergo.

140. Nec obest, quod timor simpliciter servilis, ac timor serviliter servilis inter se conveniant, eo quod habeant pro obiecto poenam. Nam licet obiectum *materiale* utrique timori commune sit, scilicet poena; attamen sub ratione formali substantialiter ac essentialiter inter se differunt, cum alter spectet poenam ut summum malum, quod non est, seu poenam in se; alter vero spectat summum malum, prout revera est, scilicet culpam, quae est causa mali poenae; adeoque alter est perversus, alter autem ordinatus ac honestus (3).

141. Sed hic iam quaeritur, utrum timor per caritatem imminuatur, pleneque tollatur, an vero cum ea permaneat, ac tantummodo perficiatur? Cui quaestioni ut satisfiat, oportet in primis distinguere varios, quos recensuimus timoris modos, nempe timoris mundani, servilis, filialis et initialis.

142. Si sermo sit de timore mundano, certum est ex dictis, ipsum expelli a caritate, cum qua consistere nequit. Idem dic de timore serviliter servili.

143. Si vero agatur de timore simpliciter servili, in eo duo sunt distinguenda: anxietas, quam gignere solet hic timor, et substantia ipsius timoris. Quoad anxietatem, crescente caritate, pedetentim imminuitur, donec fere evanescat; nam crescente caritate, crescit spes et fiducia in Deum, ideoque imminuitur anxietas et sollicitudo de amissione propriae salutis, quam ingerit timor servilis. Quoad substantiam vero, crescente caritate, imminuitur quidem servilitas, donec eadem tollatur, et evadat timor castus, ut loquitur s. Thomas (4); attamen manet cum caritate; nam separari a Deo est quaedam poena, quam caritas maxime refugit; et sub hoc respectu dici potest, eiusmodi timorem quodammodo crescere, crescente caritate, cum magis culpam timeat. Quoad timorem filialem, procul dubio a caritate non tollitur, sed perficitur. Quo enim quis amplius Deum diligit, eo etiam magis timet eum offendere. Qui autem adhuc imperfectus est in caritate et movetur timore initiali ad vitandam culpam, in eo praeponderat adhuc servilis timor, donec, crescente caritate, servilitas ipsa omnino dimittitur, ut det locum soli timori filiali.

(1) II, 2, q. 19, art. 3.

(2) Lib. 83, 99, q. 33.

(3) Cf. Suarez *De spe*, sect. 4, n. 6. Circa denominationem *timoris servilis*, qui talis dicitur tanquam per antonomasiam, nosque cum appellamus *serviliter servilem*, quem patres damnant utpote malum.

(4) II, 2, q. 19, art. 6—9.

144. An aliquis timor adhuc perseveret in patria, plerique affirmant, innixi verbis ps. XVIII, 10: *Timor Domini sanctus, permanens in saeculum saeculi;* nec non Iob XXVI, 11: *Columnae coeli contremiscunt, et parent ad nutum eius.* Columnarum autem nomine iuxta s. Gregorium M. angeli intelligi debent (1). S. Bernardus inter Abaelardi errores et hunc recenset, non manere timorem in patria (2). Sed in quo eiusmodi timor consistat, non conveniunt theologi inter se. Quidam enim in timore tantum reverentiali illum constituunt, seu in summa reverentia, ex consideratione infinitae Dei excellentiae; alii eum constituunt in quadam admiratione excellentiae divinae, seu in actu, quo ex tali admiratione refugiunt beati curiosius investigare opera et consilia Dei. In duabus istis sententiis excluduntur a patria tum timor servilis, tum timor filialis, prout est timor divinae offensae. Alii denique tenent ibi adesse timorem filialem, seclusis imperfectionibus, quae eum comitantur in via, seu manere fugam et timorem offensae Dei, ut secundum se possibilis in natura creata. Cum de re libera agatur, poterit quisque abundare in sensu suo (3).

(1) Lib. 17 *Mor.*, cap. 19, n. 42.

(2) Ep. 190, seu potius *Tract. contra quaedam capitula errorum Abaelardi* ad Innoc. II, edit. Mabill. cap. 4, n. 10, his verbis: « Dicit (Abaelardus) spiritum timoris Domini non fuisse in Domino; timorem Domini castum in futuro saeculo non futurum.

(3) Cf. Suarez, sect. 4, n. 19, 20, ubi reiectis duabus prioribus opinionibus, adhaeret tertiae sententiae eamque tribuit tum s. Thomae II, 2, q. 19, art. 11; tum s. Augustino lib. 14 *De civit.* cap. 9, 5, scribenti, timorem istum beatorum esse voluntatem, qua necessario volunt non peccare, *non sollicitudine infirmitatis, sed tranquillitate caritatis.*

CAPUT VI.

DE PECCATIS SPEI OPPOSITIS

145. Peccata seu vitia spei opposita ea sunt, quae eidem virtuti directe adversantur; sunt autem *desperatio* et *praesumptio*, quarum altera spei adversatur per defectum, altera vero per excessum. Breviter de utroque vitio singillatim est agendum, ut argumentum hoc de spe absolvamus.

ART. I. *De desperatione.*

146. Quae de desperatione dicturi sumus, revocantur ad eiusdem notionem, gravitatem et causas.

147. Desperatio igitur definiri solet: Voluntaria animi deiectio et diffidentia, per quam abiicitur spes obtinendae beatitudinis, aut etiam obtinendorum mediorum, quibus ad eam assequendam perveniri possit. Nam sicut spes pro obiecto habet beatitudinem et media, quae ad eam obtinendam perducunt; ita desperatio, quae est actus directe spei contrarius, utrumque complectitur. Idque duplici ratione contingere potest, aut propter existimatam impossibilitatem, ut loquitur s. Thomas, adipiscendi (4), spectatis peccatorum propriorum multitudine et excessu, iuxta illud Cain: *Maior est iniquitas mea, quam ut veniam merear* (5), aut fugae peccati mandatorumque divinorum observationis exaggerata difficultate et arduitate (6).

(4) I, 2, q. 40, art. 4 ad 3.

(5) Gen. IV, 13.

(6) Cum agatur de re admodum sole-

148. Peccatum hoc grave esse ex genere suo, nemo dubitat: siquidem desperatio per se mala est, et prohibita praecepto spei, includitque odium et tristitiam contrariam actibus spei. Omni enim virtuti, ad quam spectat amare, desiderare et gaudere, possunt secundum actus hos omnes assignari contrarii actus, cum eadem sit contrariorum ratio. Quocirca amori concupiscentiae contrarium est odium, quo Deum a se avertat, ita ut nolit in illo suam constituere felicitatem. Itaque, cum materia virtutis theologicae de se sit gravissima, patet, grave esse illud peccatum, quod illi adversatur. Imo gravius est peccatis, quae contraria sunt virtutibus moralibus, ob maiorem nobilitatem virtutis spei, licet minus grave sit peccatis, quae directe contraria sunt caritati, ob eandem rationem (1). Respectu autem infidelitatis censet s. Thomas, gravius esse peccatum infidelitatis peccato desperationis, licet ex parte nostra sit perniciosior desperatio, ac magis irremediabilis (2).

149. Causae demum desperationis duae praesertim recensentur; luxuria scilicet et acedia. Luxuriae enim deditus ita venereis oblectationibus abripitur, ut coelestia bona prae illis nihili ducat. Cum vero resipiscere velit, desperat de libidinis victoria, ac proinde de beatitudinis assecutione. Acedia autem, quae est fastidium, languor et taedium, in exercitio virtutis, efficit, ut qui ea laborat, virtutis exercitio valedicat, utpote nimis difficili, ita ut bonum sperandum ceu impossibile reputet. Quum vero possibilitas beatitudinis obtinendae sit de essentia spei, exinde sequitur, per eiusmodi dispositionem illam plane destrui (3).

150. Restat propterea, ut utrique causae occurratur per contrariam affectionem; atque luxuriae opponatur castitatis amor, cui a Christo promissa beatitudo est per illa verba: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (4). Acediae vero opponatur studium rerum coelestium, in quarum comparatione terrena omnia in nihilum computantur; et sic acuatur desiderium illas assequendi per diligentem bonorum operum, virtutumque excusso torpore, acquisitionem, prout fideles admonet b. Petrus apostolorum princeps: *Fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis* (5); et apostolus Paulus: *Sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes, spe gaudentes* (6).

151. Solet hic a nonnullis inquiri, utrum ille, cui facta esset revelatio de propria damnatione, posset adhuc et teneretur suam sperare bea-

beosa, iuverit animadvertere, haud esse confundendum iudicium speculativum intellectus de impossibilitate vel obtinendae salutis, vel mediorum ad eam assequendam, cum desperatione formali. Nam formalis desperatio non est ipsum iudicium, sed est fuga quaedam appetitus ab illo bono prosequendo, quod iudicatum est impossibile, vel nunquam obtinendum. Unde fieri posset, existente illo iudicio, voluntatem non desperare, quia non necessitatur a iudicio; ut, licet quis iudicaret, se non fore salvandum, posset nihilominus dicere: *Quod possum facere faciam*. Et quamvis ille in temerario illo iudicio peccaret etiam contra spem, propter periculum desperationis, cui se exponit; tamen formaliter non desperaret. Verumtamen eiusmodi iudicia abigenda constanter sunt, ne quis absorbeatur desperationis barathro, quod omnium teterrimum est. Cf. Suarez, disp. 3, sect. 2, n. 1 et 2.

(1) Cf. Suarez, n. 3 et 4.
(2) Cf. II. 2, q. 20, art. 3.
(3) Ita s. Thomas loc. cit. art. 4.
(4) Matth. V, 8.
(5) II. Petr. I, 10.
(6) Rom. XII, 11, 12.

tiendinem spe theologica. In qua hypothesi prolixam solent adtexere disputationem (1).

152. Ast cum s. Thomas eiusmodi hypothesim, saltem de potentia ordinaria, existimet impossibilem in sensu absoluto, sed solum possibilem in sensu comminatorio et conditionato, ob graves quas affert rationes, cum repugnet, considerata simul Dei bonitate et sapientia (2); ideo plane inutile censeo in illa diutius versari. Ut enim cetera praeteream, non videtur divinae consentaneum bonitati, sapientiae et providentiae hominem viatorem in eo statu constituere, in quo non possit conari ad suum ultimum finem consequendum, ac posset licite velle suam damnationem per conformitatem voluntati divinae; quod est horribile dictu (3).

153. Ceterum non debet confundi desperationis peccatum, quod gravius est suo opposito, nempe praesumptione, cum illis angustiis, quibus interdum etiam viri iusti affliguntur propter incertitudinem propriae salutis. Videntur enim isti, Deo ita permittente, sic premi, ut veluti in desperationis barathrum urgeantur, cum tamen vere spei anchoram non dimittant. Ut plurimum isti in mortis suae hora tranquilli esse ac sereni solent, solatium a Deo accipientes.

Art. II. *De praesumptione.*

154. Eundem ordinem consectantes, quem in praecedenti articulo de desperatione tenuimus, aliquid dicemus de praesumptionis notione, de eiusdem gravitate et causis.

155. Praesumptionis vox potest in bonum ac malum sensum accipi. In primo sensu denotat excellentem quandam fiduciam, ut Iudith VI, 15: *Non derelinquis praesumentes de te;* et iterum IX, 17: *Exaudi me miseram deprecantem, et de tua misericordia praesumentem.* In altero sensu longe frequentiori significat inordinatum modum circa bona supernaturalia, ac definiri consuevit: Futilis et temeraria expectatio beatitudinis et mediorum illius assequendae, seu: Inordinata fiducia beatitudinem a Deo obtinendi aliter, quam ipse statuerit; cuiusmodi est haereticorum protestantium, qui autumant, salutem obtineri per solam fidem sine operibus, vel per solas naturae vires: quae fuit praesumptio pelagianorum.

156. Praesumptionem esse pravam atque virtuti spei ac praecepto contrariam, constat ex verbis Eccli. XVIII, 10: *Vidit praesumptionem cordis eorum quoniam mala est, et cognovit subversionem illorum quoniam nequam est.* Deus enim iubet nos sperare iuxta ordinem a se constitutum ad vitam aeternam obtinendam. Quod vero praesumptio mortale peccatum sit et gravissimum in genere suo, ex eo patet, quod gravi praecepto adversetur ac perfectissimae virtuti, magnumque afferat detrimentum. Imo s. Thomas docet, esse peccatum in Spiritum sanctum, quia directe ponit impedimentum gratiae Spiritus sancti (4). Addit vero, esse minus peccatum desperatione; quia desperatio est magis directe contra divinam misericordiam, quae est maxime Deo na-

(1) Cf. Card. Gotti, cap. 2, *De subiecto spei*, dub. 4, § 1, 2, 3.

(2) Q. 20 *De verit.* art. 8 ad 2.

(3) Suarez, l. c., n. 6, seq. Si quis tamen eiusmodi oblectaretur quaestione, consulere poterit Collet in tract. *De spe*, sect. 2, ubi ipse fuse theologos utriusque sententiae, sive negantis, sive affirmantis, adstipulatores recenset una cum respectivis fundamentis.

(4) II, 2, q. 21, art. 1.

turalis et propria; praesumptio magis contra iustitiam (1). Ceterum recte scripsit s. Augustinus: *Ista duo occidunt animas, aut desperatio, aut perversa spes* (2).

157. Duae assignantur a s. Thoma causae praesumptionis, superbia et inanis gloria. Qui id evincit, scribens: *Duplex est praesumptio: una quidem, quae innititur propriae virtuti, attentans scilicet aliquid ut sibi possibile, quod propriam virtutem excedit. Et talis praesumptio manifeste ex inani gloria procedit; ex hoc enim, quod aliquis multam desiderat gloriam, sequitur, quod attentet aliquid super vires suas; et huiusmodi praecipue sunt nova, quae maiorem admirationem habent. Et ideo signanter Gregorius praesumptionem novitatum posuit filiam inanis gloriae* (3). *Alia vero est praesumptio, quae innititur inordinate divinae misericordiae vel potentiae, per quam quis sperat se obtinere gloriam sine meritis, vel veniam sine poenitentia. Et talis praesumptio videtur oriri directe ex superbia, ac si ipse tanti se aestimet, ut etiam eum peccantem Deus non puniat, aut a gloria excludat* (4).

158. Et sane non minima perversitas eorum est, qui cum diu peccatis omnigenis indulserint, tam facilem sperant futuram veniam, ac tam certam eam sibi pollicentur, perinde ac si nihil peccassent. Hoc enim est contra debitum ordinem spei, nec nisi ex vana sui existimatione oriri potest. Licet vero ex fragilitate interdum delinquere ob spem veniae non sit praesumptio, imo aliquantulum exinde peccatum minuatur: inde tamen occasionem perseverandi in peccato sumere, quoddam est praesumptionis genus (5).

159. Ut igitur tanto quis obsistat malo, quod non solum spei, sed et timori Domini adversatur (6), et ideo multis causa ruinae fit; advocare debet humilitatem in suum subsidium, tum humilitatis comitem profundam inscrutabilium Dei iudiciorum meditationem ac divinae iustitiae, qua saepe contingit, ut eiusmodi praesumptuosi sublati sint, qua hora non sperabant, nec spatium poenitentiae, quod sibi inaniter promittebant, sint adepti. Deus siquidem non irridetur, ac, dum se exorabilem praebet cum quis sua peccata detestans tempestive a malis suis viis convertitur, sic iusto iudicio de se nimium praesumentes punit (7). Ac proinde inter spem ac

(1) Ibid. art. 2.

(2) Serm. 87 de verbis Evang. Matth. cap. 8, n. 10, ed. Maur.

(3) Porro animadvertas, priorem hanc praesumptionem illam esse, quae magnanimitati opponitur, et oritur ex inani gloria, iuxta Gregorium lib. 31 *Moral.* c. 31, vel 17 a medio, ubi Origenes diversorum peccatorum ostendit. Vide Valentia, quaest. 4, disp. secunda gener. *De spe.*

(4) II, 2, q. 21, art. 4.

(5) Cf. Suarez, loc. cit.

(6) Cf. Valent. loc. cit. ubi ostendit ex s. Thoma magis spei, quam timori praesumptionem oppoui: illi *specifice*, isti *generice*.

(7) Facere non possum, quin carpam quemdam spiritum nonnullorum, qui hac nostra aetate scelestissimos homines civilis reipublicae non minus quam religionis christianae seu Ecclesiae catholicae hostes vaferrimos, sub excommunicationis poena detentos, quam publice contempserunt, ac iusto Dei iudicio, aut repentino morbo, aut subita morte perculsos, exhibent veluti mortuos in osculo Domini ob nonnulla incerta resipiscentiae signa, quae ipsi praebuerint; imo et interdum etiam sine illis signis vita functos absque sacramentis, absque retractatione ulla errorum gravissimorum, quos publicis editis libris disseminarunt; tamen ob possibilem internam resipiscentiam, perinde ac si certo adepti fuerint salutem, praedicant. Idque viri etiam pii ac religiosi quandoque in vulgus spargere non verentur, ac, si opus fuerit, apparitiones

timorem, quamdiu in hac mortali vita sumus, nobis incedendum est, ut tuti esse possimus in re tanti momenti, quanti est adeptio aeternae gloriae aut sempiternus interitus.

falsasque revelationes adiiciunt ad haec ipsa suadenda imo et persuadenda, dum communibus peccatoribus vix non omnem salutis spem adimunt. Hi non advertunt, se hac ratione scandala serere, vim omnem minis ac terroribus a Deo intentatis in eiusmodi perditos homines penitus tollere, quibus plena sunt Scripturarum oracula, et a Sanctorum principiis abscedere. Sane Christus Matth. 7, 14, inquit: *Quam angusta porta et arcta via est, quae ducit ad vitam, et pauci sunt, qui inveniunt eam!* Et B. Petrus I, cap. 4, 18: *Et si iustus vix salvabitur, impius, et peccator ubi parebunt?* ac demum, ceteris omissis, psal. 111, 10: *Desiderium peccatorum peribit.* Cf. s. Gregorium M. lib. 18 *Moral.* cap. 10, et seqq.

PARS TERTIA

DE CARITATE

1. Virtutum omnium praestantissimam esse caritatem, nemo est qui ambigat, sive in se spectetur sive in suis effectibus. Eius enim excellentia vel ex eo deprehenditur, quod Deus ipse caritas est, atque ea est, quae hominem Christo coniungit ac Deo adhaerere facit: ea est, vestis illa nuptialis, quae christianum hominem coelesti convivio dignum efficit et ex cive Babylonis civem reddit Hierusalem coelestis: quaeque eum docet illa, quae vera sunt, bona quaerere; quae levia ac suavia efficit ea quae gravia et aspera videntur, prout passim inculcat s. Augustinus, quem vere dixeris nobilissimae huius virtutis peculiarem doctorem ac praeconem (1).

2. De hac igitur excellentissima virtute acturi, duce praecipue angelico doctore (2), praemissa eiusdem notione ac divisione, in eius obiectum sive materiale, ut vocant, sive formale inquiremus; deinde vero de eadem, prout habitualis est virtus et prout actualis est, disseremus; de ipsius necessitate ac praecepto; ac demum de peccatis seu vitiis, quae eidem opponuntur, sermonem instituemus. Ea tamen lege haec omnia praestabimus, ut, quae certa sunt, propugnemus, in iis autem, quae in contentionem veniunt, verisimiliorem magisque receptam doctrinam constanter complectamur tueamurque.

CAPUT I.

DE CARITATIS IN SE SPECTATAE NOMINE AC NOTIONE

3. Quatuor potissimum nominibus virtus haec designari consue-

(1) Libet nonnulla ex s. Augustino in huius virtutis commendationem saltem speciminis ergo excerpere: « Haec (inquit) in adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat; in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris; in tentatione tutissima, in hospitalitate latissima; inter veros fratres laetissima, inter falsos patientissima. In Abel per sacrificium grata, in Noë per diluvium secura, in Abrahae peregrinationibus fidelissima, in Moyse inter iniurias lenissima, in David tribulationibus mansuetissima. In tribus pueris blandos ignes innocenter expectat; in Machabaeis saevos ignes fortiter tolerat. Casta in Susanna erga virum, in Anna post virum, in Maria praeter virum. Libera in Paulo ad arguendum; humilis in Petro ad obediendum; humana in christianis ad confitendum, divina in Christo ad ignoscendum. Serm. 350, 3.

(2) II, 2, q. 22 ad 30.

vii, *amoris* scilicet, *dilectionis*, *caritatis et amicitiae ;* quae licet promiscue vulgo accipiantur, attamen aliquo modo inter se differre, adnotat s. Thomas. Etenim *amor*, qui est appetitus boni, latissime patet ad quoscumque motus, quibus tam sensitivus quam rationalis appetitus in aliquid tendit. *Dilectio* tendentiam quidem, sed cum electione, indicat : ex quo fit ut non possit esse nisi rationalis appetitus, ac propterea solius rationalis naturae. *Caritas* addit supra amorem perfectionem quamdam amoris, quatenus quod amatur, magni pretii aestimatur, et carum habetur (1). *Amicitia* denique amoris vicissitudinem inter duos vel plures, nec non bonorum aliquorum communicationem involvit (2).

4. Pressiori vero magisque recepta significatione caritas *amor divinus* nuncupatur, qui tripliciter esse seu intelligi potest. Amor enim divinus 1° est amor gratiae, quo Deus creaturas suas rationales praecipue prosequitur et curat ; 2° est amor benevolentiae, quo Deum creatura rationalis diligit ut supremum ac perfectissimum bonum ; 3° est amor amicitiae quo Deus rationalem creaturam, et creatura rationalis Deum mutuo prosequuntur. Cum de prima agatur in tractatu *de gratia*, nihil proinde in praesentiarum de ea attinet dicere. Superest igitur, ut de caritate, in secunda ac tertia significatione accepta, cum suis subdivisionibus hic disseramus.

5. Sed ut iam ad eiusdem virtutis definitionem, quatenus generatim accipitur, tum de actuali tum de habituali, aliquid dicamus, eam diversimode definire consuevit s. Augustinus : modo eam *voluntatem bonam*, modo *cupiditatem boni*, modo *amorem recti* nuncupat. Disertius autem eam definit, scribens : *Caritatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, et se atque proximo propter Deum* (3) ; aut etiam : *Nexum, quo homines invicem sibi et Deo connectuntur* (4). S. Thomas caritatem dicit *Amicitiam quamdam ad Deum, quae quidem super amorem addit mutuam redamationem cum quadam communicatione mutua* (5). Ab aliis dicitur *Virtus, qua, pia fiducia sperantes, nos in Dei filios esse adoptatos, eum amamus, amplectimur et invocamus ut patrem nostrum, dicentes : Abba* (*Pater*). Alias eiusmodi definitiones seu potius notiones caritatis praetermittimus, quae cum allatis congruunt. Ad dialecticae autem leges revocata sic ex communi theologorum consensu definiri solet, ut in sequenti propositione enunciamus.

PROPOSITIO

Caritas est virtus theologica divinitus infusa, qua Deum diligimus propter seipsum, nos vero et proximum propter Deum.

6. Singulas huius definitionis partes expendentes, deprehendemus, non solum quomodocumque eius naturam, verum etiam obiectum et motivum, quibus a reliquis virtutibus caritas secernitur, per eam significari.

(1) Exinde fit, ut nonnulli habita ratione istius etymologiae contendant, *caritatem* potius quam *charitatem* scribendum esse ; contra vero alii qui eam repetunt a graeca voce χάρις, *charitatem* scribere malunt. Quidquid porro de hoc sit, de quo inanis est contentio, cum videamus, promiscue et a veteribus et a recentioribus utroque modo conscribi, nos eadem libertate utemur.

(2) II, 2, q. 26, art. 3.

(3) *De Doctrin. christ.* lib. 3, cap. 10, n. 16.

(4) Lib. *Acquitat. in Iob* in cap. 38, v. 30.

(5) I, 2, q. 65, art. 5.

7. Ac I. dicitur *virtus*, cuius proprium est hominem perficere, et quidem excellentiori ratione, cum hominem absolute bonum atque omnis saltem gravis noxae expertem efficiat. Ut enim scribit s. Augustinus, *illa sola extinguit delicta* (1).

8. II. *Theologica*, in quo caritas cum fide et spe convenit, quae Deum pro obiecto immediato habent, ita tamen ut illa his longe praestet. Etenim, prout his verbis ostendit s. Thomas, *fides et spes attingunt quidem Deum, secundum quod ex ipso provenit nobis vel cognitio veri vel adeptio boni; sed caritas attingit ipsum Deum, ut in ipso sistat, non ut ex eo aliquid nobis proveniat. Et ideo caritas est excellentior fide et spe* (2). Fides praeterea involvit obscuritatem, spes arduitatem, caritas vero fruitionem.

9. III. *Infusa* a Deo dicitur, quia nullis nostris viribus eam nobis comparare possumus, sed ex Deo est, quatenus ipsam in corda nostra diffundit.

10. IV. *Qua Deum diligimus propter seipsum:* quibus verbis veram caritatis notionem et vim designamus. Nec enim omnis Dei amor est caritas, quum exploratum sit, latius patere amorem quam caritatem. Itaque ille solus amor caritatis nomine insignitur, quo Deum propter semetipsum seu propter infinitam suam bonitatem diligimus. atque per hoc amor caritatis seu benevolentiae formaliter differt ab amore spei seu concupiscentiae, uti tum ex dictis constat in superiori tractatus parte, tum ex inferius dicendis magis patefiet.

11. V. Additur: *Nos et proximum propter Deum;* quibus alterum obiectum tum materiale tum formale eiusdem virtutis exprimitur.

(1) Tract. I in Epist. I s. Ioan. n. 6.

12. Et haec quidem vix innuisse sufficiat ad datae definitionis explanationem. Nam tum amplior expositio tum singularum eius partium vindiciae argumentum constituent dicendorum in tractationis decursu.

CAPUT II.

DE OBIECTO VIRTUTIS CARITATIS

13. Duplex distinguitur virtutis caritatis obiectum, *materiale*, quod vocant ac *formale*. Materiale illud dicitur circa quod virtus versatur; formale est ratio seu motivum, quo obiectum materiale prosequimur. Ex utriusque complexu essentia seu natura eiusdem virtutis constituitur. Quum vero unumquodque istorum obiectorum peculiari indigeat tractatione, suisque pulsetur difficultatibus, hinc maioris perspicuitatis gratia alterum ab altero discernimus, seorsum de unoquoque duobus articulis disserendo. Quandoquidem autem materiale obiectum primo concipiatur in composito, cui deinde forma accedit, ab hoc idcirco exordiamur.

ART. I. *De obiecto materiali caritatis.*

14. Duplex, prout in ceteris fere virtutibus contingit, in caritate theologi materiale obiectum agnoscunt, scilicet principale seu primarium, ac minus principale seu secundarium, ex quorum coalitione tamquam ex partibus adaequatum seu plenum obiectum ipsius virtutis exsurgit. Quaenam porro eiusmodi obiecta sint, ex insequenti propositione constabit.

(2) II, 2, q. 23, art. 6. Cf. etiam I, 2, q. 66, art. 6.

PROPOSITIO

Obiectum materiale caritatis primarium est Deus, secundarium nos ipsi et proximus.

15. Sane quoad primam partem, illud primarium seu principale caritatis obiectum est, ad quod caritas primario terminatur. Iam vero talis est Deus, qui ita diligendus proponitur propter seipsum, ut cetera nonnisi propter ipsum et in ordine ad ipsum diligere debeamus. Quo spectat primum illud ac maximum mandatum, quod Christus illis verbis proposuit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua* (1). Illud praeterea primarium caritatis obiectum censendum est, quod est in se bonum summum, imo et per essentiam ipsum est formale bonum: quod profecto non est nisi solus Deus (2).

16. Alteram vero partem sic pariter adstruimus. A Christo iubemur proximum diligere sicut nosmetipsos, iuxta illud: *Diliges proximum tuum sicut teipsum* (3). Porro si amor quo diligimus proximum exigi debet, tamquam ad regulam ac normam, ad amorem, quo nos ipsos diligimus; evidens est, nos teneri ad diligendos nos ipsos, seu quod idem est, nos alterum esse caritatis partiale obiectum; non primarium, quod ex dictis solus est Deus; ergo secundarium.

17. Tertia pars ex modo allato Christi oraculo patet, quo proximi dilectio perhibetur tamquam secundum mandatum ac simile primo diligendi Deum. Hinc I. Io. IV, 12 dicitur: *Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, et caritas eius in nobis perfecta est.* Ratio autem est, quia proximus est quid Dei, particeps beatitudinis seu bonitatis eius. Ad perfectam vero amicitiam spectat non solum diligere eum, cum quo primario et per se amicitia contrahitur, sed etiam ratione illius ea, quae ad ipsum spectant, ut amicos, filios etc. (4).

18. Latissime autem patet eiusmodi secundarium obiectum; siquidem complectitur omnem rationalem creaturam, quae beatitudinis capax est, ut docet s. Augustinus (5). Ac proinde sub proximi nomine veniunt etiam angeli (6), imo et Christus ipse prout homo est, iuxta nonnullos theologos, utpote eiusdem nobiscum naturae, et consors eiusdem beatitudinis (7). Attamen, nisi latiori quodam sensu id intelligatur, admitti non posse videtur. Etenim distingui debet inter modum, quo proximus, et modum, quo res aliae sunt obiectum caritatis. Erga proximum habemus caritatem, ita ut cum ipso amicitiae amore iungamur; sed aliae res eatenus sunt obiectum caritatis, ut res tamquam bonum illius, quem caritate diligimus, magni faciamus et augeri cupiamus. Porro Christus ut homo non potest esse obiectum secundarium priori modo, seu ut proximus est, quia amicitia habetur cum

(1) Luc. X, 27, collat. Matth. XXII, 37.
(2) Cf. s. Thom. II, 2, q. 25, art. 1.
(3) Matth. XXII, 39.
(4) Cf. Suarez, *De car.* sect. 1, n. 2.
(5) Lib. 1 *De Doctr. christ.* cap. 25, 26 et 30.
(6) Quod expresse docet s. Augustinus loc. cit. tum cap. 25, scribens n. 22: « Ea sola, *sunt diligenda*, quae aut nobiscum societate quadam referuntur in Deum, sicuti est homo vel angelus; » et iterum cap. 30, n. 33, ubi id data opera propugnat. Cf. etiam s. Th. q. 25, art. 10.
(7) Quo sensu intelligunt, quod scribit s. Augustinus loc. cit.: « Nam et seipsum significat Dominus Iesus Christus oppilatum esse semivivo incenti in via afflicto et relicto a latrombus.

persona, non erga naturam vel bona. Iam vero Christi persona divina est. Ergo Christus ratione humanitatis non potest esse obiectum caritatis nisi latiori sensu, ut corpus et alia proximi. Idcirco etiam ut homo Christus est obiectum caritatis primarium, si de vera caritate, id est, amicit a sermo est.

19. Nec solum quoad animam, verum etiam quoad corpus, homo obiectum materiale caritatis est. Nam corpus etiam bonorum supernaturalium capax est. Est praeterea pars proximi ex caritate amati, utpote instrumentum bonorum operum. Cum diversa tamen ratione beatitudinis capax sit homo ratione animae ac ratione corporis; nempe ratione animae primario, secundario vero ratione corporis; exinde fit, ut diverso modo sit homo amabilis ratione animae ac ratione corporis: scilicet anima amari debet per se, corpus in ordine ad animam. Quapropter aliter diligitur corpus ex caritate, aliter sensuali amore seu cupiditate. Iusti quidem qui ex caritate et in ordine ad supernaturalia bona corpus suum diligunt, illud affligunt atque rationi subiiciunt; mali autem, qui corpus suum ob sensualem diligunt amorem, illud fovent; in quo finem etiam suum ultimum constituunt.

20. Haec omnia complexus est s. Augustinus, dum scripsit: *Modus ergo diligendi praecipiendus est homini, id est, quomodo se diligat, ut prosit sibi. Quin autem se diligat et prodesse sibi velit, dubitare dementis est. Praecipiendum etiam, quomodo corpus suum diligat, ut ei ordinate prudentèrque consulat. Nam quod diligat etiam corpus suum idque salvum habere atque integrum velit aeque manifestum est. Aliquid itaque amplius diligere aliquis potest quam salutem atque integritatem corporis sui. Nam multi et dolores et amissiones nonnullorum membrorum voluntarias suscepisse inveiuntur, sed ut alia quae amplius diligebant, consequerentur... Finis itaque praecepti est dilectio, et ea gemina, id est, Dei et proximi. Quod si te totum intelligas, id est, animam et corpus tuum, et proximum totum, id est, animam et corpus eius (homo enim ex anima et corpore constat) nullum rerum diligendarum genus in his duobus praeceptis praetermissum est. Cum enim praecurrat dilectio Dei, eiusque dilectionis modus praescriptus appareat, ita ut cetera in illum confluant: de dilectione tua nihil dictum videtur. Sed cum dictum est: Diliges proximum tuum tamquam teipsum, simul et tui abs te dilectio non praetermissa est* (1).

21. Quod si vel ipsum corpus potest esse suo modo obiectum caritatis, multo magis id erunt bona supernaturalia, quae propterea optare et persequi tum sibi tum proximo, aeternam scilicet prosequi beatitudinem ac media ad ipsam perveniendi, actus est caritatis, dummodo tamen propter Deum eiusque gloriam eliciatur. Nam si propter proprium commodum aut alienum, seu, ut exinde bonum sibi aut aliis proveniat, diligatur, iam erit amor concupiscentiae, non autem amor caritatis (2). Ex his omnibus habe-

(1) Lib. cit. cap. 26, n. 26, 27.

(2) Cf. Suarez, loc. cit. Uterque tamen amor, ut ipse ibidem adnotat, potest simul consistere, sed diverso modo; nam si quis amet suam iustitiam et caritatem, etc., non primario et propter se, seu per se et proprium suum commodum, sed propter Deum et eius gloriam, est amor caritatis; si vero primario suam caritatem respiciat, est amor concupiscentiae.

tur materiale caritatis plenum et adaequatum obiectum, prout ab initio innuimus.

Difficultates.

22. I. Obi. Adversus secundam propositionis partem (siquidem nemo primam partem oppugnat). 1° Amor sui ipsius admitti nequit quoad corpus, quod potius odisse debemus; sed neque quoad animam, quum arguat Paulus II. Tim. III, 2 *seipsos amantes*. 2° insuper ex s. Gregorio M. hom. 17 in Evang.: *Nemo proprie ad semetipsum caritatem habere dicitur*. Adeoque non minus quam inter duos concipi neque potest perinde ac amicitia, quae communionem quamdam bonorum in suo conceptu involvit. Caritas porro amicitia est. Ergo.

23. Resp. ad 1. *N*. Sed debemus ordinato amore utrumque diligere, uti ostendimus. Itaque corpus odisse debemus non ut naturam, sed ut hostem, cum nos illecebris suis ad illicitas cupiditates allicere nititur. Quo sensu Sancti *carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* (1). Hoc corporis odium gignitur ex amore virtutis aeternaeque salutis: sic animam propter Deum amare tenemur. Arguit vero apostolus seipsos inordinate amantes, cuiusmodi erant haeretici, de quibus in obiecto loco loquitur (2).

(1) Gal. V, 24.

(2) II. Tim. III, 1, 2, ubi his verbis haereticos depingit: *In novissimis diebus instabunt tempora periculosa: erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, etc.* Cf. Estium in hunc loc.

(3) Cf. s. Thom. II, 2, q. 25. art. 4, qui hoc ipsum, quod affirmavit Suarezius sic exponit: « Dupliciter possumus de caritate loqui. Uno modo sub communi ratione amicitiae; et secundum hoc dicendum est, quod amicitia proprie non habetur ad seipsum, sed aliquid maius amicitia; quia amicitia unionem quamdam importat... Unicuique autem ad seipsum est unitas, quae est potior unione ad alium... Alio modo possumus loqui de caritate secundum propriam rationem ipsius, prout scilicet est amicitia hominis ad Deum principaliter, et ex consequenti ad ea, quae sunt Dei; inter quae etiam est ipse homo, qui caritatem habet: et sic inter cetera, quae ex caritate diligit quasi ad Deum pertinentia, etiam seipsum ex caritate diligit.

(4) Sap. XIV, 9.

(5) Ps. 118, 113.

(6) Ps. 138, 22.

24. Ad 2. *D*. Caritas prout sumitur pro amicitia presse sumpta, haberi nequit nisi inter duos, *C*.; latiori sensu accepta, *N*. Ut enim animadvertit Suarez, divina amicitia per se primo tendit in Deum, et inde reflectitur in amantem; et propterea hic amor est caritatis et amicitiae, etiamsi sit amor sui. Amor siquidem qui nascitur ex amore Dei ad caritatem spectat (3). S. Gregorius vero docet caritatem in alterum tendere, prout habet rationem propriam amicitiae et versatur circa primum obiectum, cum quo haec amicitia contrahitur et cum quo habet unionem et bonorum communicationem, quae reciproca est, ac propterea duos saltem se amantes supponit. Quin imo amor, quo quis diligit seipsum fortior est eo quo quis diligit alterum a se distinctum: habet enim unitatem; contra vero amor quo quis alterum prosequitur non habet nisi unionem. Hinc amor sui est regula ac norma ceteros diligendi.

25. II. Obi. Adversus tertiam partem: Non possumus nec debemus diligere quos odit Deus, et cum ipso etiam iusti odio habent. Nam de Deo legitur: *Odio sunt Deo impius et impietas eius* (4); de iustis vero: *Iniquos odio habui* (5); item: *Perfecto odio oderam illos* (6). Atqui tales sunt peccatores. Ergo hos

saltem diligere non possumus; 2° alioquin vel ipsos damnandos, 3° imo et damnatos diligere deberemus, quod est absurdum.

26. Resp. ad 1. *D.* sub ea ratione, qua Deus et cum ipso iusti peccatores odio habent, *C.*; sub alia ratione, *N.* Iam vero Deus ac propterea iusti in peccatoribus oderunt culpam, seu iniquitatem et peccatum, non autem naturam. Hanc enim, quamdiu capax est bonorum spiritualium, caritatis amore prosequi debemus. Tales autem sunt peccatores, quamdiu viatores sunt, cum semper Dei ope resilire a malo seu peccato possint. Quin etiam ex caritate ipsorum conversioni, quantum in nobis est, cooperari tenemur eamque promovere.

27. Ad 2. *D.* In abstracto, *Tr.*; in concreto, *N.* Nam cum, seposita speciali revelatione, scire nequeamus, qui futuri sint reprobi vel electi, ideo neminem sub hoc respectu a caritate excludere possumus. In abstracto vero seu in communi certe reprobos futuros amare nequimus, quum Dei decreto obsistere nequeamus de damnandis praevisis reprobis. Id unum ex caritate erga istos optare et efficere possumus, ut minoribus paucioribusque se culpis onerent, ut mitior sit eorum damnatio (1).

28. Ad 3. *N.* Deest enim in ipsis caritatis fundamentum et ratio, quia incapaces in perpetuum sunt participationis bonorum spiritualium ac divinae bonitatis.

Art. II.

De obiecto formali caritatis.

29. Illud dicitur generatim obiectum formale rei cuiuscumque, quo obiectum materiale constituitur in genere earum rerum, quas virtus seu potentia aliqua ex natura sua respicit (ut color dicitur obiectum formale coloris; ergo, si agitur de voluntate, est id, quo movetur voluntas (motivum). Sicut vero omnis potentia, ita quaevis virtus ab alia per obiectum formale distinguitur; nam ut actus, sic potentia ex obiecto, quod respiciunt, speciem sortiuntur. Hinc receptum est, ut promiscue voces, *obiectum formale et motivum*, usurpentur.

30. In substrata caritatis materia, de qua agitur, obiectum eiusdem formale est ratio, qua caritas in suo esse constituitur, et motiva diligendi Deum et proximum, quae, ut vidimus, constituunt obiectum adaequatum materiale eiusdem virtutis.

31. Igitur hic inquiritur 1°, quidnam sit motivum, seu ratio, quae proprie caritatem in suo esse constituat distinguatque specie ab alia quavis virtute; inquiritur 2° praeterea, utrum eadem specie caritas sit, qua Deus et proximus diliguntur.

32. Circa primum haud exigua sub saeculi elapsi finem controversia excitata est, ex quo Vincentius Bolgeni dissertationem italica lingua vulgavit de caritate (2), qua contendit, verum obiectum formale seu motivum caritatis theologicae, qua ante actualem sacramentorum susceptionem iustificamur, esse Deum prout est bonum nostrum, non autem prout est bonum in se; adeoque caritatem theologicam consistere in amore concupiscentiae, minime vero in amore benevolentiae, ut hactenus in scholis traditum fue-

(1) Cf. Suarez, sect. 7, n. 4, cum s. Thom. I. p. q. 115, art. 4.

(2) *Della carità o amor di Dio.* Roma 1788, vol. 2 in-8, quibus adnici debet volum. tertium: *Schiarimenti dati da Gio. Vincenzo Bolgeni in confermazione e difesa della sua dissertazione sopra la carità o amor di Dio.* Foligno, 1790.

rat. Adversus hanc sententiam tanquam in novitatem perniciosam insurrexerunt strenui adversarii can. Muzzarelli, qui varia hac de re scripta edidit (1), nec non Ioachimus Cortes (2), Ant. Ioseph Regonè (3), Theophilus Christiani (4), aliique.

33. Nos a communi ac recepta longe lateque doctrina in ecclesia catholica ne latum quidem unguem abscedere religioni ducimus, ideoque avitam doctrinam circa formale caritatis obiectum sic tuemur.

PROPOSITIO I.

Obiectum formale caritatis est divina bonitas absoluta et propter se amabilis, lumine supernaturali cognoscibilis.

34. Ideo statuimus, obiectum formale caritatis esse divinam bonitatem absolutam, quia bonitas duplici sub respectu spectari potest: tum nempe quatenus est attributum distinctum ab aliis, tum quatenus prae se fert rationem absolutae perfectionis in omni genere excellentiae seu absolutam excellentiam in omni genere perfectionis. Hoc solum posteriori sensu bonitas est ratio formalis caritatis propria et specialis atque adaequata, utpote sufficiens ad explendam capacitatem et appetitum humanae voluntatis. In priori autem significatione non prae se fert nisi summam perfectionem in operando, ac propterea non est adaequata ratio dilectionis Dei, nec ratio adaequata beatificans hominem.

35. Dicimus insuper, obiectum formale caritatis esse eiusmodi bonitatem *propter se amabilem*, ut proprium eius motivum distingueremus ab aliis motivis, quibus permoveri possumus ad Deum diligendum, quatenus bonum nostrum est, et ob beneficia ab ipso in quovis ordine nobis aut collata aut conferenda; unde amor enascitur, qui amoris *concupiscentiae* nomine designatur.

36. Cum tamen in absoluta Dei bonitate attributa omnia contineantur, atque idcirco contineatur quoque ratio omnium beneficiorum atque bonorum, quae Deus creaturis suis elargitur: hinc patet, hoc uno contineri cetera motiva omnia, creationem puta, redemptionem, providentiam, iustificationem ac beatitudinem ipsam, ob quae Deus merito diligitur. Attamen ea, quatenus caritate comprehenduntur, non sub proprio et distincto, sed sub unico communique divinae bonitatis respectu spectantur.

37. Demum adiecimus: *Lumine supernaturali cognoscibilis*, quia alioquin non esset caritas virtus supernaturalis in fide fundata, siquidem diligere Deum propter eius bonitatem lumine naturali cognitam, foret amor naturalis, non autem caritas theologica. Hisce explanatis, sic pergimus veritatem assertae theseos vindicare.

38. Illud censendum est obiectum formale caritatis, et quidem primarium, quod sacrae litterae exhibent, patres praedicant, concilia ac vulgati catechismi tradunt, unanimis scholae consensus adstruit, ac demum ratio ipsa theologica patefacit confirmatque. Atqui talis est bonitas Dei absoluta. Ergo. Singulas porro huius minoris partes breviter evincamus oportet.

39. Ac 1° sacras litteras eiusmodi

(1) Praesertim opusc. *Del motivo formale dell' atto di carità*. Foligno 1791, ed. 2.

(2) *Antibolgeniana*, dissert. *De amore Dei*. Forolivii 1790.

(3) *Rimostranze amichevoli*. Venezia, 1791.

(4) *Lettere teologico-critiche*. Fermo, 1791.

absolutam divinam bonitatem uti obiectum formale caritatis exhibere, patet ex verbis, quibus Moyses proposuit primum ac maximum mandatum, populo suo dicens: *Audi, Israël, Dominus Deus noster, Dominus unus est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua* (1). Quibus verbis complexus ipse profecto est validius motivum ad diligendum Deum, perfectissimam scilicet ac simplicissimam Dei essentiam (2). Quae verba, ideoque motivum ipsum Christus passim inculcavit (3). Quod si Moyses deinde adiicit paulo post: *Ut bene sit tibi* (4), id unum ex eo sequitur, ipsum aliud praeterea motivum adiecisse ad alliciendos israëlitas ad summum Dei amorem prout duo haec motiva coniunxit David passim in Psalmis, uti cum dicit: *Confitemini Domino; quoniam bonus* (5), nempe et in se et quoad nos; et alibi: *Clamabo ad Deum altissimum; Deum, qui benefecit mihi* (6); et iterum: *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum* (7); quem locum Bellarminus sic explanat: *Declarat apertius, quid sit desiderare Deum, et simul aperit, cur tantopere desiderandus sit Deus. Tria sunt, ut Chrysostomus annotavit, quae amorem, ac per hoc sitim et desiderium accendere solent: pulcritudo, beneficia et amor... Haec igitur tria in Deum convenire, David hoc loco docet, et ideo sitire se Deum, id est, amore et desiderio eius ardere se, dicit... Haec ergo sitis in rem tam bonam, tam beneficam, tam mei amantem, cogit ex toto corde dicere: Quando veniam et apparebo ante faciem Dei?*

40. Ex patribus unum vel alterum delibabimus. Instar omnium sit s. Augustinus, cuius celebris est caritatis definitio, quam duce s. Thoma scholastici omnes amplexi sunt, quamque nos superius retulimus ex lib. 3 de *Doctr. christ.* c. 10, n. 16: *Caritatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum.* Ubi animadvertendum sedulo est, verbum *fruendum* a s. doctore in sensu adhaesionis Deo adhibitum fuisse, iuxta notionem, quam eiusdem vocis iam praemiserat in eodem opere lib. 1, c. 4, scribens: *Frui est amore inhaerere alicui rei propter seipsam*, et alibi passim (8). Item s. Bernardus quatuor distinguens dilectionis genera, de tertio et quarto ita scribit: *Tertius* (modus) *spiritualis et filiorum, de quo: Confitemini Domino quoniam bonus; qui Domino confitetur, non solum quoniam bonus est, hic vere diligit Deum propter Deum, non propter se. Quartus intellectualis et angelorum, de quo: Mihi vivere Christus est, et mori lucrum* (9). Ex quibus novimus, perfectissimum amorem in eo consistere, ut Deus propter seipsum seu propter suam essentialem bonitatem diligatur. Re-

(1) Deut. VI, 4, 5.

(2) Vid. Bossuet, *Quatrième Ecrit*, ou *Mémoire sur les passages de l'Ecriture*, § 1, seqq. praecipue vero 18. *Oeuvres édit. de Versailles*, 1817, tom. 28, pag. 470. seqq.

(3) Matth. XXII, 37. Marc. XII, 29. Luc. X, 27.

(4) V. 18.

(5) Ps. 117, 1.

(6) Ps. 56, 3.

(7) Ps. 41, 3.

(8) Vid. *De catechiz. rudib.* cap. 28, n. 55, ubi scribit: « Ut simul collatis et diligatis Deum gratis: quia totum praemium nostrum ipse erit, ut in illo vita bonitateque et pulcritudine perfruamur. » Et lib. 2 *Conf.*, cap. 10: « Qui intrat in te, intrat in gaudium Domini sui; et non timebit, et habebit se optime in optimo. » Et ita alibi, praesertim in *Enarrationibus in psalmos*.

(9) Cf. Hugonem Victor. *Erudit. theol. miscell.* 2, lib. 4, tit. 99. Alios textus vide, ubi supra de spe. Vid. in op. *De diligendo Deo*, cap. 12, n. 35.

liquos missos facio, ut brevitati consulam; siquidem omnes hac in sententia unanimes sunt (1).

41. Describens porro concilium tridentinum dispositiones praerequisitas ad impiorum iustificationem sess. 6, cap. 6, asserit: *Illumque* (Deum) *tanquam omnis iustitiae fontem diligere incipiunt.* Iam vero Deus uti *iustitiae fons* est iustitia ipsa, seu ipsa bonitas et sanctitas. Quapropter diligere Deum uti iustitiae fontem est ex tridentinis patribus diligere Deum propter seipsum seu propter suam bonitatem et sanctitatem, nisi velis cum nonnullis *iustitiae* fontem Deum dici fortasse magis, quia nobis Deus est causa salutis, quam quia in se sanctus sit.

42. Tridentinae synodi germanam mentem ex communi aestimatione nobis aperit catechismus romanus iussu s. Pii V editus. Loquens autem de ordine, quo Dominus noster in oratione nos orare *docuit et imperavit*, haec habet: *Monet nos vera caritas, totum ut animum ac studium conferamus in Deum; qui quoniam solus est in se ipso summum bonum, iure est praecipuo quodam ac singulari amore diligendus* (2). Quibus verbis verum ac formale caritatis obiectum nobis exhibet catechismus, scilicet summam Dei et absolutam bonitatem. Exinde ei uta est instructio, quae addita est concilio romano, sub Benedicto XIII habito, in qua notio traditur contritionis perfectae, quae scilicet caritate illa informatur, quae ex solo Dei amore propter se dilecti concipitur (3). De ceteris catechismis praesertim vero card. Bellarmini non loquor, qui ne latum quidem unguem ab his discedunt.

43. Vix de scholasticorum consensione hac de re quidpiam addere opus foret, cum vel ipsi adversarii illam admittant, immo et idipsum eis crimini vertant. Inverit tamen unius vel alterius verba afferre. Omnium itaque princeps, angelicus doctor, qui ceterorum agmen ducit, conceptis verbis in Dei dilectione propter seipsum caritatis motivum constituit, scribens: *Dicendum, quod caritate diligitur Deus propter seipsum. Unde una sola ratio diligendi attenditur principaliter a caritate, scilicet divina bonitas, quae est eius substantia, secundum illud Psal. 105: Confitemini Domino quoniam bonus. Aliae autem rationes ad diligendum inducentes, vel debitum dilectionis facientes, sunt secundariae, et consequentes ex prima* (4). Haec veluti thesis est, cui perpetuo insistit, quin necesse sit eiusdem s. Doctoris plura congerere testimonia. Non possum tamen me cohibere ab afferendis pulcherrimis eius verbis, quibus ipse ordinem petitionum orationis Dominicae exponens, sic principale motivum caritatis a secundario distinguit: *In oratione autem Dominica non solum petuntur omnia, quae recte desiderare possumus, sed etiam eo ordine, quo desideranda sunt, ut sic haec oratio non solum instruat postulare, sed etiam sit in-*

(1) Cf. Muzzarelli *Del motivo formale*, prop. 1, ubi innumera prope sanctorum patrum testimonia in medium affert, quae eludi nulla ratione possunt.

(2) Part. 4, de prima petit. oration. Dominicae, n. 2.

(3) Ex verba instructionis: *Poenitens:* Qual è il dolore perfetto, che si dice contrizione? *Confess.* Il dolore perfetto, o sia la contrizione è un dolore perfezionato dalla carità, col quale per solo amor di Dio come sommo bene ci dispiace sopra ogni male aver commesso il peccato. » Atque in formula actus contritionis sic dicitur: « Mio Dio, perchè siete sommo, infinito, e perfettissimo bene, vi amo sopra ogni cosa, etc.

(4) II, 2, q. 25, art. 5 ad 2.

formativa totius nostri affectus. Manifestum est autem, quod primo cadit in desiderio nostro finis, deinde ea, quae sunt ad finem. Finis autem noster Deus est, in quem noster affectus tendit dupliciter: uno quidem modo, prout volumus gloriam Dei: alio modo secundum quod volumus frui gloria eius. Quorum primum pertinet ad dilectionem, qua Deum in se ipso diligimus; secundum vero pertinet ad dilectionem, qua diligimus nos in Deo. Et ideo prima petitio ponitur: Sanctificetur nomen tuum, per quam petimus gloriam Dei; secunda vero ponitur: Adveniat regnum tuum, per quam petimus ad gloriam regni eius pervenire (1).

44. Omitto s. Bonaventuram, s. Anselmum aliosque, qui in eandem sententiam conspirant (2), satisque mihi erit ex insequentibus scholasticis verba afferre eximii Suarezii, ita scribentis: *Primo constat, Deum sub ratione boni esse obiectum caritatis, quia caritas ad voluntatem spectat, et est amor. Constat secundo, Deum sub ratione summi boni propter se amabilis, esse obiectum caritatis... Ratio est, quia in hoc differt caritas et ab omni alia dilectione boni creati, et a dilectione ipsius Dei, quae est concupiscentiae vel spei: nam haec diligit Deum ut summum bonum diligentis; caritas autem diligit Deum propter se* (3).

45. Igitur de divinorum eloquiorum, de patrum conciliorumque doctrina hac super re, nec non catechismorum, scholasticorum ac theologorum ambigi nullo modo potest. Ratio vero theologica desumitur ex eo, quod praestantissimae virtutis, cuiusmodi caritas est, praestantissimum debeat esse obiectum. Porro nullum aliud praestantius obiectum excogitari aut fingi potest quam infinita Dei bonitas propter se solum dilecta, utpote per se sola rapiens totum affectum nostrum.

Difficultates.

46. I. Obi. 1. Bonitas, quae nullam ad nos relationem habeat, erit quidem admirationis et existimationis obiectum, neutiquam vero caritatis aut amicitiae. Porro talis est amor benevolentiae nuncupatus. 2. Sane s. Thomas, *Dato*, inquit, *per impossibile, quod Deus non esset summum hominis bonum, non esset ei ratio diligendi* (4). 3. Nunquam sive Scriptura sive patres aut concilia mentionem iniiciunt istius benevolentiae amoris, quod certo non omisissent, si, ut adversarii contendunt, esset de praecepto. 4. Hinc Hugo a s. Victore, *Deus*, scribit, *idcirco propter seipsum diligendus est, quia ipse est bonum nostrum... Illum diligimus, ut ad ipsum veniamus, et in ipso gaudeamus... Quid est Deum diligere propter seipsum? Ideo diligere, ut habeas ipsum* (5). Et paulo post: *Sed forte mercenarius eris, si diligis Deum et servis ei, ut praemium ab illo accipias. Dicunt hoc stulti quidam, et tam stulti ut se ipsos non intelligant... Diligimus, inquiunt, ipsum, sed non quaerimus ipsum. Hoc est dicere: Diligimus ipsum, sed non curamus de ipso. Ego homo sic diligi nollem a*

(1) II, 2, q. 83, art. 9. Cf. in hanc ipsam orat. Dominicam Segneri *Manna dell'anima*, octobr. die 20 ad petitionem: *Sanctificetur nomen tuum.*

(2) S. Bonav. in 3. D. 17, art. 1 ad 4, argum. s. Anselmi *De casu Diaboli*, cap. 4, et *De concordia*, q. 3, cap. 1. Cf. Muzzarelli loc. cit.

(3) Tract. *De carit.* sect. 2, ubi quaerit, *sub qua ratione formali Deus est obiectum caritatis.*

(4) II, 2, q. 26, art. 13 ad 3.

(5) *De sacram.* lib. 2, part. 13, c. 6.

vobis (1). 5. Nec alia mens exstitit s. Thomae, dum ait: *Caritas non est qualiscumque amor Dei, sed amor quo diligitur ut beatitudinis obiectum* (2). Ergo.

47. Resp. ad 1. *Neg. min.* Hoc enim ipso, quod Deus diligatur ut bonum summum in se, necessario relationem habet ad nos, qui de hoc bono participamus, *eique inhaerens est.* Ac propterea negamus etiam suppositum maioris propositionis, cum insitum nobis sit non solum admirari ac aestimare, verum etiam ferri in boni plenitudinem, cuiusmodi Deus est (3). Insuper impossibilis esset amor boni in se, si positive *excluderetur*, quod esset bonum nostrum. At, dum Deus diligitur propter se, non ideo excluditur, quod Deus hoc ipso sit etiam summum hominis bonum; imo neque ab hoc positive praescinditur, sed solum debito ordine directe Deus diligitur ut bonum infinitum, ac propterea principium et finis omnium; ideoque hoc ipso cognoscitur et diligitur indirecte ut bonum nostrum. Quae quidem paulo infra in solutione aliarum difficultatum uberius explicantur.

48. Ad 2. *D.* Si per impossibile Deus non esset hominis bonum, *non esset ei ratio diligendi* se et proximum ordinate, *C.*; Deum ipsum, *N.* Nam in hoc articulo s. doctor agit de ordine caritatis in patria, statuitque, ibi permanere ordinem caritatis naturalem erga se ac erga ceteros, quoad *intensionem*, non autem quoad *comparationem* ad Deum qui magis diligit meliores pro ratione anteactorum meritorum. Ex quo concludit, quod si per impossibile Deus non esset summum hominis bonum, quod debet omnibus praeferri, non esset ratio cum hac differentia graduum magis alios prae se et propinquis diligendi. Hic videtur germanus sensus angelici praeceptoris in hoc articulo, in quo nec verbum habet de obiecto formali caritatis (4).

49. Ad 3. *Neg.* vel *D.* Scripturae et patres mentionem nusquam iniiciunt amoris *benevolentiae*, quoad materialem vocem, prout non meminerunt amoris *concupiscentiae* seu spei, *C.*; quoad rem in se spectatam, *N.* Omnes enim probationes, quas adduximus, praeter eas, quae adduci possent, contrarium plane evincunt.

50. Ad 4. *D.* Hugo Victorinus docet, Deum esse diligendum propter seipsum, *quia ipse est bonum nostrum* quod nempe tale est utpote summa et absoluta bonitas in se ipso, *C.*; ut est bonum communicabile et communicatum nobis tantum, *N.* Ipsemet non obscure id ipsum exprimit, scribens ibidem, nempe c. 6: *Ita dilige Dominum Deum tuum, quia dulcedo est ipse et bonitas et veritas*, scilicet essen-

(1) Ibid. cap. 8.

(2) 1, 2, q. 65, art. 5 ad 1.

(3) Cf. s. Thom. II, 2, q. 26, art. 3, qui praeterea in respons. ad 3, haec in rem nostram praeclare scribit: « Hoc, quod aliquis velit frui Deo, pertinet ad amorem, quo Deus amatur amore concupiscentiae. Magis autem amamus Deum amore amicitiae, quam amore concupiscentiae; quia maius est in se bonum Dei, quam bonum, quod participare possumus fruendo ipso. Et ideo simpliciter homo magis diligit Deum ex caritate quam seipsum.

(4) Cf. Caiet. in hunc loc. qui sic mentem s. Doctoris exponit: « Verba illa, non esset ei ratio diligendi, sic explicanda videntur: Non esset ei ordo diligendi, ita ut ratio ibi non significet motivum vel causam, sed ordinem. » Accedit, amicitiam consistere, in communicatione bonorum, seu saltem eam involvere, ideoque fundamentum amicitiae deficeret, si Deus nobis non communicaret se ac bona sua, ut exponit Moussoulié in tract. *Amoris Dei.*

tialis et sub ratione boni communis, ideoque infiniti; non autem, ut est veluti coarctatum ad bonum particulare nostrum, quod finitum est. Hinc recte affirmat, nos etiam debere Deum diligere, ut eum habeamus et possideamus eoque fruamur: ast non inficiatur, imo vero supponit, obiectum praecipuum cuiusmodi est Deus in se ipso ac per se summe amabilis utpote bonitas absoluta.

51. In altero autem textu obiecto ex c. 8, Hugo perstringit pseudo-mysticos illos, quos et nos in altera huius tractationis parte refellimus, qui ab amore Dei excludebant Dei possessionem ut bonum nostrum sub obtentu cuiusdam imperfectionis. Ideo ex eorum persona adiecit: *Diligimus ipsum sed non quaerimus ipsum*, ne forte mercenarii viderentur (1).

52. Ad 5. *D.* Ex s. Thoma non omnis amor quo Deus diligitur aut diligi potest, est amor caritatis seu theologicus, *C.*; amor caritatis ille solus est, quo Deus diligitur ut beatitudo nostra, *N.* Propositum sancto doctori hoc in articulo est ostendere, non posse haberi veram caritatem supernaturalem sine fide et spe. Siquidem per solam fidem Deum cognoscimus uti obiectum beatitudinis nostrae seu Deum in se visum, ex quo profluit illa mutua communicatio, quae ad amicitiam constituendam requiritur, cum caritas quaedam amicitia sit. Alioquin non haberetur nisi amor naturalis, qui etiam sine fide et spe haberi potest (2).

(1) Cf. Muzzarelli op. cit. pag. 158, seqq., ubi aperta eiusdem Hugonis profert testimonia, quibus communis sententia adstruitur, omnisque tollitur aequivocatio. Nobis satis sit ex multis eiusmodi testimoniis illud afferre quod habetur *De Sacram.* lib. 2, par. 15, cap. 6: « Diliges Dominum Deum tuum, quia dulcedo est ipse, et bonitas et veritas...

53. *Inst.* Si Deus, prout in se est, seu pro· est summa bonitas, esset obiectum caritatis, sequeretur, non distingui inter se amorem naturalem et amorem supernaturalem seu caritatis; nam bonitas Dei absoluta est obiectum commune utrique amori, cum amor Dei naturalis etiam feratur in Deum, prout summa et absoluta bonitas est: quod est erroneum. Nam in Baio a summis Pontificibus Pio V et Gregorio XIII conficta est propositio 34: *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturae, et gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est et commentitia.* Ergo.

54. Resp. *Neg.* sequelam; ad prob. *D.* Bonitas Dei absoluta est obiectum utrique amori commune, sed sub diverso respectu, *C.*; sub eodem respectu, *N.* Nam homo fertur in Deum ex naturali inclinatione, ut est quoddam bonum naturae summe amabile; ac proinde dicitur et est amor naturalis actus ille, quo homo sic in Deum tamquam auctorem naturae fertur. Verum huic naturae inclinationi alia superioris ordinis additur per caritatem, qua fit, ut actus, quo homo in Deum tendit, sit supernaturalis ac naturae superveniens. Sane Deus seu bonitas eius absoluta non est obiectum amoris et caritatis, nisi quatenus a nobis cognitione et amore attingi potest, et quatenus ipse se nobis communicat, siquidem agatur de amore amicitiae. Atqui in ordine supernaturali ipsa

Dilige ergo Deum quia bonitas est. Dilige proximum tuum quia et bonitate bonus est, vel si bonus non est, ut sit bonus, qui bonus esse potest. Ergo motivum dilectionis exhibetur ab Hugone dulcedo Dei in se, bonitas et veritas summa. Recole, quae paulo ante attulimus ex eodem doctore.

(2) Hic non agit de obiecto primario aut secundario beatitudinis. Cf. I, 2, q. 5, art. 1.

divina bonitas modo multo excellentiori ac perfectiori attingitur et se speciali et longe altiori modo nobis communicat. Hinc s. Thomas docet, speciale obiectum caritatis esse bonum divinum, ut est beatitudinis obiectum (1). Merito propterea confixa est illa Baii propositio, qua uterque ordo confunditur ac proinde utrumque, caritatis et amoris naturalis, obiectum (2).

55. II. Obi. 1° Amor benevolentiae nuncupatus, seu quo Deus diligitur propter seipsum seu absque relatione ad nos, est chimericus; siquidem benevolentia ex s. Thoma non est amor. 2° Est praeposterus; nam fieri nequit, ut homo praescindat ab amore sui. Admitti propterea non potest, quin ipsa hominis natura destruatur, quae necessario tendit in bonum tamquam obiectum suum, et quidem adipiscendum. 3° Est absurdus, cum caritas feratur in Deum ut ultimum finem nostrum et quaerendum uti communicabilem per visionem et fruitionem Dei. In adversariorum autem hypothesi ad perfectae caritatis actum eliciendum deberet homo praescindere ab hoc suo ultimo fine. 4° Opponitur Dei voluntati, qui vult, ut ipsum amemus ut fontem bonorum omnium et principium totius nostrae felicitatis. 5. Amor caritatis continetur sub genere amoris latissime sumpti. Porro de ratione amoris est ut feratur in bonum proprium amantis, seu quod sit bonum respectu amantis. Nemo enim fertur in bonum non suum, cum bonum sit appetibile, prout est proprium uniuscuiusque. 6° Ex intentione naturae et iuxta intentionem divinam fundamentum dilectionis mutuae et amicitiae, cuiusmodi est caritas, est indigentia mutua, et eo maior, quo dilectionem et amicitiam oportet esse maiorem. Hoc autem subsistere non posset, si motivum caritatis et amicitiae non esset vis benefica amati erga amantem. Caritas igitur habet pro motivo Deum, quatenus est beneficus respectu nostri, non autem praecise, quatenus est summum bonum sibi (3).

56. Resp. ad 1. *N. A.*; ad prob. *D.* Benevolentia ex s. Thoma non est amor Dei in se et per se spectata, *C.*; in unione affectus, qui cum ipsa coniungitur, *N.* Etenim ex s. doctore: *In dilectione, secundum quod est actus caritatis, includitur quidem benevolentiae, sed dilectio sive amor addit unionem affectus* (4). Ideoque verus est admittendus benevolentiae seu amicitiae amor, prout ab amore concupiscentiae distinguitur. Hinc idem angelicus praeceptor in insequenti articulo constituit, Deum *esse propter seipsum ex caritate diligendum.*

57. Ad 2. *N. A.*; imo ordinatissimus eiusmodi amor est. Ad prob. Fieri nequit, ut homo praescindat ab amore sui, *D.* Et ad benevolentiae seu amicitiae amorem opus est ut aut sui amor excludatur, aut ab eo praescindatur, *N.*; opus est, ut hic amor *ordinetur*, *C.* Itaque amor benevolentiae seu caritatis, et amor concupiscentiae seu spei idem obiectum habent, scilicet bonitatem Dei, sed sub diverso respectu spectatam. Amor benevolentiae fertur in bonitatem, ut in ea sistat, tamquam per se amabilem et delectabilem in amato, amor concupiscentiae fertur in bonitatem ut promittentem bona amanti. Ceterum haec bonitas nonnisi ratione, ob diversum speciale motivum caritatis et

(1) II, 2, q. 23, art. 4.
(2) Cf. Suarez, c. n. 4.

(3) Ita Bolgen. in cit. opere: *La carità o amor di Dio.*
(4) II, 2, q. 27, art. 2.

spei distinguitur. Caritas complacet sibi et gaudet praecipue vi amoris de bono quod amato inest tanquam suo; spes expectat ab amato bona quae ipsi insunt, per quamdam communicationem (1). Hac ratione ita duplex utriusque virtutis formale obiectum distinguitur et ordinatur, ut spei formale obiectum referatur ad Deum ut determinatum ac devinctum promissione sua ad benefaciendum nobis; caritas vero ad eundem ut habentem in se plenitudinem totius bonitatis (2). Ac proinde nobilius praestantiusque est obiectum formale caritatis quam spei: illud est fons, istud est recipiens. Cum igitur per caritatem gaudeat de bono Dei tanquam suo, patet, haud necesse esse, ut praescindat ab amore sui. Accedit, caritatem nunquam a spe seiungi, ac proinde utrumque amorem benevolentiae et concupiscentiae coniungi (3).

58. Ad 3. *N. A.* Ad prob. *D.* Caritas fertur in Deum ut ultimum finem nostrum, quatenus plenitudo suae bonitatis sufficiens est ad nos beatificandum, *C.*; quatenus est determinatus per promissionem suam ad nos beatificandum, *N.* Cum vero prioritate ordinis seu rationis prius sit summum bonum in se, quam boni eiusdem communicatio ad explendum satiandumque rationalem appetitum aliorum, in quo consistit ratio ultimi finis, seu sufficientia ad beatificandum; fit, ut Deus in se sit obiectum formale caritatis prioritate ordinis ac rationis, deinde vero obiectum concupiscentiae relate ad nos vi suarum promissionum ac desiderii boni nostri. Et sic evanescit commentitia absurditas, quod amore benevolentiae praescindere debeamus ab ultimo fine nostro.

59. Ad 4. *N.* Ad prob. *D.* Id est Deus ad alliciendos nos ad amorem sui, nobis ab initio proposuit bonum nostrum, ut sic postea ex amore spei progrediamur ad amorem perfectum caritatis, *C.*; nobis exclusive proponit bonum nostrum, ut in ipso sistamus, *N.* Spes procedit ab amore imperfecto, ut per ipsum ad perfectum progrediamur caritatis amorem, quo gloriam suam bono nostro praeferamus. Itaque Deus diligitur per spem, ut Deus vult diligi a nobis, dum inchoamus eius dilectionem; quod non obstat, quominus etiam diligatur per caritatem, ut vult diligi a nobis in progressu, et dum deveniatur ad complementum perfectionis caritatis (4).

(1) Quod praeclare Esparza de Artisdo declarat per similitudinem servi et domini, scribens: « Hoc modo inter se comparantur dominus et servus temporalis; dominus enim fertur in servum, volendo sibi eius obsequium et utilitatem ex eius actionibus redundantem. Servus similiter fertur in dominum, volendo sibi ex eo victum, stipendium et protectionem; et neuter respicit ad excellentiam alterius, nisi quatenus potentis sib prodesse. Amici e contra inter se comparantur, ut alteruter velit alteri bonum, quod sibi inest respectu alterius; et illud ipsum, quod convenit alteri respectu sui amplectitur, quatenus perfectivum alterius, estque paratus ex vi sui amoris ad gaudendum de bono alterius; tametsi nihil inde sibi resultaret praeter amorem et gaudium de eius bonis. » In op. *Quaestiones de virtut. theolog.* Romae 1653, q. 38.

(2) Notandum est, quod ad distinctionem realem virtutum inter se sufficiat distinctio rationis ex parte motivi formalis. Cf. Esparza loc. cit.

(3) S. Thom. II, 2, q. 17, art. 6: « Potest aliquis alicui inhaerere dupliciter: uno modo propter seipsum; alio modo, in quantum ex eo in aliud devenitur. Caritas ergo facit hominem Deo inhaerere propter seipsum, mentem hominis uniens Deo per affectum amoris. Spes autem et fides faciunt hominem adhaerere Deo sicut cuidam principio, ex quo aliqua nobis proveniunt. » Cf. Suarez, disp. 1, sect. 2, n. 6.

(4) Cf. Suarez, op. et loc. cit.

60. Ad 5. Data veritate constituti principii; ad argumentum, *D*. De ratione amoris est ut feratur in bonum proprium amantis, seu ut a se possidendum, *N*.; in bonum proprium sibi conveniens ex intrinseca delectabilitate, quae inest ipsi obiecto amato, *C*. Duplici sensu dici potest bonum aliquod proprium alicuius; tum nempe in ordine ad eius possessionem, qua quis aliquod obiectum facit suum per proprietatem, quam ut dominus exinde acquirit, seu ab extrinseco: tum in ordine ad delectationem quam percipit ex proprietate potestatis seu aptitudinis, quam idem obiectum habet ad delectandum, et proprietate proportionis in ratione honesti, iucundi et utilis, seu ab intrinseco. Summo autem bono convenit et quidem in summo gradu honesta diligibilitas ratione sui et potestas summe delectandi diligentem se, ipsa dilectione sui. Hoc autem posteriori sensu dicitur homo vi amoris tendere in bonum proprium (1).

61. Ad 6. *D. Mai*. Ex intentione naturae et iuxta institutionem divinam fundamentum dilectionis naturae est indigentia simul et excellentia in creaturis rationabilibus, *C*.; solum indigentia, *N*. Utraque ratione Deus creaturas rationales sibi devincit, ac devincit inter se; ratione quidem indigentiae, quatenus creatura rationalis non sufficit sibi, ac propterea in Deo solo potest hanc explere: quod fit amore concupiscentiae. Altero vero modo easdem sibi devincit ratione excellentiae suae, quae in summo gradu ipsi inest, quae vim habet alliciendi et vinciendi sibi creaturas rationales per sui considerationem et affectum: et hoc fit amore caritatis perfectae seu amore benevolentiae, quae de hac ipsa summa et infinita perfectione summopere gaudet et sibi complacet.

62. Post haec essent discutienda, quae ex angelico doctore praeterea ab adversariis obiiciuntur magno numero. Verum hoc nobis videretur tempus inutiliter terere, cum exploratum sit, constanter s. Thomam contrariam omnino tenuisse doctrinam ab ea, quam ipsi adversarii

(1) Ad horum maiorem declarationem notandum est, in genere illud bonum dici, quod convenit. Quod exponit, et clarissime evincit Suarez in tomo 1 *Metaphysicae*, disp. 10, sect. 1, tractatus *De bono seu de bonitate transcendentali*, n. 2, scribens: « Bonum et appetibile in re idem sunt, quamvis his nominibus non idem respectus significetur; nam appetibile dicit perfectam denotationem ab appetitu, vel respectum ad illum; bonum autem non id dicit formaliter, sed id, quod ex parte obiecti est fundamentum talis denominationis seu habitudinis, propter quod haec causalis vera est, quod bonum est appetibile. Sed omnis res appetitur propter convenientiam, quam habet cum appetente... Amat enim unusquisque, quod conveniens est. Ergo ratio boni in hac ratione convenientiae consistit. » Qui iterum *De anima*, lib. 3, c. 2, § 7, sic ad rem nostram praeclare scribit: « Impossibile est appeti, quod non respiciat bonum proprium ipsius appetentis, vel illud includat aliquo modo... Etenim, quod appetimus, vel est bonum proprium vel alterius. Si proprium, habetur institutum. Alterius autem bonum non appetimus, nisi vel quia in actu appetendi rationem aliquam boni proprii invenimus, vel certe quia, cui tale bonum appetimus, aliquo modo ad nos pertinet, sive unus nobiscum est aliqualiter. Nam aut creatura est, aut Creator; si Creator, eatenus illi bonum volumus, quatenus ipse Deus est universale bonum rerum omnium, atque adeo nostrum. Et hac de causa caritas magis Deum amat quam amantem, quia in Deo includitur bonum ipsius amantis tanquam in fonte atque origine. Si vero est creatura, volumus illi bonum, vel quia amicus est, vel quia propinquus, vel quia homo, in quo bonitatem nostrae naturae consideramus; quod si non sit creatura rationalis, bonum ei optamus, vel quia ad nos attinet, vel quia aliqualiter in natura est nobis similis.

obtrudere vellent, nec nisi per violentam interpretationem in contrarium sensum intorqueri possunt. Huius rei specimen sumi potest ex iis, quae nos hactenus attulimus et explanavimus (1).

PROPOSITIO II.

Una eademque specie virtus caritatis est, qua Deus propter se proximusque propter Deum diliguntur.

63. Praemittimus ex theologorum communi doctrina, actum perinde ac habitum alicuius virtutis desumere suam specificationem, quam dicunt, ab obiecto secundum rationem formalem ipsius (2). Quo posito, sic veritatem enunciatae propositionis per partes evincimus.

64. Ac 1. Quod una eaque eadem specie sit virtus caritas, qua Deum propter se et proximum propter Deum diligimus, ex eo patet, quod unum idemque formale sit obiectum seu motivum, propter quod tum Deum, tum proximum amore prosequimur: Deum quidem propter suam bonitatem, proximum vero propter eandem bonitatem, quae Deo inest. Nam idem est specie actus, qui fertur in rationem obiecti, et qui fertur in obiectum sub tali ratione; prout eadem est specie visio, qua videtur lumen, et qua videtur color (3). Iam vero ratio formalis diligendi proximum Deus est; siquidem hoc debemus in proximo diligere ut in Deo sit, ut nempe illi tanquam fini ultimo haereat, et proinde Deus ametur, laudetur et glorificetur propter infinitam eius bonitatem et perfectionem. Exinde patet, quod formalis ratio diligendi proximum sit infinita Dei bonitas in se et propter se amabilis. Hinc sola caritas, quae in Deo est, sufficienter movet ad amandum proximum, non spectata intrinseca eiusdem proximi bonitate: ut excellentia prototypi ratio est, qua honoretur imago eius (4).

65. Haec vero confirmantur ex eo, quod in sacris litteris et sanctis patribus inauditus sit alius amor infusus Dei et proximi, sed constanter unus idemque exhibetur amor, ut patet ex I. Io. IV, 12: *Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, et caritas eius in nobis perfecta est;* iterum v. 21: *Et hoc mandatum habemus a Deo, ut, qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.* Et s. Augustinus expresse dicit, quod, quando diligitur proximus, quia spiritualiter regeneratus est, ex caritate diligatur (5).

Difficultates.

66. I. Obi. 1° Bonitas, quae in Deo est, non facit bonum proximum: nulla igitur ratio est illum diligendi, cum nihil diligatur nisi bonum. 2° Proximus, qui intrinsece iustus est iustitia creata et supernaturali sibi inhaerente, est etiam obiectum amabile supernaturali dilectione,

(1) Quoniam Bolgeni in suis *Schiarimenti*, cap. 2, § 1—5, s. Thomae auctoritate abutitur, non piget ad confirmationem eorum, quae dicta sunt, ea afferre, quae habet I, 2, q. 26, art. 4, ubi docet, in tantum esse aliquid bonum et appetibile, in quantum est proportionatum bonum amantis. Horum causa inde sumitur, quia licet ratio boni non respiciat hunc vel illum, tamen ratio appetibilis ab hoc vel illo includit, quod bonum eius sit. Nam appetitus est inclinatio quaedam ad propriam perfectionem tendens; neque hoc destruit communem divisionem amoris in amicitiam seu benevolentiam et concupiscentiam. Vid. etiam art. 4.

(2) Cf. s. Thomam II, 2, q. 18, art. 4.

(3) Quae est similitudo qua utitur s. Thom. II, 2, q. 25, art. 1.

(4) Cf. Suarez, sect. 3, n. 1.

(5) Lib. 8 *De Trinit.* cap. 8, art. 12, ubi concludit s. Doctor: « Ex una igitur eademque caritate Deum proximumque diligimus; sed Deum propter Deum, nos autem et proximum propter Deum. »

cuius obiecti proxima ratio non est bonitas Dei increata, sed creata, quae inhaeret proximo. 3° Proximus praeterea secundum naturae ordinem est amabilis non solum immediate propter Deum, verum etiam propter morales virtutes intrinsecas, aut propter aliam perfectionem naturalem illi inhaerentem. Ergo simili modo est amabilis in ordine gratiae; 4° multo vero magis, si diligatur sub motivo honestatis supernaturalis, a quo motivo naturam suam sumit actus, quamvis in se, seu ontologice sit solum naturalis. Ergo.

67. Resp. ad 1. *D.* conseq. Nulla est ratio illum diligendi propter bonum, quod in se non habet, *C.*; propter bonum, quod habere possit, *N.* Ex hoc enim, quod proximus, qui hic et nunc malus est, seu non est in statu gratiae, et proinde caret *bono supernaturali*, quod caritatis est obiectum, non possit diligi propter bonitatem, quam in se non habet, sed solum propter bonitatem, quam consequi potest et cuius capax est, sequitur tantum debere diligi propter bonitatem extrinsecam seu propter finem, ob quem diligitur, ut scilicet bonitatem intrinsecam adipiscatur, qua ad Deum pervenire possit, ac proinde propter Deum ut causam finalem (1).

68. Ad 2. *D.* Proximus bonitate sibi inhaerente est amabilis, quatenus haec ipsa bonitas est participatio bonitatis Dei, quae in ipso elucet, *C.*; quatenus illa bonitas inhaerens a bonitate Dei seorsum spectatur, *Tr.* vel *N.* Transmisimus porro hanc maiorem, quia non desunt, qui sentiant, proximum esse obiectum formale caritatis ac propterea per se amabilem *etiam* ob bonitatem sibi inhaerentem (2). Verisimilior tamen sententia eaque inter theologos communis est, obiectum formale adaequatum caritatis non esse nisi bonitatem Dei, ad quam veluti ad fontem suum revocatur seu reducitur bonitas inhaerens proximo ac veluti fructus ad suam arborem. Ratio vero est, quia ad constituendam unicam specie virtutem requiritur unitas obiecti formalis seu unica ratio, ob quam virtus talis est et non alia (3). Caritas autem unica est ac unica est virtus, qua ob eandem bonitatem Deus diligitur et proximus.

69. Ad 3. *Neg.* paritatem; nam ratio amoris, quae fundatur in honestate vel bonitate naturali, est omnino diversa a ratione, qua proximus diligitur ob bonitatem et honestatem supernaturalem, in qua sola innititur amicitia, ac proinde caritas, quae a Deo est et in Deo. Quod si virtutes naturales elicerentur ex fine ad ordinem supernaturalem, tunc haberetur eadem ratio formalis caritatis complectens Deum et proximum (4).

(1) Cf. Suarez loc. cit. sect. 2, n. 2.

(2) Inter quos eximius Suarez loc. cit. n. 5, ubi statuit, quod proximus, qui intrinsece iustus est iustitia creata et supernaturali sibi inhaerente, sit etiam obiectum amabile supernaturali dilectione, cuius obiecti proxima ratio non est bonitas Dei increata, sed creata, quae inhaeret proximo. Idque ex eo evincit, quod hoc obiectum ratione huius bonitatis sit amabile. Cum vero illa proxima ratio amandi sit supernaturalis, infert, illum amorem proportionatum esse etiam supernaturalem.

(3) Quod vel ipse agnovit Suarez, qui post varia hinc inde disceptata concludit demum n. 7: « Opinio haec non est impossibilis, ut dixi; tamen verius est, omnem modum dilectionis proximi ad unam virtutem caritatis pertinere, quia in sacra Scriptura et patribus inauditus est alius amor infusus Dei et proximi. »

(4) Cf. Suarez loc. cit. Accedit, quod naturalis honestas amatur, si *amor naturalis sit perfectus*, propter Deum. Hic enim agitur de amore perfecto. Qui enim caritatem vult conferre cum amore na-

70. Ad 4. Responsio patet ex modo dictis.

71. II. Obi. 1. Eadem ratione, qua beati propter Deum amantur, coluntur pariter propter Deum; nemo tamen dicet, eundem specie esse cultum latriae, quo Deum colimus, et cultum, quo colimus sanctos. Idem proinde dicendum de caritate quae perinde ac cultus specie distinguitur. 2° Sic etiam dici nequit, idem esse principium et conclusionem, quae propter principium cognoscitur. Nec proinde eadem est ratio, quo diligimus Deum, et ea, qua propter Deum diligimus proximum. 3° Et sane quod diligimus ex caritate, diligimus super omnia; absonum porro est diligere proximum super omnia. 4° Quocirca, sicut distincta sunt praecepta amoris Dei et amoris proximi, ita distinctae dicendae sunt virtutes, quibus Deum proximumque diligimus. Ergo.

72. Resp. ad 1. *Neg.* paritatem; cum diversa sit ratio cultus et amoris. Siquidem cultus tribuitur in gradu maiori vel minori pro excellentia illius qui colitur et honoratur; amor vero, quo Deum et sanctos prosequimur, procedit ex eodem formali motivo caritatis, quod est Deus seu divina bonitas, propter quam sanctos diligimus (1).

73. Ad 2. *Neg.* iterum paritatem, eo quod non sit eadem in principio et conclusione ratio formalis cognoscendi, quemadmodum eadem est formalis ratio Deum proximumque diligendi.

74. Ad 3. *D.* Quod diligimus ex caritate, per se et ratione sui diligimus super omnia, *C.*; quod diligimus propter aliud ex caritatis ratione, *N.*

75. Ad 4. *D.* Sunt distincta praecepta amoris Dei et proximi materialiter, *C.*; formaliter, *N.* Nam ratio formalis eadem est, qua utrumque obiectum materiale primarium, quod est Deus, et secundarium, quod est proximus, diligere iubemur (2).

CAPUT III.

DE CARITATE ACTUALI, SEU DE ACTU CARITATIS PERFECTO ET IMPERFECTO PRAESERTIM RELATE AD IUSTIFICATIONEM

76. Hactenus de caritate egimus in se spectata, deque eius obiecto sive materiali, sive formali; iam praestat de ipsomet disserere actu diligentis seu exerentis ac elicientis actum caritatis.

77. Iam vero hac in inquisitione plures sese offerunt quaestiones excutiendae ac enodandae, tum circa actum, qui dirigitur in Deum, tum circa actum, qui dirigitur in proximum propter Deum. Nam licet Deus et proximus, uti ostendimus, sub unico caritatis obiecto formali comprehendantur, ac propterea caritas, qua eos diligimus, unam eandemque spe-

turali, cum perfecto amore naturali eam conferre debet.

(1) Ita s. Thomas, qui II, 2, q. 25, art. 1 ad 2 hanc ipsam, quam sibi proposuit, difficultatem ita solvit: « Amor respicit bonum in communi, sed honor respicit proprium bonum honorati; defertur autem alicui in testimonium propriae virtutis. Et ideo amor non diversificatur specie propter diversam quantitatem bonitatis diversorum, dummodo referatur ad aliquod unum bonum commune; sed honor diversificatur secundum propria bona singulorum. Unde eodem amore caritatis diligimus omnes proximos, in quantum referuntur ad unum bonum commune, quod est Deus. Ita diversos honores diversis deferimus secundum propriam virtutem singulorum; et similiter Deo singularem honorem latriae exhibemus propter eius singularem virtutem. Eadem repetit ibid. q. 81, art. 4 ad 3.

(2) Cf. Card. Gotti, *De caritate*, dub. 3, § 3.

cie ac numero constituat virtutem, attamen prouti sunt obiecta materialia, inter se distinguuntur. Sub hoc propterea posteriori respectu inquiritur, quinam debeat esse actus quo Deum caritate diligere debeamus, et quinam esse actus oporteat, quo nos et proximum amore prosequi teneamur, utpote obiectum secundarium caritatis distinctum ab obiecto primario, quod Deus solus est.

78. Quoad actum vero quo Deus diligendus est, expendendum est, quodnam essentiale constitutivum sit ut vere dici possit actus caritatis, atque statuendum est, in quonam actus perfectae et imperfectae caritatis inter se differant.

79. Quoad actus autem caritatis erga nos et proximum inquiri praeterea debet, an et quo ordine nos et ceteros amare obstringamur.

80. Sed cum satis copiosa disserendi exinde seges exurgat, ne ea obruamur, atque ut claritati prospiciamus, consilium nobis est hic tantum de actu caritatis erga Deum disserere. Nam quoad actum caritatis erga se et erga proximum, ne de eodem argumento iterum agere debeamus, cum de eo opportunior sese offerat dicendi ratio, cum de necessitate et praecepto caritatis ex instituto acturi sumus, idcirco nunc ab eo supersedemus.

81. Cum tamen non minima controversia inter theologos vigeat circa caritatis actualis erga Deum notiones, operae pretium duximus eas accurate exponere, ut dicendis lux affulgeat, et ita clarius res intelligatur.

Art. I.

Notiones praeviae circa rationem, qua inter se distinguuntur caritas actualis perfecta et caritas imperfecta.

82. Caritatem de qua disserimus, in perfectam ac imperfectam distingui, exploratum est apud omnes, atque ex constituendis etiam palam fiet. Non ita vero se res habet quum inquiruntur, unde repetenda sit eiusmodi distinctio: nam in plures sententias in hac disquisitione abeunt theologi catholici. Res per se parvi momenti videretur, si tota disceptatio hic sisteret; ast maxime interest ob consecutiones, quae exinde dimanant, atque ob connexionem, quam habet haec controversia cum contritione et attritione in ordine ad iustificationem sive cum, sive sine actuali sacramentorum baptismi et poenitentiae susceptione.

83. Hac de causa constitui in implexa hac quaestione exhibere ac veluti sub oculos ponere notiones, quoad eius fieri potuit, perspicuas tum acceptionum multiplicium caritatis actualis generatim, tum distinctionis specificae eiusdem actuum caritatis iuxta placita theologorum, ut indidem inferamus corollaria, quae sponte veluti sua efflorescunt.

84. Igitur caritas actualis, de qua disserimus, est virtus illa, qua supernaturali principio et fine Deum diligimus propter se, et proximum propter Deum.

85. Caritas haec generice sumpta in duas, ut innuimus, species distinguitur, videlicet in perfectam et in imperfectam.

86. Verum qua ratione dicitur perfecta et imperfecta, ratione naturae an vero ratione gradus? Rursum ratione naturae, distinguiturne ex motivo formali scilicet Dei vel propter se dilecti, vel Dei dilecti prout est finis ultimus, seu in commodum amantis? Ratione autem gradus, estne caritas inchoata ac incipiens ea, quae non assurgit usque ad dilectionem Dei super omnia, nec ne? Item caritas, quae perfecta quidem

sit ratione gradus super omnia, non autem ratione motivi, sufficitne per se sola ad iustificationem, nec ne? Quid insuper praeter naturam et gradum requiritur, ut caritas valeat ad iustificationem? Necessene est, ut intensior sit, aut sufficit etiam remissa seu absque intensitate? Quum vero in ipsa perfectione varii sint gradus, unde nam peti debet gradus maioris minorisve perfectionis in ipsa caritate perfecta? En totidem quaestiones, quas fuse pertractant scholae catholicae.

87. Breviter nos ab iis extricabimus, illis sententiis calculum adiicientes nostrum, quae communeiam suffragium pro se tulerunt.

88. Itaque 1° nos illam caritatem perfectam dicimus, quae talis sit et in sua natura et in suis gradibus: illam nempe, quae duas prae se ferat conditiones, ut concepta sit ex amore Dei *propter se* dilecti, et ut sit *super omnia*, quaeque *benevolentiae* nomine designatur. Imperfectam vero illam vocamus, quae, licet sit summa in suo gradu dilectionis Dei *super omnia*, tamen concipitur ex motivo proprii commodi seu in gratiam diligentis, quaeque vulgo *concupiscentiae et spei* dicitur. Cum vero motivum specificum distinguat virtutes, hinc consequitur, specie inter se distingui amorem benevolentiae et amorem concupiscentiae, seu caritatis et spei. Prior est caritas theologica, posterior autem non item.

89. Dicimus 2°, caritatem seu verius amorem, qui non assurgat usque ad diligendum Deum *super omnia*, etiamsi quis hunc actum eliciat ex motivo caritatis, illectus ad amandum ex ipsa consideratione bonitatis divinae, tamen absolute nec vere posse simpliciter caritatem esse aut nuncupari, cum sit amor iniuriosus Deo, ac repugnet essentiae caritatis, dum aliquid Deo praefertur, seu creatura Creatori.

90. Dicimus 3°, caritatem inchoatam et incipientem illam, quae etsi iam attigerit summum gradum amoris Dei *super omnia*, adhuc tamen infirma est ac debilis, ita ut facile ea amittatur, cuiusmodi fuit illa Petri, cum diceret: *Ego paratus sum tecum in carcerem et in mortem ire*, qui nihilominus ob ancillae timorem paulo post Christum negavit. Provecta autem caritas ac firma est, quae robur habet et adversus omnia contraria dimicat, ac omnia vincit et superat, cuiusmodi fuit illa Pauli, cum exclamaret: *Quis nos separabit a caritate Christi?* et prout factis ostendebat.

91. Dicimus 4° si res in *abstracto* spectetur, per illum amorem, qui concupiscentiae seu spei appellatur, etiamsi in supremo gradu reperiatur, non obtineri iustificationem sine sacramento, eo quod caritas simpliciter non sit, ut patet ex dictis, et nullas habeat promissiones. Porro si actualis caritas perfecta iustificat, id non habet ut causa efficiens et formalis, aut ut causa meritoria iustificationis, sed solum ut ultima dispositio, qua posita, Deus illam dat et gratiam infundit, qua homo ex peccatore iustus evadit, iuxta divinas promissiones. Quum vero soli amori spei promissiones istae factae non fuerint, mirum esse non debet, si res in abstracto spectetur, quod ille amor non producat per se solus et absque actuali sacramenti susceptione iustificationem. Dixi *in abstracto*; siquidem in concreto, censeo hoc in casu, ne in aeternum pereat ille, qui aliunde Deum *super omnia* diligit ac propterea de peccatis suis super omnia dolet, Deum ei non defuturum gratia sua, perficiendo caritatem.

92. Dicimus 5°, minime pendere caritatis perfectionem quoad eius essentiam ab affectus intensione sive maiori, sive minori. Nam figi nequit terminus intensionis eiusmodi, ultra quem progredi non possit; adeoque nunquam summus habetur. Difficile insuper est comparationem instituere inter maiorem et minorem gradum. Praeterea cum talis intensio magna saltem ex parte a sensu et a naturali constitutione pendeat potius quam a voluntate; hinc homo in perpetua fluctuatione et anxietate versari deberet, num habeat necne caritatem requisitam ad Deum perfecte diligendum, et proinde ad peccatorum remissionem assequendam. Restat igitur, ut cum angelico doctore affirmemus, satis esse ad veram essentialiter caritatem, *quod habitualiter aliquis totum cor suum ponat in Deo, ita scilicet, quod nihil cogitet vel velit, quod divinae dilectioni sit contrarium; quae caritatis perfectio communis est omnibus habentibus caritatem* (1). Ex quo infertur, hanc intensionem haud esse essentialem caritati, sed solum accidentalem, etsi maxime optabilem.

93. Dicimus 6°, in ipsa caritate perfecta varios gradus maioris perfectionis distingui; sic enim expresse docet s. Thomas, tres distinguens in ea gradus, scilicet incipientium, proficientium, et perfectorum. Incipientium caritas consistit in recessu a peccato, et resistentia concupiscentiae; proficientium vero in virtutum exercitatione, quibus roboratur caritas; perfectorum denique in studio adhaerendi Deo ac eo fruendi. Cum nempe dissolvi cupiunt et esse cum Christo (2). Quae quidem non in sensu, ut aiunt, exclusivo alterius gradus intelligenda esse, exponit idem s. doctor, scribens: *Dicendum quod perfecti etiam in caritate proficiunt. Sed non est ad hoc principalis eorum cura; sed iam eorum studium circa hoc maxime versatur, ut Deo inhaereant. Et quamvis etiam hoc quaerant incipientes et proficientes, tamen magis sentiunt circa alia suam sollicitudinem: incipientes quidem de vitatione peccatorum, proficientes vero de profecto virtutum* (3).

94. Dicimus 7°, quod attinet ad praxim et ad melius dignoscendos caritatis appretiativae gradus, hosce gradus iuxta nonnullos ita distingui: quod *primus* sit, cum Deus super omnia diligitur, quae obtineri aut retineri nequeunt sine gravi Dei offensa, ita ut Deum diligens malit bonis illis carere, quam contra voluntatem legemque divinam graviter obligantem illa obtinere aut retinere. Hic gradus cum excludat omnem affectum ad mortale peccatum, *sufficit* et *necessarius* est ad salutem. *Secundus* est, cum Deus propter se diligitur super omnia, ita ut homo paratus sit potius carere quolibet bono vel quodlibet pati malum, quam Deum leviter offendere. Hic gradus, quamvis necessarius sit ad *perfectionem christianam*, non est tamen necessarius ad *salutem*, cum non cadat sub praeceptum sub mortali nos obligans suo tempore, et venialia peccata etiam vitare possimus ex motivo aliarum virtutum. *Tertius est*, cum Deus ita propter se diligitur super omnia, ut non solum vitentur illi graviter aut leviter displicentia, sed etiam minus grata et accepta, et sic homo Deum diligens semper eligat id, quod iudicat esse gratius et acceptius Deo. Hic caritatis gradus est etiam *gra-*

(1) II, 2, q. 24, art. 8.
(2) II, 2, q. 24, art. 9. Item in 3, d. 2, q. art. 8, q. 2.
(3) Loc. cit. ad 3.

dus perfectionis summus, qui non cadit sub praeceptum, sed dumtaxat sub consilium (1).

95. Dicimus 8°, caritatem, prout actualis est, perinde ac amorem, maiorem minoremve posse haberi triplici ratione: nempe aut obiective aut appretiative, aut intensive. *Obiective*, siquidem tunc alius prae alio amari dicitur, cum maius bonum alteri prae altero optatur, ut si quis uni velit, optet aut imperium, aut regnum, alteri vero non nisi principatum. *Appretiative*, cum quispiam ob dotes, quae in eo aut sunt aut apprehenduntur, pluris aestimatur in comparatione alterius, qui minoris aestimatur eo ipso, quod eiusmodi dotibus non adeo fulgeat; quo in casu primus praediligitur, ita ut velit potius secundi quam primi amicitiam perdere. *Intensive* denique cum magis aliquis diligitur, cum intensiori affectu aut ferventiori in aliquem prae alio fertur magisque eius affectione percellitur (2).

96. Dicimus 9°, caritatis, seu potius amoris actum posse perfectum dici aut solum quoad suum formalè motivum, non item vero quoad suum gradum, cum non pertingat ad Deum super omnia diligendum omnibusque praeferendum; aut perfectum quidem haberi posse quoad gradum seu super omnia, non autem quoad suum motivum, utpote non elicitum ex formali motivo perfectae caritatis; aut demum perfectum esse pos-

(1) Horum graduum adumbratio habetur in Exercitiis spiritualibus s. Ignatii in 4 hebdomada in meditatione graduum humilitatis. Cf. Kilber *De carit.* cap. 1, art. 1, n. 279.

(2) Cf. hoc de argumento Ioan. Franc. de Rubeis in op. *De carit. virtute theol.* cap. 24.

(3) Vid. Cortes in *Antibolgeniana de amore Dei*, Foribvii 1790, n. 120, ubi insurgit adversus Bolgenii distinctionem de caritate perfecta in sua natura et imperfecta in suo gradu, et contra, cum haec se tum quoad suum motivum tum quoad gradum; atque hic actus est, qui simpliciter et absolute perfectae caritatis nomine appellari debet, ac vera est virtus theologica (3).

97. Ad praecavendas denique adversus saniorem catholicam doctrinam hac in re haud paucorum non recte sentientium insidias, qui passim s. Augustini ac s. Thomae auctoritate abutuntur, ut statuant, vitiosum esse quidquid ex caritate theologica sive habituali, sive actuali non profluit, nonnulla ex iisdem sanctis doctoribus praemittere censemus, ut vera eorum mens elucescat circa caritatis et amoris diversas acceptiones.

98. Itaque animadvertimus, iuxta s. Augustinum et s. Thomam caritatis nomine interdum imo passim non designari solam caritatem theologicam sive perfectam sive imperfectam, sed generatim etiam boni ac honesti amorem, sive moralis, sive supernaturalis sit. Quo sensu s. Augustinus scripsit: *Quasi aliud sit bona voluntas, quam caritas* (4), et alibi: *Quaelibet virtus*, inquit, *est ordo amoris* (5). Quae verba expendens s. Thomas haec habet: *Licet caritas sit amor, non tamen omnis amor est caritas. Cum ergo dicitur quod omnis virtus est ordo amoris, potest intelligi vel de amore communiter dicto, vel de amore caritatis. Si de amore communiter dicto, sic dicitur quaelibet virtus esse*

distinctio potius cadat super amorem, qui confundi non debet cum caritate theologica. Exploratum autem est ex doctrina s. Thomae II, 2, q. 27, art. 2, non omnem amorem esse caritatem; id ipsum repetit s. Doctor q. 17, art. 7, et alibi passim. Verumtamen Suarezius non omnino abnuit differentiam inter caritatem perfectam et imperfectam in sensu exposito. Unusquisque in suo sensu abundet. Vid. etiam De Rubeis in op. et loc. cit.

(4) Lib. *De grat. christ.* cap. 21.

(5) Lib. *De mor. eccles.* cap. 15.

ordo amoris, in quantum ad quamlibet cardinalium virtutum requiritur ordinata affectio: omnis autem affectionis radix et principium est amor. Si autem intelligitur de amore caritatis, non datur per hoc intelligi, quod quaelibet alia virtus essentialiter sit caritas, sed quod omnes aliae virtutes aliqualiter a caritate dependeant (1).

99. Eadem habet angelicus doctor, ut constat ex eius verbis alias relatis aut referendis (2): *Spes et omnis appetitivus motus ex amore derivatur, ut supra habitum est, cum de passionibus ageretur. Amor autem quidam est perfectus, quidam imperfectus: perfectus quidem amor est, quo aliquis secundum se amatur; utpote cui aliquis vult bonum, sicut homo amat amicum; imperfectus amor est, quo quis amat aliquid non secundum seipsum, sed ut aliud bonum sibi ipsi proveniat; sicut homo amat rem, quam concupiscit. Primus autem amor pertinet ad caritatem, quo inhaeres Deo secundum seipsum; sed spes pertinet ad secundum amorem; quia ille qui sperat, aliquid sibi obtinere intendit. Et ideo in via generationis spes prior est caritate* (3). Et iterum: *Amor sui tripliciter se potest habere ad caritatem: uno enim modo contrariatur caritati, secundum quod aliquis in amore proprii boni finem constituit: alio vero modo in caritate includitur, secundum quod homo se propter Deum et in Deo diligit: tertio modo a caritate quidem distinguitur, sed caritati non contrariatur, puta cum aliquis diligit seipsum secundum rationem proprii boni, ita tamen, quod in hoc proprio bono non constituat finem; sicut etiam et ad proximum potest esse aliqua alia specialis dilectio praeter dilectionem caritatis, quae fundatur in Deo.... proximus diligitur ratione commoditatis, consanguinitatis, vel alicuius alterius conditionis humanae, quae tamen referibilis sit ad caritatem* (4).

100. Quibus nihil exploratius, ut pateat, angelicum doctorem praeter caritatem proprie dictam aliam agnoscere late sumptam, scilicet amorem honestum et licitum. Quam quidem doctrinam ipse hausit ex sancto Augustino, qui integro sermone CCCXLIX distinguit et late exponit triplicem caritatem; scribit enim n. 1: *Caritas alia est divina, alia humana, alia est humana licita, alia illicita.* Deinde n. 2 prosequitur: *Ut ergo breviter insinuem; licita est humana caritas, qua uxor diligitur; illicita qua meretrix vel uxor aliena.... Licitam ergo caritatem habete: humana est, sed ut dixi, licita est. Non solum autem ita licita est, ut concedatur; sed ita licita, ut si defuerit reprehendatur* (5).

101. Ex his itaque falsa deprehenditur doctrina Io. Huss damnata in concil. constantiensi, qua ipse dividit actiones omnes in virtuosas aut vitiosas ratione caritatis (6), tum Baii, cuius pariter proscripta propositio XXXVIII est: *Omnis amor creaturae rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quae a Ioanne prohibetur, aut laudabilis illa caritas, qua per Spiritum sanctum in corde diffusa Deus amatur;* tum eius discipulorum, qui nullum actum medium agnoscunt, qui non sit ex caritate proprie dicta aut ex vitiosa cupiditate.

102. Et haec praemisisse sufficiat ad dicendorum illustrationem. Si

(1) I, 2, q. 62, art. 2 ad 3.
(2) Cf. II, 2, q. 17, art. 8, et q. 19, art. 6.
(3) II, 2, q. 17, art. 8.
(4) Ibid. q. 19, art. 6.
(5) Ed. Maur. alias serm. 52, cap. 1, et 2.
(6) Art. 16.

quae sint notanda, in decursu istius tractationis id opportunius praestabimus.

Art. II.

De actuali caritate perfecta.

103. Hic generatim nunc quaeritur, quot assignari ac distingui possint diversi actus caritatis, qui elici possent, et quaenam de necessitate conditiones requirantur, ut tales haberi debeant. Iuxta Suarezium 1° certum ratumque est, optimum caritatis actum haberi ex parte illius, qui Deum diligat super omnia, prout et nos paulo ante monuimus, attamen simpliciter et absolute necessarium non esse in omni amore Dei ex caritate eiusmodi actum reperiri; siquidem dantur alii actus imperfecti caritatis, licet Deus super omnia non diligatur: cuiusmodi quidam essent actus complacentiae et benevolentiae eliciti quidem ex motivo caritatis, qui tamen non assurgunt usque ad amorem super omnia. 2° Sic actus caritatis est desiderium boni divini propter se dilecti. 3° Item gaudium de bonis Dei propter ipsum. 4° Actus pariter caritatis est odium, fuga, tristitia circa malum divino bono contrarium (1). Sed haec explorata sunt.

104. Demonstrandum igitur hic est, cuiusmodi debeat esse actus, ut pertingere possit ad veram caritatem essentialiter constituendam: quomodo sub hoc respectu in diligente caritas perfecta ab imperfecta distinguatur: in quonam scilicet constitui debeat essentiale discrimen inter caritatem actualem perfectam et imperfectam.

105. Quibus ita compositis, iam accedimus per propositiones insequentes ad statuenda, quae veritati ex communi in scholis recepta doctrina consentanea sunt.

(1) Hae sunt totidem conclusiones Suarezii, quas disp. 2 *De carit.* sect. 1, n. 2, seqq. constituit, quaeque ibidem cum suis fundamentis recoli possunt.

PROPOSITIO I.

Ad actualis caritatis perfectae essentiam pertinet, ut Deus propter se ac super omnia, *id est amore appretiative summo diligatur.*

106. Ex praeviis, quas dedimus, notionibus duo sunt, quae ad perfectam caritatem constituendam requiruntur, nempe amor Dei propter se, et amor Dei super omnia. At primum satis ostendimus, dum egimus de obiecto formali caritatis cap. II, art. 2, in tertia huius tractatus parte, atque de obiecto spei cap. II, art. 2 *De spe* in secunda parte. Hoc loco potissimum ostendi debet, amorem ex motivo divinae bonitatis conceptum esse omnino debere *super omnia*, seu appretiative summum, ut caritas esse possit.

107. Nam ad caritatis perfectae essentiam pertinet ut Deus eo diligatur modo qui respondeat divinae bonitati, ob quam illum diligimus. Iam vero eo ipso, quod divina haec bonitas infinita sit ceterasque bonitates omnes infinito intervallo excedat, sequitur, Deum diligi super omnia debere. Et sane quis non intelligat, gravissimam Deo irrogari iniuriam, si Deus ita diligatur, ut simul aliud quidpiam eidem anteponatur vel etiam coaequetur? Aut quis dixerit, Deum vere diligi ea dilectione quae tam sit Deo indigna? Modus ergo perfecte diligendi Deum super omnia, scilicet amore appretiative summo, ita ad essentiam eiusmodi caritatis pertinet, ut eo sublato perfecta caritas etiam ipsa sublata intelligatur. Hinc s. Thomas, *propria*, inquit, *ratio caritatis consistit in hoc, quod Deus diligatur super omnia* (2). Et alibi: *Sicut homo*

(2) II, 2, q. 24, art. 12.

habet quamdam perfectionem suae naturae, statim cum nascitur, quae pertinet ad perfectionem speciei; est autem alia perfectio, ad quam per augmentum adducitur: ita est etiam quaedam perfectio caritatis pertinens ad ipsam speciem caritatis, ut scilicet Deus super omnia diligatur et nihil contra eum ametur (1).

108. Haec revera caritas est, quae una in sacris litteris praecipitur et commendatur. Neque enim sacrae litterae Deum tantummodo nos diligere iubent, sed iubent diligere hoc amore supremo, uti Deut. VI, 5: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua.* Quae verba repetit Christus Matth. XXII, nuncupatque *maximum et primum mandatum.* Sic Matth. X, 37: *Qui amat*, inquit idem Christus, *patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus; et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.* Quod et apostolus Rom. VIII, 38, seqq. suo exemplo confirmat, caritate exaestuans, his verbis: *Certus sum quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei quae est in Christo Iesu Domino nostro.* Porro nemo negaverit, caritatem illam, qua Deus omnibus facultatibus et viribus diligitur, qua Deus vel parentibus et filiis anteponitur, a qua denique nulla creatura possit nos avellere, perfectam illam caritatem esse, qua Deus super omnia et amore summo diligatur.

109. Iure ergo diximus in propositionis enunciatione, *amorem appretiative summum* spectare ad caritatis perfectae essentiam, quod nempe Deus ita per se diligatur, ut praeferatur omnibus imo et vitae ipsi, eoque simus animo comparati, ut omnia potius amittere vitamque ipsam profundere non dubitemus, quam Deum offendere eiusque causam deserere. Hic est amor ille, quo apostolus luculentissimis verbis paulo ante recitatis testabatur, nullis blanditiis, nullo metu, nullius creaturae vi passurum avelli se a Christo. Hoc amore iusti quique divinam legem et voluntatem divitiis, voluptatibus, honoribus anteponunt, ac mori potius quam divinae bonitati displicere in animum induxerunt.

110. Intensive autem summus ille dicitur amor, cum tanta praeterea est amoris vehementia et intensio, qua quis fertur in obiectum amatum, ut eiusdem sensu prae omni alio amore afficiatur; ex quo fit, ut et de eiusdem cogitatione maxime delectetur, et ad ipsum magno impulsu ac impetu feratur, et incommoda quaelibet facile ferat, difficultatesque quascumque alacriter vincat, imo et contemnat, ut illi placere possit. Huius amoris impetu acta canticorum sponsa clamabat: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo* (2); et apostolus exclamabat: *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo* (3); et sacer psaltes: *Viam mandatorum tuorum cucurri*, inquiebat, *cum dilatasti cor meum* (4).

111. Ex his infertur 1°, appretiativum quidem amorem perfectiorem esse intensivo, si unus ab alio seorsum spectetur, cum ea quae ratione constant longe certo potiora sint iis, quae sensu peraguntur; amorem tamen perfectissimum existere, si uterque conveniat, atque ad dignitatem rationis sancta sua-

(1) II, 2, q. 184, art. 3 ad 3.
(2) Cant. II, 5.
(3) Philipp. I, 23.
(4) Psalm. 118, 32.

vitas accedat: quo in genere erat caritas illa, qua canticorum sponsa, regius psaltes, qua apostolus totque sanctissimi viri ardebant (1).

112. Infertur 2° appretiationem solam, qua Deus omnibus praefertur, ad perfectae caritatis substantiam pertinere; intensionem vero seu fervorem appretiationi superadditam accidentalem esse, atque ad maiorem perfectionem tantummodo spectare. Siquidem ex una parte sola appretiatio ea est, quae ita cohaeret cum suprema Dei bonitate et dignitate, ut, ea sublata, amor imperfectus ac Deo indignus evadat, nec vere caritatis theologicae nomen ipsi competere amplius possit, ex altera vero parte sola est, quae in hominis arbitrio, divina opitulante gratia, consistat. Intensio vero amoris respondet non tam dignitati obiecti, quam naturali dispositioni ipsius amantis, et modo apprehensionis atque vi impressionis, ita ut obiectum aliquod saepe eo intensius diligatur, non quo dignius aestimetur, sed quo vividius eiusdem apprehensio percipiatur (2). Id causae est, cur non semper homo habeat hunc amorem in sua potestate positum (3). Optandum ergo illud quidem est christiano cuique, ut magno Deum fervore diligat, ipsique omni ope annitendum, ut haec sibi amandi felicitas contingat, quod frequenti divinae bonitatis contemplatione assiduoque diligendi exercitio consequi facile poterit: non hunc tamen ita necessarium existimabit, ut, sin minus consequi possit, se idcirco caritate destitutum debeat iudicare.

(1) Miri interdum effectus ex eiusmodi amoris intensione in sanctis promanarunt, non solum in mulieribus, ut in sancta Teresia, in s. Maria Magdalena de Pazzis, quae admirabiles exinde extases et raptus passae sunt, in s. Catharina Genuensi, quae tanto aestuabat ardore, ut neque carbones accensos brachiis eius admotos persentiret; verum etiam in viris, prout legimus de s. Philippo Nerio, cuius elatae sunt duae costulae, quod conceptum ardorem cor eius sustinere non posset; idem dic de s. Petro Alcantarino, de s. Iosepho a Cupertino, aliisque pene innumeris, ut ex eorum biographiis colligere licet.

PROPOSITIO II.

Caritas perfecta cum statu peccati lethalis consistere nequit, valetque per se ad hominem iustificandum.

113. Sane illa caritas consistere nequit cum lethali peccato, quae ipsum peccatum destruit hominemque Deo coniungit; atqui talis ex sacris Litteris, ex sanctis patribus et conciliis est caritas ex se et in suo gradu perfecta. Ergo.

114. Minor autem sic per partes evincitur. Scriptura in primis conceptis verbis docet, quod *caritas operit multitudinem peccatorum* (4); et: *Ego diligentes me diligo* (5); et iterum: *Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, et continebit se ab illis, et in oratione dierum exaudietur* (6). Apostolus vero Paulus rationem reddit, scribens: *Plenitudo legis est dilectio* (7), et alibi: *Super omnia autem haec, caritatem habete, quod est vinculum perfectionis* (8). Signum porro huius caritatis exhibet Christus, dicens: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit* (9). Ioannes

(2) Exemplum huius rei afferri solet ex parentibus, qui saepius dulcius et intensius filios infantilis aetatis diligere consueverunt quam maiores, cum tamen illos amore appretiativo primogenitis postponant.

(3) Cf. Tournely *De sacr. poenit.* q. 4, art. 1, conclusio 2.

(4) I. Petr. IV, 8.

(5) Prov. VIII, 17.

(6) Eccli. III, 4. In quem loc. cf. Cornel. a Lapide.

(7) Rom. XIII, 10.

(8) Coloss. III, 14.

(9) Io. XIV, 23.

vero: *Qui servat*, inquit, *verbum eius* (Dei) *vere in hoc caritas Dei perfecta est, et in hoc scimus, quoniam in ipso sumus* (1). Demum Christus mulieri poenitenti: *Remittuntur ei*, inquit, *peccata multa, quoniam dilexit multum* (2).

115. Patres hoc in sensu unanimes sunt; nos brevitatis causa unum aut alterum proferemus. S. Ioannes Chrysostomus: *Sicut ignis*, inquit, *ubi silvam occupaverit, omnia purgare consuevit, ita et caritatis fervor, quocumque inciderit, omnia perimit, atque perrumpit... Ubi caritas est, omnia sublata sunt mala* (3); sic etiam s. Leo scribens ad Theodorum episcopum Foroiuliensem: *Misericordiae Dei*, inquit, *nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniae moras vera conversio, dicente Spiritu Dei per prophetam: Cum conversus ingemuerit, tunc salvus erit* (4). Sanctus vero Augustinus inter cetera exponens illa sacri Psaltis verba: *Agglutinata est anima mea post te*, prout in sua existebant editione: *Videte*, scribit, *desierantem, videte sitientem, videte, quomodo haeret Deo. Nascitur in vobis iste affectus. Si iam germinat, compleatur et crescat: perveniat ad tale robur, ut et vos dicatis ex toto corde: Agglutinata est anima mea post te. Ubi est ipsum gluten? Ipsum gluten caritas est. Caritatem habe, quo glutine adglutinetur anima tua post Deum* (5). Et alibi passim.

116. Hanc ipsam catholicam doctrinam habemus ex concilio Tridentino; quod sess. XIV, cap. IV, de contritione disserens: *Etsi*, inquit, *contritionem aliquando caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam*. Ex quibus duo manifeste apparent: 1° scilicet, posse fieri et aliquando etiam contingere, ut quis ante sacramentum actu susceptum reconciliationis gratiam consequatur; 2° idque peragi per contritionem caritate perfectam; quae quidem contritio et caritas cum non possit carere sincera voluntate implendi ea, quae Deus praecipit, ac proinde sacramentum suscipiendi, idcirco dicitur, iustificationem non esse adscribendam contritioni sine voto sacramenti, quod in illa includitur.

117. Id ipsum adstruitur et confirmatur ex theologorum, praesertim vero magni Aquinatis doctrina. Agens enim s. Thomas de caritate perfecta, quae nempe talis sit tum motivo tum praelatione Dei super omnia, quamvis remissa sit quoad intensionem, non obscure tribuit eidem vim remittendi peccata; sic enim scribit: *Minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiae et vitare omne peccatum mortale, quod committitur in transgressione mandatorum legis: minima enim caritas plus diligit Deum, quam cupiditas millia auri et argenti* (6). Et rursum: *Minima caritas se extendit ad omnia illa, quae sunt ex caritate diligenda* (7); et iterum: *Peccatum mortale*, inquit, *totaliter corrumpit caritatem: et effective, quia omne peccatum mortale contrariatur caritati; et etiam meritorie, quia, qui peccando mortaliter aliquid contra caritatem agit, dignus est, ut Deus ei subtra-*

(1) I. Io. II, 5.
(2) Luc. VII, 47.
(3) Hom. VII in II ad Timoth.
(4) Edit. Ballerin. ep. 108, cap. 4.
(5) Enarr. in ps. 63, n. 17.
(6) 3 part. q. 70, art. 4.
(7) II, 2. q. 24, art. 5.

hat caritatem (1). Ac demum clarius adhuc: *Dicendum, quod, quantumcumque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat* (ex motivo caritatis) *omnem culpam deleat* (2). Ac propterea, quod consequens est, qui caritate fulget, quovis gravi peccato immunis sit necesse est ex sancto Doctore.

118. Nec desunt theologicae rationes, quibus haec ipsa fulciatur doctrina. Ad eum enim modum, quo quaevis aversio a Deo tanquam a fine ultimo, et conversio ad creaturam, etiam in remisso gradu, sufficit ad peccatum mortale, et ad inimicitiam cum Deo habendam et ad gratiae sanctificantis iacturam; sic et quaecumque ad Deum tanquam ad finem ultimum vera conversio sufficit ad recuperandam amicitiam cum Deo. Eo vel magis, quod longe pronior Deus sit ad veniam quam ad vindictam. Hinc merito Bellarminus: *Actus dilectionis*, inquit, *super omnia opponitur peccato habituali, non privative, sed contrarie, et expellit illud efficienter sive dispositive per modum ultimae dispositionis, ita ut ex natura rei et infallibiliter sequatur ad illum actum infusio gratiae et deletio peccati habitualis, sicut ad ultimam dispositionem in generatione humana sequitur ex natura rei et infallibiliter infusio animae rationalis: unde sine miraculo non potest post actum dilectionis Dei super omnia manere peccatum* (3).

119. Ex quovis igitur theologico fonte veritas constat eius, quod proposuimus ac propterea inferimus, merito fuisse a Rom. Pontificibus confixas Baii propositiones, quae huic adversantur doctrinae, nempe 31.: *Caritas perfecta et sincera, quae est ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta, tam in catechumenis, quam in poenitentibus potest esse sine remissione peccatorum;* 32.: *Caritas illa, quae est plenitudo legis, non est semper coniuncta cum remissione peccatorum;* 66.; *Homo existens in peccato mortali potest habere veram caritatem;* 68.: *Per contritionem, etiam cum caritate perfecta et voto suscipiendi sacramentum coniunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione sacramenti* (4). Nemo igitur sine insigni temeritatis nota et catholicae doctrinae detrimento poterit contradictoriam doctrinam propugnare.

120. Priusquam accedam ad adversariorum difficultates expendendas, illud addam, quod caritas perfecta, quamvis remissa, uti motivum contritionis sufficiat ad remittendam culpam; intensitas vero conferat praeterea ad remittendam poenam temporalem, ac ita potest quandoque intensa esse, ut totam etiam ac plene eam remittat. Atque hoc est, quod docet s. Thomas, qui in IV sent. dist. XVII, q. II, art. 5, ita scribit: *Intensio contritionis potest attendi dupliciter: uno modo ex parte caritatis, quae displicentiam causat; et sic contingit tantum intendi caritatem in actu, quod contritio inde sequens merebitur non solum culpae amotionem sed etiam absolu-*

(1) Ibid. art. 10.
(2) In 4 Sent. d. 17, q. 2, art. 2.
(3) Lib. 2 *De iustific.* cap. 16.
(4) Quae theses a s. Pio V et a Gregorio XIII, ac demum ab Urbano VIII solemniter tanquam doctrinae catholicae adversantes appositis constitutionibus damnatae sunt. Ripalda vero theologice tum has, tum alias istius novatoris proscriptas propositiones integro volumine in-folio, quod tertium est eius operis, quod inscripsit *De ente supernaturali*, plenissime confutavit. Baius fuit antesignanus iansenistarum.

tionem ab omni poena; alio modo ex parte doloris sensibilis, quem voluntas in contritione excitat, et quia illa poena etiam quaedam est, tantum potest intendi, quod sufficiat ad deletionem poenae et culpae. Quae quidem omnia intelligi debent supposito sacramenti voto, quod in caritate includitur.

Difficultates.

121. I. Obi. Sacrae Litterae passim docent, posse cum caritate etiam perfecta peccata consistere. Etenim 1° nemo negaverit, mulierem peccatricem caritate flagrasse, dicente Christo: *Dilexit multum;* attamen eidem Christus peccata dimisit in praesenti: *Remittuntur ei peccata multa.* 2° Idem dic de Paulo ac centurione Cornelio; atqui tamen Act. XXII, 16, dictum est ei: *Exurge, et baptizare, et ablue peccata tua;* Cornelio vero licet iusto et Deum timenti confertur baptisma Act. X, in remissionem profecto peccatorum. 3° Ne quis vero dicat, eos non nisi imperfecta caritate praeditos fuisse, praesto est s. Augustinus, qui, licet in Cornelio agnoverit caritatem, negat tamen, fuisse iustificatum nisi Baptismi sacramento; scribit enim: *In quibusdam tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum coelorum, sicut in catechumenis, sicut in ipso Cornelio, antequam sacramentorum participatione incorporaretur Ecclesiae* (1). Qui et de muliere peccatrice pronunciavit: *Accessit ad Dominum immunda, ut rediret munda; accessit aegra, ut rediret sana* (2). Ergo.

122. Resp. *Neg. A.*: ad 1. prob. *D.* Mulier illa dilexit, priusquam veniam consequeretur, prioritate naturae, *C.* Siquidem ultima dispositio et forma simultaneae sunt. Sic Christus dixit in praesenti: *Remittuntur ei peccata multa.* Dilexit prius etiam prioritate temporis, quam Christus locutus sit illa verba, *N.*; sed hoc dixit confirmando iam datam remissionem. Nam voluit etiam coram hominibus palam declarare et confirmare datam veniam, prout se gessit cum muliere haemorrhoissa Marci V, 34, cui dixit: *Esto sana a plaga tua*, etsi iam fuerit sanata. Alioquin bis eandem remissionem eidem peccatrici contulisset.

123. Ad 2. *D.* Quia caritas, licet perfecta, non remittit peccata nisi dependenter a voto seu voluntate ea praestandi, quae Deus iusserit, *C.*; quia caritas vi sua, posita illa conditione, non remittit peccata, *N.* Cum igitur caritas tanquam ultima dispositio non remittat peccata nisi dependenter a voto suscipiendi sacramenta, profecto realis istorum susceptio negligi non debet; atque hac ratione, tum Paulus, tum Cornelius baptizati sunt, tum ad abluenda peccata, tum ad ingressum in Ecclesiam seu in externam societatem fidelium. Hinc s. Augustinus: *Ne secura esset iustitia catechumeni, dictum est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu s., non intrabit in regnum coelorum. Rursus ne percepto baptismate secura esset iniquitas baptizatorum, dictum est: Nisi abundaverit iustitia vestra, etc.* (3).

124. Ad 3. *D.* Ad adimplendum Christi praeceptum, *Tr.* vel *C.*; ad excludendam virtutem caritatis in deletione peccati, *N.* Responsio patet ex modo dictis. Accedit, quod tam in Cornelio quam in peccatrice plures gradus habuerit caritas, prius inchoata, deinde proficiens, donec perfecta evaserit, atque in hac sola

(1) Lib. 1 *De divers. quaest. ad Simplicium*, q. 2.

(2) Serm. 99 in verb. Evang. Lucae 7.

(3) Lib. 3 *Contr. Donat.* cap. 21

periodo veniam peccatorum consecuti sunt. Et ita optime inter se eiusmodi effata, quae contraria inter se videntur, conciliantur (1).

125. II. Obi. s. Augustinus pluries, aut affirmat aut supponit, sola caritate sine actuali sacramenti susceptione non deleri peccata. Etenim 1° affirmat, catechumenis, quantumcumque proficiant, non dimitti peccata, nisi cum baptizantur; sic tract. XIII in Io.: *Quantumcumque catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis portat; non ei dimittitur, nisi cum venerit ad baptismum* (2). 2° Affirmat, catechumenum caritate flagrantem peccatorum veniam ante baptismum minime assequi: *Nec ego dubito*, scribit, *catechumenum catholicum caritate flagrantem haeretico baptizato anteponere* (3); et clarius adhuc: *Sanctificatio catechumeni*, scribit, *si non fuerit baptizatus, ei non valet ad intrandum in regnum coelorum* (4). Quae quidem suo ipso exemplo confirmat: nam licet lib. VIII *Confess.* 17, scripserit, *quod fleret amarissima contritione;* ac lib. IX *Conf.* 2: *quod Deus cor suum caritate sagittaverit;* tamen eiusdem libri cap. IV significat, se ante baptismum peccatorum veniam non obtinuisse. Ergo.

126. Resp. *D. A.* Haec omnia, aut supponit aut affirmat s. doctor ob defectum aliquem caritati extrinsecum, *C.*; ob defectum ipsi caritati intrinsecum, perinde ac si ipsa vim per se non haberet delendi peccata, *N.* Totus enim in eo est s. Augustinus, ut catechumenorum vel socordiam aut negligentiam in suscipiendo baptismo excutiat, quod nimis interdum aliqui sibi fiderent ob suam sive contritionem sive caritatem, nec propterea solliciti essent de baptismo suscipiendo: quae quidem dispositio ipsi semper suspecta fuit. Ast nunquam inficiatur, caritatem in se ac per se omne prorsus tollere peccatum, imo positive, id per caritatem fieri, adstruit, scribens de caritate: *Nullum est isto Dei dono excellentius; solum est, quod dividit inter filios regni aeterni, et filios perditionis aeternae* (5). Itaque ex solo subiecto seu defectu eius, qui habere dicitur caritatem, repetit s. Augustinus, quod non habeatur semper remissio peccatorum.

Atque exinde patet solutio ad singula, quae ex ipso obiecta sunt, quin aliud adiicere opus sit, quia aptari iugiter deberet eadem distinctio.

Quoad vero secundum, apertum est, ex Augustino obiectum textum potius catholicae doctrinae ipsum favere quam adversariis, cum ipse dicat, se praeferre catechumenum catholicum caritate flagrantem haeretico baptizato.

127. Inst. s. Augustinus 1° passim docet, bonam voluntatem non aliud esse praeter caritatem (6). *Quasi vero*, inquit, *aliud sit bona voluntas quam caritas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo et a Patre datam, ut filii eius essemus* (7). Nec tamen quicumque bonam volun-

(1) Cf. quae de hoc ipso argumento scripsimus in tract. *De poenit.* cap. 2, prop. 2 et 3, quae iterum hic retulimus ad pleniorem huius argumenti tractationem, ac sibi mutuo lucem praebent.

(2) N. 7.

(3) Lib. 4 *De Bapt. contr. donatist.* c. 21.

(4) Lib. 2 *De peccat. mer. et rem.*, c. 26.

(5) Lib. 15 *De Trinit.* cap. 18, n. 32. Cf. Ripalda *De ente supernatur.* disp. 99, et tom. 3 adversus articulos Baii lib. 2, disp. 22, sect. 10, nec non Bellarmin. *De sacramento poenit.* cap. 13 et 14.

(6) Lib. 12 *De civit.* cap. 9 et lib. 14, cap. 7.

(7) In lib. *De gratia Christi*, cap. 21.

tatem habent, immunes a peccatis sunt, cum Lucae II, 14, pax promittatur *hominibus bonae voluntatis*. 2° Rursum, lib. II, contr. duas ep. Pelag. cap. IX: *Quid est*, inquit, *bona cupiditas, nisi caritas? De qua Ioannes sine ambiguitate loquitur, dicens: Caritas ex Deo est; nec initium eius ex nobis, et perfectio ex Deo; sed si caritas ex Deo est, tota nobis ex Deo est.* Iam vero cum initium bonae cupiditatis habeatur ante peccatorum remissionem, profecto et ipsa caritas habetur. Ergo.

128. Resp. ad 1. *D.* Ex Augustino bona voluntas est caritas, voluntas scilicet, quae detur nobis per spiritum adoptionis, qua clamamus: *Abba* (Pater), ac per Spiritum sanctum infunditur, *C.* Quaecumque bona voluntas est caritas lato sensu, *C.*: proprie, *N.* Talem porro esse sensum s. Augustini, tum ex contextu verborum, quae nobis obiiciuntur, tum ex iis, quae alibi scribit, manifestum fit (1).

129. Quod si per angelum annunciatur Luc. II, *pax hominibus bonae voluntatis*, intelligi id debet non de bona voluntate hominum erga Deum, sed de bona voluntate Dei erga homines, prout ex graeco textu apparet, ubi legitur: *Et in terra pax in hominibus bonae voluntatis* (2). Hac ratione evanescit omnis exinde deducta difficultas.

130. Ad 2. *D.* min. Initium bonae cupiditatis potest ante peccatorum remissionem in homine consistere, *C.*; perfecta boni cupiditas, *N.* Scopus s. Augustini hoc in loco est ostendere, tum initium, tum progressum in caritate a Deo esse, nullo vero modo affirmat cum caritate posse coëxistere peccata, utpote alienum a suo fine, quem nempe sibi proposuit adversus Pelagianos disputans.

131. III. Obi. 1° Concilium Tridentinum sess. VI, cap. 6, ab accedentibus ad baptismum inter ceteras dispositiones et illam recenset: *Ut Deum tanquam omnis iustitiae fontem diligere incipiant.* Supponit igitur, hominem Dei amore percitum sine sacramento reconciliari non posse. 2° Quod clarius adhuc eadem synodus patefacit, statuens sess. XIII, cap. 7, neminem quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debere. Quae profecto lex statuta minime fuisset, si concilium per contritionem perfectam hominem iustificari sine sacramento censuisset. 3° Et merito, alioquin frustra contritis tum Baptismi, tum Poenitentiae sacramenta administrarentur. 4° Quin etiam falsa evaderet utriusque sacramenti forma: cum vere neque baptizaretur, neque absolveretur, qui iam lotus et iam absolutus, seu reconciliatus esset per caritatem perfectam. Ergo.

132. Resp. ad 1. *D.* Recenset

(1) Sic enim s. Doctor mentem suam declarat tum in adductis locis, tum l. 4. *Contr. Iulian.* c. 3, ubi bonam voluntatem dicit esse ipsam, per quam efficimur filii Dei, et per quam solam homo potest ad aeternam vitam regnumque perduci. Cf. Ripalda, loc. cit. et Bellarminum pariter l. c.

(2) Καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίας. In quem locum cf. Maldonatum, qui inter cetera scribit Εὐδόκια, « quantum equidem observari potui, fere de solo Deo dici solet; significat enim bonam Dei erga homines voluntatem, et quam vulgo vocamus gratiam; quod vetus interpres solet reddere beneplacitum, sicut verbum εὐδοκεῖν, beneplacere. » Ac restituta vera lectione cum vulgato latino εὐδοκίας bonae voluntatis, concludit: « Itaque sensus est: Et in terra pax hominibus bonae voluntatis, id est iis, quos Deus amavit, qui Deo placuerunt, quos bona Deus prosecutus est voluntate.

concilium *dilectionis* initium ad *iustificationem* uti dispositionem, *C.*; caritatem perfectam, de qua nos disserimus, *N.* Etenim 1° incertum est, num concilium loquatur generatim de dispositionibus ad iustificationem, an vero speciatim ad Baptismum aut Poenitentiam (1); 2° incertum, de qua dilectione loquatur, de ea nempe, quae ex motivo spei concipitur, quaeque concupiscentiae dicitur, an de ea, quae ex motivo caritatis exsurgit (2); 3° incertum est, num de dilectione, quae sit *super omnia*, quaeque sola caritas perfecta nuncupatur, an vero de ea quae ad hunc gradum nondum pervenit. Cum igitur haec omnia adhuc in controversiam veniant, frustra ex adductis concilii verbis petitur difficultas adversus doctrinam nostram. Sed quod caput est, ipsum concilium sess. XIV, ut vidimus, mentem suam aperuit, docens, per contritionem caritate perfectam hominem Deo reconciliari, priusquam sacramentum actu suscipiatur (3).

133. Ad 2. *D.* Id statuit concilium ob extrinseca motiva, *C.*; quasi dubitaret de vi contritionis caritate perfectae ad hominem Deo reconciliandum, *N.* Itaque nec pauca, nec levia motiva concilium impulerunt ad sanciendam confessionem ante Eucharistiae susceptionem etiam quoad contritos: 1° quia id confert ad maiorem erga augustissimum Sacramentum reverentiam; 2° quia homo facile decipi potest, existimans, se vere contritum esse, dum reipsa non est. Adde, quod sacerdotibus copiam confessarii non habentibus, necessitate urgente, celebrare permittit, ita tamen ut quamprimum confiteantur.

134. Ad 3. *Neg.* Nam plura etiam contritis ex actuali sacramenti susceptione emolumenta proveniunt: ac 1° maior securitas; 2° obedientia divino mandato; 3° augmentum gratiae; 4° poenae temporalis saepe remissio, ut alia praeteream (4).

135. Ad 4. *N.* Siquidem dum sacramentorum minister ea verba profert: *Ego te baptizo; ego te absolvo*, nil aliud significat, quam se sacramentum impertiri sive renovationis, sive reconciliationis, quantum ex se est, licet, qui ea recipiunt, aut iam Deo reconciliati sint, aut non sint rite dispositi, sive apte dispositi sint. Hinc s. Thomas in III part. q. 84, art. 3 ad ultimum ita exponit verba illa: *Ego te absolvo; sacramentum absolutionis impendo* (5).

ART. III. *De caritate actuali imperfecta.*

136. Post ea, quae in articulo primo in praeviis notionibus statuimus, et ea quae in altero articulo nominatim de perfecto caritatis actu demonstravimus, facili negotio, quae de imperfecto caritatis actu dicenda supersunt, expediemus.

137. Iam demonstratum est, per-

(1) Tractant de hoc argumento ex professo duo praesertim auctores, alter paullo vetustior, nempe Balthassar Francolinus S. I. in opere *De dolore ad sacramentum poenitentiae rite suscipiendum libri duo.* Romae, 1706. Alter vero recentior, scilicet Ios. Benaglia Canon. Bergomensis in op. *Dell'attrizione quasi materia e parte del Sacramento della Penitenza*, vol. duo; Milano 1846; praesertim vol. 1, cap. 3, in quo octodecim prolixis articulis expendit mentem Concilii Tridentini, in cap. 6, sess. 6, ad quos lectores remitto. Sic etiam Suarezius in 3 part. s. Thomae, tom. 1, disp. 4, sect. 8.

(2) De quo praeter auctores cit. Cf. Tournely *De poenit.*, quaest. 4, art. 1, seqq.

(3) Cap. 4.

(4) Cf. Bellarmin. loc. cit. n. 43.

(5) Recole, quae de hoc ipso argumento scripsimus in tract. *De Poenitentia*, cap. 2, prop. 2.

fectum caritatis actum illum esse, quo Deus super omnia et quidem propter se diligitur. At si alterutra desit conditio, iam non esset actus perfectae caritatis, adeoque neque ad iustificationem extra sacramentum sufficiens censeri posset.

138. Quod ad primam attinet conditionem, vix necesse est, ut plura addamus. Amor Dei, qui non sit super omnia, non modo non est perfecta caritas, sed proprie nullo modo caritas est, nec imperfecta, ideoque cum peccato consistit.

139. Atque hic animadverto, interdum peccatores reperiri, qui sibi illudant, dum putant se Deum diligere, ob quosdam teneritudinis affectus, aut etiam ob considerationem divinae bonitatis eiusque magnitudinis ac perfectionis infinitae: ast reipsa non sunt nisi steriles complacentiae affectus, qui poterunt quidem pedetentim perducere ad veram caritatem. Attamen donec eo non perveniant, ut ob talia motiva in se perfecta ad Deum super omnia diligendum pertingant, haud caritatis nomen merentur, neque propterea sufficiunt ad iustificationem. Hinc loquens angelicus doctor de contritione, ait: *Amor potest esse ita remissus, quod non sufficiat ad rationem caritatis* (IV sent. disp. XVII, q. 2. art. 5).

140. Sed haec sunt manifesta. Illud praeterea ostendi debet, quod si desit altera caritatis conditio, scilicet ut Deus diligatur propter se, amor Dei etiam super omnia, si sit tantum amor concupiscentiae, non sufficiat ad iustificationem extra sacramentum. Sit igitur

PROPOSITIO

Caritas imperfecta, qua Deus non diligitur propter se super omnia, disponit quidem, sed non sufficit ad iustificationem sine sacramento obtinendam.

141. Dari praeter caritatem perfectam caritatem imperfectam, quae talis dicatur et sit, multiplici ex capite exploratum est penes theologos omnes, et concilium Tridentinum sess. XIV, cap. 4, supponit (1).

142. Iam vero cum eiusmodi caritate peccatum posse subsistere, ex eodem concilio evincimus, in rem nostram ad hominem convertendo, quae ab impugnatoribus superioris propositionis ex ipso desumpta sunt. Etenim inter alias dispositiones, quae ex Tridentino ad iustificationis gratiam impetrandam requiruntur, una est, ut peccator Deum tanquam omnis iustitiae fontem diligere incipiat, atque ex eo amore moveatur adversus peccata per odium aliquod et detestationem. Est ergo aliqua dilectio seu amor, vel si nomen placet, caritas aliqua, quae praecedit iustificationem. Ergo est aliqua caritas, quae in homine peccatore esse potest, et qua peccator avertitur quidem a peccato, non ita tamen, ut eiusdem reatum deleat, et iustitiam inhabitantem conferat.

143. Ecquis re vera dixerit, catechumenos ad Baptismi gratiam anhelantes; quis dixerit peccatores poenitentes omni Dei dilectione esse prorsus destitutos? Nemo certe: nam si omni Dei dilectione carerent, quo modo cuperent ad Deum accedere ipsique coniungi? Ex alia vero parte dici non potest, eos omnes eam habere caritatem, quae sine iustitia esse non potest: si enim ita esset, omnes ante sacramentum susceptum iustificarentur; quod tamen raro contingere, et paucis datum esse, tridentini patres agno-

(1) Praemoneo, hic me non attingere quaestionem, utrum amor initialis necessarius sit nec ne ad iustificationem cum sacramento obtinendam, cum ea quaestio ad alium locum spectet.

scunt. Imo sequeretur, nullum esse in ecclesia sacramentum mortuorum, cum omnes accedentes ad sacramenta vivi iam essent ac iustificati.

144. Habent ergo illi caritatem aliquam, sed imperfectam, quae disponit quidem ad iustificationem, sed non valet sine sacramenti efficacia iustificare. Hinc recte Petrus Chrysologus aiebat: *Absolvi vis? Ama: caritas cooperiet multitudinem peccatorum.* Et infra: *Fratres, si nos esse peccatores novimus, et esse nolimus peccatores, pedibus Christi demus lacrimas, spargamus capillos, figamus oscula, pietatis oleum tota devotione fundamus, ut dicatur nobis: Dimittuntur vobis peccata multa, quia dilexistis multum* (1).

145. Quorum similia habent ceteri patres, quibus peccatores hortantur, ut ad mulieris peccatricis exemplum multum diligant, quo valeant multorum peccatorum veniam impetrare, amore nempe perfecto et appretiative summo, si venia sit obtinenda extra sacramentum. Ratio vero ab intrinseco petitur ex nobiliori longeque maiori perfectione actus, quo Deus diligitur propter se, quique in ordine morali diversus est ab actu, quo Deus directe diligitur uti bonum nostrum. Hic actus valde bonus est, uti ostendimus in tractatu de spe, ac proinde disponit quidem ad iustificationem, attamen per se solus non sufficit.

146. Haec omnia confirmantur ex iis omnibus, quae in praemissis adnotationibus ad articulum 1, sub n. 4, animadvertimus; multiplici nempe ex capite per spei, seu concupiscentiae amorem minime remitti extra sacramentum peccata, tum scilicet ex rei natura, tum ex doctrina patrum ac theologorum, tum denique ex defectu promissionum. Quin imo et illud adiecimus, rem ita se habere in *abstracto* spectatam. Ceterum *in concreto* plura suadent, Deum ei, qui diligit super omnia, atque dolet de peccatis suis ex motivo spei seu caritatis imperfectae, non defuturum gratia sua perficiendo caritatem eiusmodi imperfectam.

147. Siquidem cum aliquis Deum diligit super omnia ex motivo imperfecto, facile assurgit ad illum diligendum *propter se*, ac sic iustificabitur etiam extra sacramentum, cum Deus gratiae suae opitulatione, cum opus fuerit, ei non defuturus sit, et qui iam diligit Deum super omnia, huic gratiae facile cooperabitur; atque hac ratione fiet, ut nemo sit periturus diligendo Deum super omnia amore concupiscentiae.

148. Sic pariter actus dilectionis Dei ex motivo beneficiorum, quae ab eo quispiam obtinuit, ex. gr. actus amoris erga Christum Iesum uti redemptorem nostrum, ex se *in abstracto*, non sufficit ad caritatem formalem perfectam constituendam. Attamen in concreto ex cogitatione beneficiorum transitus fit ad cognoscendam ac diligendam infinitam Dei bonitatem in se ipsa.

149. Neque hic omitti debet, quod actus amoris Dei propter se valde facilis sit homini iusto, qui habitum habet caritatis; ast peccator facilius movetur ex timore aut spe, quam ex puro Dei amore propter se dilecti. Hinc summopere commendanda est Dei bonitas, qui ad faciliorem reddendam iustificationem peccatoris instituit sacramenta baptismi et poenitentiae, in quibus sufficit amor concupiscentiae etiam conceptus ex timore. Cum vero fuerit peccator iustificatus, pot-

(1) Serm. 94, op. edit. Augustae Vindelic. 1758.

erit deinde habitu caritatis per sacramentum adepto elicere magna facilitate etiam actus caritatis perfectae.

CAPUT IV.

DE CARITATE HABITUALI

150. Caritas habitualis, seu quae habitu ac virtute ad amandum Deum supernaturali benevolentia inclinat, est praecipua acceptio, qua caritas sumitur. Haec est, quae maxime *iustitia christiana* continetur. A sancto Thoma definitur: *Amicitia quaedam hominis ad Deum* (1). Amicitia porro, ut idem s. doctor exponit, est quaedam *mutua amatio*. Nam per amicitiam amicus fit amico amicus, eaque in aliqua bonorum communicatione fundatur (2).

151. Enucleatius autem definiri potest haec caritas: Virtus per se infusa, seu donum supernaturale, quo creatura rationalis sancta, iusta, Deo grata aeternaque beatitudine digna efficitur, eaque spirituali dilectionis vinculo Deo coniungitur, ut amicus coniungitur cum amico, disponens et elevans voluntatem ad actus caritatis proprios eliciendos. Ex qua definitione, seu descriptione intelligimus, quaenam sit eius natura, quae eius proprietates et effectus.

152. Ac 1° dicitur: *Virtus per se infusa* seu *donum supernaturale*, tum quia perficit hominem, quod est virtutis proprium, tum quia sic utpote donum aliquod creatum, distinguitur ab ipso Spiritu sancto, cum quo nonnulli, duce Magistro sententiarum (3), caritatem, qua sancti efficimur, unum esse autumarunt. 2° Dicitur: *Quo creatura rationalis;* siquidem non humanae solum, sed etiam angelicae naturae congruit. 3° Dicitur: *Sancta*, id est ab omni peccati labe munda et pura: *Iusta*, id est in suum finem perfecte ordinata: *Deo grata*, id est placens et accepta: *Aeterna beatitudine digna efficitur;* est enim caritas pignus certum coelestis haereditatis, eaque cum aeterna beatitudine eodem modo connectitur, ut conditio filii cum patris haereditate. 4° Dicitur: *Eaque spirituali dilectionis vinculo Deo coniungitur ut amicus, etc.*, ad intimam amoris coniunctionem significandam, sine qua caritas esse non potest. 5° Dicitur: *Disponens et elevans voluntatem ad actus caritatis proprios eliciendos*, tum quia ex I. Io. v, 3: *Haec est enim caritas Dei, ut mandata eius custodiamus*, tum quia, sicut reliquae virtutes theologicae disponunt ad actus suos, sic et caritas idem praestat respectu amoris, quo Deum propter ipsum diligimus.

153. Exinde pronum est colligere, quare caritas apud sacros et ecclesiasticos scriptores modo *vita animae*, modo *spirituale coniugium*, modo *divinae naturae consortium* passim appelletur. Recte namque dicitur vita animae, quo sensu exclamabat apostolus, Galat. II, 20: *Vivo autem, iam non ego; vivit vero in me Christus.* Etenim sicut per vitam corpus animae cohaeret, at-

(1) II, 2, q. 23, art. 1, corp.
(2) Ibid.
(3) Cuius verba inferius proferemus. Interim sic Angelicus II, 2, q. 23, art. 2, exponit Magistri mentem: « Ponit quod caritas non est aliquid creatum in anima, sed est ipse Spiritus sanctus mentem inhabitans. Nec est sua intentio, quod iste motus dilectionis, quo Deum diligimus, sit ipse Spiritus sanctus; sed quod iste motus dilectionis est a Spiritu sancto, non mediante aliquo habitu, sicut a Spiritu sancto sunt alii actus virtutum, mediantibus habitibus aliarum virtutum, puta habitus fidei aut spei, aut alicuius alterius virtutis. Et hoc dicebat propter excellentiam caritatis.

que per eam vegetat, movetur, et fit ad omnes naturales functiones idoneum, ita per caritatem anima nostra Deo coniuncta vivit in ordine supernaturali, vegetat per virtutum exercitia, et facit fructus aeterna beatitudine dignos. Hac de causa aiebat Christus Io. xv, 4: *Manete in me, et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis.*

154. Sic dicitur *spirituale coniugium;* nam arctissimo dilectionis vinculo per eam Deus animae copulatur, in ea inhabitat ibique suavissime delectatur; per eam insuper anima ita cum Deo unum aliquid efficitur, quemadmodum sponsi per coniugium efficiuntur una caro. Hinc de hac beatissima coniunctione scriptum est apud Oseam, II, 19, 20: *Sponsabo te mihi in iustitia, et in iudicio, et in misericordia, et in miserationibus. Et sponsabo te mihi in fide; et scies, quia ego Dominus.* Huius vero coniugii amores et castissimas voluptates per figurata Salomonis et Sunamitidis colloquia in toto canticorum libro adumbratos sancta semper intellexit Ecclesia.

155. Dicitur denique *consortium divinae naturae*: quia caritas ea est, de qua Ioan. I, ep. III, 1, scribebat: *Videte, qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus.* Haec quoque caritas est spiritus ille adoptionis filiorum, de quo apostolus Rom. VIII, 15, 16: *In quo*, inquit, *clamamus Abba* (Pater) *qui testimonium reddit spiritui nostro; quod sumus filii Dei*, eoque ipso haeredes. Sed filii certe sunt cum patre eiusdem naturae participes. Hinc fit, ut per caritatem eo ipso, quod Dei filii Christique membra efficimur, divinae quoque participes naturae quodammodo et consortes evadamus. Unde merito s. Leo M.: *Agnosce*, scribebat, *o christiane, dignitatem tuam, et divinae consors factus naturae, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire* (1).

156. Ex hac porro caritatis habitualis definitione ac notione facile est inferre, quaenam sint doctrinae capita, quae hic adstruere et enucleare debeamus; scilicet constituere debemus, 1° caritatem esse reipsa donum a Spiritu sancto distinctum; 2° vere esse amicitiam cum Deo; 3° eandem esse viae et patriae; 4° esse virtutem omnium praestantissimam. Atque haec sunt, quae totidem propositionibus a nobis erunt vindicanda. Nam quod attinet ad inhaerentiam in nobis caritatis, ad eiusdem augmentum et amissionem, iam satis egimus in tractatu *De gratia*, part. II et III, quae sunt *de iustificatione et merito*, ubi perstrinximus, quae ad hoc argumentum referuntur. Sit itaque

PROPOSITIO I.

Caritas habitualis est virtus supernaturalis a Deo in cordibus nostris infusa, seu donum creatum a Spiritu sancto distinctum, quo in actus erumpimus.

157. Propositio haec certa ac communis est inter theologos, a quibus adstruitur adversus singularem opinionem Petri Lombardi seu Magistri sententiarum, qui in I. dist. XVII, § 18, contendit, caritatem, de qua disserimus non distingui a Spiritu sancto, qui est notionalis Dei caritas. Quo principio semel constituto, infert ipse, ceterarum quidem virtutum actus, fidei ex. gr. et spei excitari in nobis a Spiritu sancto mediante habitu, seu virtute creata ab ipso distincta, actus vero

(1) Serm. I *De Nat. Domini*, n. 3, ed. Ballerin.

caritatis ab ipso Spiritu sancto in nobis immediate produci.

158. Verba Magistri haec sunt: *Alios actus atque motus virtutum operatur Spiritus sanctus mediantibus virtutibus, quarum actus sunt; utpote actum fidei, id est credere, fide media; et actum spei, id est sperare, media spe. Per fidem enim et spem praedictos operatur actus. Diligendi vero actum per se tantum, sine alicuius virtutis medio operatur, id est diligere... Est ergo caritas vere Spiritus sanctus.* Ex quibus patet, eum admittere quidem actum creatum dilectionis Dei; caritatem vero, quae sit *virtus instar habitus* dilectionis actum producens, omnino inficiatur.

159. Haec autem singularis Petri Lombardi doctrina permisceri nequit cum Petavii placito, prout perperam et incaute a nonnullis factum esse dolemus (1). Etenim Petavius id unum, innixus Scripturarum plurimorumque patrum, sive graecorum, sive latinorum auctoritati, contendit, praeter creatum Spiritus sancti donum, quod caritas est aut gratia sanctificans, quam et formam vocat, habitum efficientiamque communicari, et quidem immediate ipsam Spiritus sancti personam, quae *substantialiter* in ipsis maneat habitetque, idque ad iustorum praesertim novae legis conditionem effe rendam commendandamque. Adeo vero differt Petavius a sententia Petri Lombardi, ut eam plane improbet veluti sacris eloquiis, atque adeo ipsis patribus contrariam. Sic enim scribit: *Quod autem nullum praeter caritatis habitum* (quem Spiritum sanctum esse affirmat) *inesse putat* (Petrus Lombardus) *vehementer errat et communi theologorum, imo vero fidei decreto notatur. Utrumque enim intervenit; et Spiritus ipse sanctus, qui filios facit...*, *et caritatis habitus ipse sive gratiae, quae est vinculum quoddam sive nexus, quo cum animis nostris illa Spiritus sancti substantia copulatur.* Et paulo post: *Dari autem*, inquit, *praeter Spiritum sanctum et cum eo qualitates quasdam et affectus animi, cuiusmodi est caritas, qua Deum diligimus, haud obscure theologi veteres* (scilicet patres), *indicant* (2); quos hic affert vir doctus et evolvit. Ex his quam longe distet sententia Petavii ab illa, quam Magister sententiarum sectatus est, nemo est, qui non videat.

160. Sed ut iam ad enunciatae propositionis veritatem vindicandam accedamus, ita disserimus: Caritas habitualis est virtus in cordibus no-

(1) Inter quos recensendus cl. Libermann *De gratia et iustificatione*, § 2, ubi quasdam discutiens catholicorum de gratia sanctificante quaestiones, sic proponit quaestionem 2: *An gratia sanctificans sit ipsa Spiritus sancti persona?* Deinde pergit, respondendo: « Haec sententia eximium defensorem et patronum nacta est in doctissimo viro Dionysio Petavio (lib. 8 *De Trinit.* cap. 4). Iam ante Petavium magister sententiarum docuit lib. 1, dist. 17, caritatem, qua diligimus Deum et proximum, esse ipsummet Spiritum sanctum... Attamen contrarium tenent theologi fere omnes, qui iustitiam et caritatem dicunt a Spiritu sancto produci quidem, sed non esse Spiritum sanctum; et cum Scriptura ait ad Rom. V, 5: « Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis; aperte caritatem distinguit a Spiritu sancto, tanquam effectum a causa. » Hactenus ipse.

(2) *De Trinit.* lib. 8, cap. 6, § 3 et 4. Alios eiusdem hac super re textus silentio praetereo. In quonam porro consistat ex doctrina veterum illa substantialis Spiritus sancti cum iustorum animis communicatio et coniunctio, et quomodo differat ab illa, quae in Verbo caro facto intercedit, exponit Petavius cap. 7, praesertim § 12, seq. Interim ex his facile est colligere, quanta praestantia fulgeant iustorum animae per intimam eiusmodi divinam participationem.

stris a Deo infusa, ac proinde donum creatum a Spiritu sancto distinctum, si talem nobis exhibeant Scripturae, patres, concilia, communisque theologorum consensus. Atqui.

161. Sane apostolus I. Cor. XIII, 13, eadem ratione loquitur de caritate ac de fide et spe, dicens: *Nunc autem manent fides, spes, caritas.* Iam vero, ipso Magistro fatente, fides et spes virtutes sunt creatae. Idem igitur et de caritate sentiendum est. Verum palmare est testimonium, quod ex eodem apostolo habetur Rom. V, 5: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Quibus verbis aperte donum increatum, quod *datum* dicitur, nempe Spiritus sanctus distinguitur a *dono creato*, quod est caritas in cordibus nostris diffusa, tanquam effectus a causa (1).

162. Neque alia est doctrina patrum, Augustini praesertim, cuius placet adducere hanc in rem testimonia, eo quod Petrus Lombardus eidem potissimum innitatur ad suam adstruendam sententiam. Porro s. doctor tract. XXVI in Io. n. 1, caritatem qua Deum diligimus, a caritate, quae Deus est, aperte distinguit, dicens: *Iustitia Dei hic dicitur, non qua iustus est Deus, sed quam dat homini Deus, ut iustus sit homo per Deum.* Iam vero per Augustinum idem est iustitia ac caritas, ut ex trito illo eiusdem s. doctoris effato palam fit: *Caritas inchoata, inchoata iustitia est; caritas provecta, provecta iustitia est; caritas magna, magna iustitia est* (2). Qui praeterea alibi interrogat: *Quid est: Ipse Spiritus interpellat pro sanctis, nisi ipsa caritas, quae in te per Spiritum facta est* (3)?

163. Quod attinet ad concilia, omisso concilio arausicano II, quod can. IV, VI et XXV, adstruit, fieri in nobis peccatorum purgationem per Spiritus sancti infusionem et operationem, atque hanc inspirationem Spiritus sancti vocat *gratiae donum;* haec disertissima habentur in concilio Tridentino sess. VI, cap. VII, ubi definit, quod in iustificatione *per Spiritum sanctum caritas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhaeret. Unde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et caritatem.* Itaque si per concilium caritas *diffunditur* et *infunditur* in cordibus hominum, qui iustificantur per Spiritum sanctum, nemini dubium esse potest, ex concilio Spiritum sanctum, seu donum increatum a caritate seu dono creato distingui, prout ab eodem distinguuntur fides et spes.

164. Atque exinde factum est, ut non solum antiquiores scholastici, angelico duce Aquinate, sed uno consensu theologi catholici omnes, qui post Tridentinum floruere, eandem doctrinam propugnaverint. Quin etiam nonnulli adeo progressi sunt, ut eam non modo certam pronunciaverint, verum etiam iuxta eximium Suarezium vel *de fide*, vel ita proxima ipsi dicenda sit, ut con-

(1) Prout advertit et ipse Petavius, cap. 4, n. 1. Cf. etiam in hunc loc. Estium.

(2) Lib. *De nat. et grat.*, cap. ult., n. 84.

(3) Tract. 6 in Epist. 1 s. Ioann. n. 8. Plura alia in eundem sensum s. Augustini testimonia cf. apud de Rubeis in op. *De caritate*, cap. 3, n. 2, seqq. Quod vero attinet ad reliquos patres, vide Petavium loc. cit. *De Trinit.* lib. 8, cap. 5, qui apprime donum increatum seu Spiritum s. a dono creato, seu caritate secernunt.

teoria sit *erronea* (1); ac Petavius, ut vidimus, eandem *fidei decreto* notatam affirmet (2).

165. Ratio vero theologica pro doctrina nostra ea est, quam urget angelicus doctor adversus Magistri placitum, quaeque paucis sic efferri potest: Actus caritatis, qui a nobis eliciuntur, habere debent in nobis principium intrinsecum sibi accommodatum. Porro eiusmodi aliud esse nequit nisi qualitas aliqua et habitus, aut forma in nobis inhaerens, non autem ab extrinseco proveniens, cuiusmodi esset Spiritus sancti persona (3).

166. Antequam contrariae sententiae fundamenta discutiamus, adnotare praestat, haud morosos nos esse debere circa *formae*, *qualitatis* aut *habitus* diversas acceptiones, quibus sive a philosophis, sive a theologis adhibentur; quae certe variae sunt. Hac fortasse de causa concilium tridentinum ab his usurpandis abstinuit, ne cuiquam scholae officeret, satis esse ad fidem iudicans adstruere principium intrinsecum animae inhaerens ad iustificationem (4).

Difficultates.

167. I. Obi. Tum ex sacris litteris, tum ex sanctis patribus, nominatim autem Augustino, constat, non aliud esse caritatem quam ipsam Spiritus sancti personam. Nam I. Io. IV, 8 legitur: *Deus caritas est;* et iterum v. 16: *Deus caritas est; et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo.* Quibus luculenter patet, tum caritatem Deum esse, tum per caritatem, qua Deum diligimus, nos in Deo manere, et per illam, qua Deus nos diligit, Deum manere in nobis.

168. Resp. *N. A.* Ad probationem vero ex sacris litteris allatam, *D.* Deus caritas est in se formaliter et efficienter quoad nos, *C.*; formaliter quoad nos, *N.* Deus utique essentialis et formalis caritas est: ast prout caritatem producit in nobis, non est nisi causa efficiens caritatis quae in nobis est. Quo sensu, cum Deus manet in nobis, manet per caritatem, quam in cordibus nostris infundit et communicat, et nos manemus in Deo, de caritate eius participando, prout dicitur manere in sole, qui in lumine ipsius est. Ea intercedit nos inter et Deum relatio et necessitudo, qualis intercedit inter effectum et causam (5).

169. Inst. s. Augustinus passim docet, caritatem fraternam, qua proximum diligimus, esse caritatem in creatam et Deum. Sic enim scribit lib. VIII *De Trinit.*, cap. VII: *Qui proximum diligit, consequens est, ut et ipsam praecipue dilectionem diligat: Deus autem dilectio est, et qui manet in dilectione, in Deo manet. Consequens ergo est, ut praecipue Deum diligat.* Et lib. XV, cap. XIX, n. 37 clarius adhuc: *Si sancta Scriptura*, inquit, *proclamat: Deus ca-*

(1) *De carit.* disp. 3, sec. 1, n. 1.

(2) Loc. cit. Quocirca non nisi leviter neoterici quidam in Galliis praesertim et in Germania, qui plus aequo abhorrent a veterum scholasticorum qualitatis, habitus, accidentis, theoriis et vocabulis, instaurare conituntur Petri Lombardi placitum, freti auctoritate magni Petavii, qui tamen aperte eidem refragatur, uti eiusdem verbis patefecimus.

(3) Vide hanc rationem in s. Thoma, II. 2, q. 23, art. 2, eamque evolvit de Rubeis, l. c.

(4) Cf. De Rubeis l. c. Ratum tamen esse omnibus theologis debet, dari eiusmodi habitus, ex communi doctrina.

(5) Ad summum sequeretur ex Ioanneo testimonio, quod contendit Petavius, nempe praeter caritatis formam et habitum seu donum creatum, communicari nobis Spiritus sancti personam ac substantiam, prout hoc et similibus aliis Biblicis testimoniis vir doctus ostendere conititur.

ritas est, illaque ex Deo est, et in nobis id agit, ut in Deo maneamus, et ipse in nobis, et hoc inde cognoscimus, quia de spiritu suo dedit nobis, ipse spiritus est Deus caritas. Deinde si in donis Dei nihil maius est caritate, et nullum maius donum Dei est, quam Spiritus sanctus: quid consequentius, quam ut ipse sit caritas, qui dicitur et Deus et ex Deo? Ne vero dicatur s. doctorem eo tantum sensu appellasse Spiritum sanctum caritatem, quod eam producat in nobis, ibidem cap. XVII constituit, non ita Deum vocari caritatem prout in Ps. LXX Deus dicitur *spes nostra, aut patientia nostra:* quae a Deo sunt, sed eo sensu, quo dicitur *spiritus*, qui vere et formaliter Deus est. Ergo.

Resp. *D.* Docet Augustinus, caritatem fraternam esse caritatem et Deum, ut causam effectivam, *C.*; formalem, *N.*

170. Hinc per primum textum significat s. doctor, per dilectionem creatam nos manere in Deo, quia dilectio increata, quae Deus est, illam nobis confert et communicat, quia ab eo est.

171. In altero textu docet, utramque dilectionem a Deo esse, qui et dilectionem creatam nobis dat, et dilectionem increatam, quae est Spiritus sanctus, quem una cum creata pariter nobis dat, utpote eius donum per divinam missionem ad extra, ut suo loco exponunt theologi (1). Ex quo conficitur, praeter donum creatum seu caritatem, conferri nobis donorum omnium maximum, quod est Spiritus sanctus.

172. Quoad tertium obiectum textum significat, Deum non esse formalem patientiam aut spem, quod in Deo repugnat, cum pati et adoptionem boni non possessi optare nequeat, ac propterea illas virtutes in nobis ut causam effectricem producere; contra vero caritatem esse Deum formaliter et essentialiter, prout est spiritus qui ex dictis una cum caritate creata seu praeter eam nobis confertur.

173. II. Obi. 1° Si caritas, quae nobis inest, creata esset, non posset nos a vanitate liberare, nec Deo primae veritati coniungere, dicente apostolo Rom. VIII, 20: *Vanitati creatura subiecta est.* Sed caritas utrumque praestat. Ergo caritas, quae in nobis est, increata est, ac proinde Spiritus sanctus est. 2° Hinc s. Augustinus concludit, Spiritum sanctum ex eo, quod a vanitate nos separet, et Deo primae veritati connectat, non esse creaturam (2). 3° Accedit, quod omne creatum quaedam natura sit, ac propterea nequit esse principium meriti, uti adversus pelagianos docet ecclesia. Atqui caritas est principium meriti. Ergo creata non est.

174. Resp. ad 1. *D.* Vi sua, *C.*; virtute Dei agentis infiniti illi indita, *N.* Sic propositam difficultatem solvit s. Thomas, dicens: *Caritas operatur formaliter: efficacia autem formae est secundum virtutem agentis, qui inducit formam. Et ideo patet, quod caritas non est vanitas. Sed quia facit effectum infinitum, cum coniungit animam Deo, iustificando ipsam, hoc demonstrat infinitatem virtutis divinae, quae est caritatis auctor* (3).

175. Ad 2. *D.* Ex eo quod Spiritus sanctus duo illa efficiat vi sua concludit, non esse creaturam, *C.*; idem concluderet, si id operaretur

(1) In tract. *De Trinit.* Caritas substantialis est ad intra Spiritus sanctus, et per appropriationem ad extra, et insuper per missionem. Cf. de Rubeis, c. 3.

(2) Lib. 1 *De moribus Ecclesiae*, cap. 15, n. 23.

(3) II, 2, q. 23, art. 2 ad 3.

virtute alterius, uti operatur creata caritas, *N.*

176. Ad 3. *D.* Est natura, id est essentia quaedam divinitus data, *C.*; est natura propria virtute agens qua natura est, *N.* Hoc posteriori sensu si ageret natura, utique ab ipsa esset principium meriti, prout pelagiani effutiebant, ac proinde ecclesia merito eos damnavit. Ast in priori sensu donum Dei creatum est quidem caritas, sed qua homo praeditus non naturaliter sed supernaturaliter ac divinitus fit idoneus ad diligendum Deum, prout dono fidei fit idoneus ad credendum, dono spei ad sperandum, etsi dona creata sint, fatentibus ipsis adversariis.

PROPOSITIO II.

Caritas est vera et propria hominis cum Deo amicitia.

177. Ad huius propositionis intelligentiam et ad eiusdem veritatem adstruendam, amicitiae definitionem praemittimus, ut ex ipsius proprietatibus et conditionibus colligamus, in caritate eas reperiri, ac proinde vere et proprie caritatem esse amicitiam hominis cum Deo. Est igitur in communi acceptione amicitia: Amor benevolus et gratuitus, mutuus atque in aliqua honesta communicatione fundatus (1).

178. Dicitur 1° *Amor*, qui est genus; nec enim omnis amor est amicitia, licet omnis amicitia amor sit; propterea additur 2° *Benevolus et gratuitus*, quia per amicitiam non amatur propter bonum amantis, in quo consistit amor concupiscentiae in proprium commodum, saltem directe, sed propter bonum amati, in quo consistit amor benevolentiae. 3° Dicitur *mutuus*, quia amicus est amico amicus; si quis enim alium amet, a quo non redametur, erit *quidem amans*, non autem *amicus*. 4° Additur: *In aliqua honesta communicatione fundatus;* necesse est enim, ut amici conveniant in aliquo bono, ex quo amicus dicitur *alter ego* (2). Atque hae quidem praecipuae amicitiae conditiones sunt, quibus a nonnullis aliae adiici solent, exempli causa, quod eiusmodi amor debeat esse manifestus, seu utrique cognitus, inter aequales, item singularis, id est, ut non sit cum pluribus, secretorumque etiam communicatione constans ac certus. Verum hae aliaeque eiusmodi implicite saltem in recensitis continentur ac supponuntur, aut conferunt ad amicitiae perfectionem.

179. Ad haec triplex distinguitur amicitia, scilicet *utilis*, in qua amicus *etiam* propter utilitatem amantis diligitur: *delectabilis* propter voluptatem, quae ex ea percipitur; *honesta* in qua amicus per se et propter honestatem amatur. Haec porro sola est perfecta et simpliciter amicitia, quia haec sola coniungit per veram benevolentiam (3).

(1) Cf. De Rubeis in op. cit. *De carit.* cap. 43, ubi ex s. Thoma, ceterisque theologis, quae ad amicitiae notionem requiruntur, luculenter et fuse exponit.

(2) Praeclare s. Thom. II, 2, q. 23, art. 1, ubi inquirit: *Utrum caritas sit amicitia?* Resp.: « Non quilibet amor habet rationem amicitiae; sed amor, qui est cum benevolentia; quando scilicet sic amamus aliquem, ut ei bonum velimus... Sed nec benevolentia sufficit ad rationem amicitiae; sed requiritur quaedam mutua amatio, quia amicus est amico amicus. Talis autem mutua benevolentia fundatur super aliquam communicationem. Cum ergo sit aliqua communicatio hominis ad Deum, secundum quod nobis suam beatitudinem communicat, super hanc communicationem oportet aliquam amicitiam fundari. De qua quidem communicatione dicitur I. Cor. 1, 9: Fidelis Deus per quem vocati estis in societatem Filii eius. Amor autem super hanc communicationem fundatus, est caritas; unde manifestum est, quod caritas amicitia quaedam est hominis ad Deum.

(3) Cf. Suarez, disp. 3, sect. 2, n. 3.

180. Si igitur ostenderimus, in caritate has conditiones omnes inveniri, rite concludemus, in caritate vere et proprie amicitiam haberi, imo vel ipsam caritatem veram ac propriam amicitiam esse. Ita autem rem se habere, tum ex sacris Litteris, tum ex applicatione recensitarum conditionum facile ostenditur.

181. Ac primo ex utriusque testamenti auctoritate discimus, in caritate constitutos *amicos* Dei vocari. Etenim Ps. CXXXVIII, 17 legitur: *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus.* Cantic. V, 1: *Comedite, amici.* Sapient. VII, 14: *Quo* (thesauro sapientiae) *qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei.* Isaiae XLI, 8: *Semen Abraham amici mei.* Ac Iudith VIII, 22: *Abraham .... Dei amicus effectus est.* Sic in novo testamento legitur Iac. II, 23: *Abraham .... amicus Dei appellatus est.* Luc. XII, 4, ait Christus discipulis suis: *Dico vobis amicis meis,* item Io. XV, 15: *Iam non dicam vos servos . . .. Vos autem dixi amicos;* perinde ac si diceret: Quamvis natura sitis servi, gratia autem quae excellentior est, facti estis amici; ut alia similia praeteream.

182. Recensitas porro conditiones amicitiae in iustis reperiri, patet, singulas percurrendo. Ac primo quod amor sit benevolus, exinde patet, quod, qui ex caritate diligit, Deum propter se diligit, ac proinde benevolentiae amore. Quod insuper mutuus sit amor, manifestum est, quia per caritatem diligimus eum qui nos diligit, iuxta illud Prov. VIII, 17: *Ego diligentes me diligo;* et Io. XIV, 21: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo; et ego diligam eum.* Demum hunc ipsum caritatis amorem in honesta communicatione fundari, ex se liquet, quia fundatur in eo, quod Deus se ipsum communicet nobis, hic per gratiam, in futuro per gloriam (1). Sane quod in praesenti etiam habeatur haec Dei nobiscum communicatio, sacrae Litterae aperte testantur; Prov. siquidem VIII, 31, de se dicit divina sapientia: *Deliciae meae esse cum filiis hominum.* Bar. III, 38: *In terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Io. XIV, 23: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit: et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Rom. VIII, 32: *Deus,* inquit apostolus, *pro nobis tradidit illum* (Filium suum) et *cum illo omnia nobis donavit,* ut ita *efficiamur,* ut loquitur Petrus, *divinae consortes naturae* (II Petr., I, 4).

183. In his vero praecipuis amicitiae conditionibus reliquas implicite saltem contineri, quas alii ad perfectionem eius requirunt, apertum est. Etenim quod eiusmodi amor sit *manifestus seu utrique cognitus*, ex parte Dei, qui intuetur cor nostrum, nemini dubium esse potest; ex parte vero nostra novimus ex eo, quod Deus pronuntiaverit, se diligere eos qui eum diligunt, et ex miro quandoque affectu, quo nos perfundit, aliisque eiusmodi signis. Itidem quod debeat esse inter aequales, neque hoc desideratur, si duplex distinguatur aequalitas, *paritatis* et *proportionis.* Profecto nulla est aut esse potest per se aequalitas inter Deum et creaturas, quae infinite ab eo distant; attamen prout hae sunt elevatae per gratiam, et consortes effectae divinae naturae, quamdam acquirunt proportionem quae sufficit, ut illa habeatur ami-

(1) Quae quidem omnia perbelle complexus est s. Thomas in rhythmo pro solemnitate Corporis Christi dicens:

Se nascens dedit socium,
Convescens in edulium,
Se morions in pretium,
Se regnans dat in praemium.

citia quae *excellentiae* vocatur, et intercedit inter personas diversae conditionis et dignitatis, ut filii erga patrem, uxoris erga virum suum, et ita porro. Adest pariter conditio singularitatis, quia licet ad multos se extendat caritatis amor, attamen primario est ad unum in quo et per quem cetera diliguntur. Imo adest etiam ex parte Dei eiusmodi proprietas singularitatis erga nos, cum ipse unumquemque in particulari diligat, perinde ac si solus esset. De secretorum communicatione non est quod ambigamus; siquidem nos filiali confidentia coram Domino omne cor nostrum pandimus, intimos cordis nostri affectus aperimus, necessitates nostras ostendimus; Deus vero ad cor nostrum loquitur, veritates suas clariori lumine revelat amicis suis (1); atque hinc Christus discipulis suis Io. xv, 15, inquit: *Iam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Certus pariter est ea certitudine morali quae in his haberi potest, et coniecturis probabilibusque signis, fiducia, quam quis experitur, quo sensu exclamabat apostolus: *Certus sum quia neque mors, neque vita.... neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quae est in Christo Iesu Domino nostro* (Rom. VIII, 38, 39). Neque enim alia ratione certi efficimur amicitiae humanae. Insuper hac amicitia unio habetur animorum, adeo ut ex duobus unum fiat cor et anima una, iuxta illud apostoli I, Cor. VI, 17: *Qui adhaeret Domino, unus spiritus est.* Demum stabilis est, et quantum est ex se, perpetua, uti Oseae II, 9: *Sponsabo te mihi in sempiternum.*

184. Demum hoc habet etiam amicitia haec divina, ut sit utilis et dulcis; licet enim vera amicitia non sit propter utilitatem vel voluptatem, hos tamen fructus secum affert, utilitatem quidem propter communicationem: nam omnia inter amicos sunt communia; voluptatem vero propter intimam unionem, ex qua oritur ineffabilis illa dulcedo, quae in conversatione percipitur, ac omnem sensum superat, iuxta illud Sap. VIII, 16: *Intrans in domum meam, conquiescam cum illa; non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec taedium convictus illius, sed laetitiam et gaudium;* et iterum 18: *In amicitia illius delectatio bona.* Item XII, 1: *O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus!* Et Cantic. II, 3: *Fructus eius dulcis gutturi meo.*

185. Ex quibus omnibus aperte conficitur, non modo vere et proprie inter Deum et animas caritate praeditas intercedere amicitiam, verum etiam eam esse omnium perfectissimam, quia licet in aequalitate aliquantum deficiat, in reliquis conditionibus quamcumque humanam amicitiam longe multumque superat.

Difficultates.

186. Obi. Plura obstant, quominus haec cum Deo amicitia admittatur. Nam 1° Deus sicut omnia propter se operatur, ita non amat nisi propter se; 2° Deus praeterea nullo bono nostro indiget, ut ei bonum velle possimus; 3° Deus est Dominus, nos servi; iam vero inter do-

(1) Non pauca suppetunt sacrae Litterae documenta de intima Dei cum servis suis communicatione et interna locutione, seu de commercio Dei cum animabus iustis; sic Oseae II, 14: *Ducam eam,* ait Deus, *in solitudinem, et loquar ad cor eius.* Et psalm. 118, 18: *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua;* et ita porro.

minum et servum vera non datur amicitia; 4° Amicitia non nisi inter aequales dari potest, dicente s. Hieronymo: *Amicitia pares aut accipit aut facit* (1): porro aequalitas in hominibus cum Deo nulla esse potest; 5° Homines Deum diligunt propter mercedem, adeoque non ex amicitia: diligunt enim ut eo fruantur; 6° Praesertim cum Christus Luc. XVII, 10 nos docuerit: *Cum feceritis omnia quae praecepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus.* Ac proinde nihil possumus Deo offerre, quod iam debitum ei non sit. Ergo.

187. Resp. *N. A.* Quandoquidem autem aut omnia aut pleraque ex iis, quae obiiciuntur preoccupata iam fuerint in probationibus, hinc breviter nos ab his extricabimus. Itaque.

188. Ad 1. prob. *D.* Deus omnia fecit propter se, ac propter se amat tanquam ultimum finem, *C.*; ut ei aliquid proveniat, *N.* Deus enim amat nos ut finem, *cui* vult bonum, seu ad utilitatem nostram.

189. Ad 2. *D.* Nullum bonum ei velle possumus essentiale et intrinsecum, *C.*; accidentale et extrinsecum, *N.* Nam multiplici ratione possumus gloriam eius ex gratia sua promovere desiderio, gaudio de eius beatitudine, item opere, praedicatione, exemplo, ut ab omnibus cognoscatur, ametur, honoretur: hinc quotidie dicimus: *Sanctificetur nomen tuum;* demum aliis propter eum benefaciendo.

190. Ad 3. *D.* Nulla est amicitia inter dominum et servum, quamdiu servus est, *C.*; cum liber et filius adoptivus effectus est, ut omnes iusti, *N.*

191. Ad 4. *D.* Inter aequales aequalitate aut paritatis aut proportionis, *N.*; solius aequalitatis absolutae, *C.* Nam, ut vidimus, datur etiam amicitia excellentiae. S. autem Hieronymus non loquitur de amicitia proprie dicta, sed de ea, quae ratione morum etiam homines pravos coniungere solet, de qua nos non disserimus.

192. Ad 5. *D.* Homines Deum diligunt, ut eo fruantur in gloriam suam, *C.*; ut mercedem aeternam, subd.; ut glorificetur Deus, *C.*; in proprium commodum, *N.* Hac enim postrema ratione iam esset amor concupiscentiae; qui ex benevolentia ac propterea ex amicitia Deum diligunt, etiam in propria beatitudine supremam Dei gloriam intendunt (2).

193. Ad 6. *D.* Ex nobis servi inutiles sumus, *C.* Ex Dei gratia et virtute, *N.*; sic enim possumus effici *vas utile Domino*, ut loquitur apostolus (3). Quamvis vero omnia nostra debita Deo sint etiam ex eo, quod dona sunt Dei; tanta est tamen bonitas eius, ut velit esse merita nostra, quae sunt dona sua, ut loquitur concilium tridentinum (4).

PROPOSITIO III.

Una eademque est caritas in via et in patria.

194. Propositio intelligi debet ita, ut una quoad substantiam in specie et numero caritas sit tum in via, tum in patria, idque tum respectu habitus, tum respectu actus. Quae quidem doctrina certa et communis est apud theologos, ac valde confert ad huius virtutis excellentiam et commendationem. Quoniam ve-

(1) Comment. in cap. 7 Mich. lib. 2, col. 517, ed. Vallars.

(2) Cf. Salmantic. tract. 19 *De carit.* disp. 1, dub. 3, § 3, n. 28, apud de Rubeis, pag. 281.

(3) II. Tim. II, 21.

(4) Sess. 6, cap. 16. Ad maiorem dictorum illustrationem, cf. Esparza in op. cit. *Quaestiones de virtut. theologicis*, q. 59.

ro bifariam distinguitur, ita eius veritas per partes est evincenda. Confundi autem nequit haec nostra propositio cum alia quaestione, quae inter theologos agitatur, utrum nempe aliqua caritas viae possit aequalis esse caritati patriae : de qua, vindicata hac propositione, quid verisimilius censendum sit, aperiemus.

195. Igitur ad priorem propositionis partem quod attinet, quae est de caritatis habitu, unam eandemque tum specie, tum numero caritatem esse, quae iustis inest in via ac beatis in patria, constat ex apostolo, qui I. Cor. XIII, 8 scribit: *Caritas nunquam excidit*. Si nunquam excidit, perseveratura itaque est in vita beata, et quidem eadem specie et natura, prout habetur in via, ad discrimen ceterorum donorum, quae ibidem recenset, cognitionis praesertim et scientiae, quae posthac cessabunt sive excident, adiiciens: *Scientia destruetur..... Evacuabitur, quod ex parte est*. Loquitur autem de scientia et cognitione, qua praediti in via sumus; ergo pariter loquitur de caritate, quae in praesenti vita habetur (1). Hinc etiam s. Thomas haec apostoli verba exponit de *permanentia* eius caritatis, quae in praesenti vita viget, perficieturque in vita beata (2).

196. Quod si caritas quoad habitum una eademque est in via et in patria, eadem quoque sit oportet quoad actum ontologice spectatum, atque in sua substantia. Siquidem multiplex ratio id suadet. Ac 1° quia actus consentaneus est habitui, ex quo procedit; ergo, ubi idem est specie habitus caritatis seu amoris, idem debet esse actus (3). 2° Quia ratio formalis caritatis seu amoris eadem est tum in via, tum in patria, nempe summa seu absoluta et supernaturalis bonitas Dei. Ergo idem est actus, sive in via, sive in patria elicitus ex tali formali ratione. 3° Quia amor *ut sic* nullam essentialem imperfectionem involvit; proinde non differt nisi in accidentali perfectione quatenus diversa est in via ac patria cognitio ipsius obiecti, ideoque et applicatio obiecti amabilis, quod in via cognoscitur per fidem, in patria per visionem : unde etiam actus in via est liber, in patria vero necessarius et intensior. Ceterum obiectum sive materiale, sive formale, quod amatur idem est; 4° quia praesentia vel absentia obiecti amabilis nihil refert ad amorem, cum ab iis abstrahat amor, ac tendat ad obiectum secundum se. Differentiae autem, quae inter absentiam et praesentiam reperiuntur, sunt desiderium et delectatio. Verum desiderium, quod oritur ex obiecti absentia, et spes, imo fiducia illud assequendi, extrinseca sunt amori et essentialem includunt imperfectionem, nec proinde manent in patria, amor vero permanet, utpote continuatio et perfectio eius, qui habetur in via (4).

197. Atque haec doctrina est, quam communi consensu theologi adstruunt cum Magistro sententiarum (5), ac divo Thoma qui expres-

(1) Cf. in hunc loc. Estium.

(2) Lect. 3 in cap. 13, ep. I ad Cor.

(3) Quod si unus idemque habitus habere potest actus specie diversos, id solum contingit, cum actus diverso modo participant rationem formalem obiecti; quod in hac, de qua agimus, materia locum non habet.

(4) Cf. Suarez *de carit.* disp. 3, sect. 3, n. 2, qui ut probabilissimum habet, de facto beatissimam Mariam in suo transitu actum divini amoris non interrupisse, sed eundem numero in patria, quamvis necessario et maiori perfectione, continuasse.

(5) In 3, dist. 31.

se scribit : *Caritas est amor, de cuius ratione non est aliqua imperfectio: potest enim esse et habiti et non habiti, et visi et non visi, unde caritas non evacuatur per gloriae perfectionem, sed eadem numero manet* (1). Eadem est doctrina patrum, quorum una vox est, eandem manere caritatem in via et in patria, disserentium potissimum de eiusdem actibus, atque adductum Pauli testimonium exponentium. Hinc praeclare s. Augustinus: *Si enim amamus*, inquit, *quem non videmus, quomodo amaturi sumus, cum viderimus* (2)?

Difficultates.

198. Obi. Deus clare vel obscure visus diversas inducit rationes formales diligibilis obiecti. Etenim 1° diversa cognitio Dei, naturalis vel supernaturalis, intellectualis vel imaginaria, parit actus amoris diversos. 2° Sane diversitas rationis formalis habetur in patria, ubi uno actu Deus videtur et tota eius perfectio, ac propterea adaequate uno actu propter omnem rationem amatur, qua amabilis est; etsi non totaliter; contra vero in via, cum non concipiatur Deus uno actu, sed sub ratione unius vel alterius attributi per singulos actus, quasi inadaequate amatur. 3° Amor patriae est necessarius, liber vero est amor viae. 4° Hi duo amores viatoris et comprehensoris distincti fuerunt in anima Christi; distincti ergo sunt amor viae et patriae. 5° Accedit, quod, si una eademque specie et numero esset caritas viae cum ea, quae est in patria, caritas viae posset pervenire ad eandem perfectionem, quae est in patria : quod nemo dicet. Ergo.

199. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. Negamus paritatem; nam utriusque amoris naturalis et supernaturalis differentia non tantum desumitur ex cognitione, sed ex diverso potius obiecto formali, quia semper diversa ratio boni per has cognitiones applicatur (3). Amatur Deus naturaliter cognitus seu in suis effectibus amore naturali; amatur vero supernaturali ratione in se ipso creditus per fidem in via et visus in patria; quae posterior diversitas attingendi obiectum amatum non constituit diversum obiectum formale, quod semper idem est ac permanet.

200. Ad 2. *Neg.* Etenim etiam in via potest a nobis Deus amari unico actu non propter hoc vel illud attributum, sed simpliciter, prout est summum bonum infinite perfectum et sufficiens ad hominem beandum : ac proinde unum idemque est obiectum formale caritatis; ideoque eiusdem speciei actus et in via et in patria.

201. Ad 3. *D.* Et eiusmodi discrimen actus liberi ac necessarii est accidentale, *C.*; est essentiale respectu obiecti amati, *N.* Iam vero, ut toties inculcavimus, ab obiecto formali desumitur species actus.

202. Ad 4. *D.* In Christo viatore et comprehensore duo hi amores fuerunt distincti ontologice ac materialiter in se spectati, *C.*; ratione eiusdem formalis obiecti non fuerunt eiusdem speciei, *N.* Ita etiam una eademque quoad essentiam est caritas in viatore ac in beato (4).

(1) I, 2, q. 67, art. 6.

(2) Enarr. in psal. 91, n. 1. Alia plura eiusdem s. Doctoris in hanc rem testimonia cf. apud Mayr op. cit. mens. novemb. et decemb.

(3) Cf. Suarez *De anima*, lib. 2, cap. 2: *Utrum potentiae distinguantur per actus et obiecta*, n. 8, seqq.

(4) Idem eximius auctor *De incarnat.* disp. 39, sect. 2, n. 3, scribit, habuisse Christum actum amoris Dei liberum, su-

203. Ad 5. *Neg.* Caritas enim viae, uti respondit s. Thomas, per augmentum non potest pervenire ad aequalitatem patriae propter differentiam, quae est ex parte causae. *Visio enim est quaedam causa amoris.... Deus autem quanto perfectius cognoscitur, tanto perfectius amatur* (1). Igitur caritas patriae differt solum quoad perfectionem a caritate viae, non autem quoad substantiam : nempe quantitas quidem caritatis aliaeque accidentales proprietates pendent a causa producente, quae est in patria perfectior, scilicet visio ; sed substantia seu essentia pendet ab obiecto et causa formali, quae est eadem.

PROPOSITIO IV.

Habita ratione status, caritas patriae est absolute perfectior caritate viae.

204. Hoc loco utile arbitramur expendere alteram quaestionem, quae inter scholasticos agitatur: utrum nempe aliqua caritas viae possit esse aequalis caritati patriae? Cui quaestioni, supposita distinctione inter *statum viae et statum patriae*, omnes respondent, habita ratione status, caritatem patriae excedere quamcumque caritatem viae, qua ratione illa debet absolute perfectior dici. Idque evincunt tum ex apostolo I. Cor. XIII, 11 scribente: *Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi quae erant parvuli.* Quibus verbis ipse statum viae comparat pueritiae, statum autem patriae comparat aetati perfectae, seu virili, ut significet, quanto unus alterum perfectione antecedat. Evincunt autoritate patrum, qui hac in re omnino conveniunt. Satis hic sit speciminis ergo unius alteriusve testimonium proferre. S. Augustinus, qui in libro de *moribus ecclesiae* caritatem viae vocaverat *plenam* in lib. I, *Retract.* id emendat, dicens: *Melius diceretur sincera, quam plena, ne forte putaretur caritatem Dei non futuram esse maiorem, quando videbimus facie ad faciem* (2); et iterum in lib. II, *Contra adversarium legis*, explicans illud Matth. XI, 11: *Qui autem minor est in regno coelorum, maior est illo*, de regno coelesti subdit: *Et quia ibi sunt sancti angeli quilibet ex eis minor, maior est utique quolibet sancto et iusto portante corpus quod corrumpitur et aggravat animam* (3). Et s. Hieronymus: *Nos*, inquit, *simpliciter intelligamus, quod omnis sanctus, qui iam cum Deo est, maior sit illo, qui adhuc consistit in praelio* (4); et ita reliqui.

205. Idipsum ostendunt multiplici ratione, ac 1° quod in patria caritas sit in statu connaturali, hic vero adhuc peregrinatur a Domino. 2° Quod in patria caritas a nullo possit retardari neque impediri, quominus toto conatu feratur in Deum, quod non accidit in via. 3° Quod caritas in patria omnia referat in eum, quem summe diligit, ita ut omnem vel levissimam incuriam seu defectum excludat, secus ac in via locum habet. 4° Quod amicitiae ratio conditiones o-

pernaturalem, et elicitum a caritate, et ab amore beatifico distinctum, et illo actu perfectissime meruisse. Quod confirmat auctoritate s. Thomae dicentis, meruisse Christum per caritatem, non in quantum erat caritas comprehensoris, sed in quantum erat viatoris. Ipsum cf. ibi collat. cum iis quae scribit *De carit.* disp. 3, sect. 3, n. 8.

(1) I, 2, q. 67, art. 6 ad 3.

(2) Cap. 7, n. 4.

(3) Cap. 5, n. 20.

(4) Comment. in Matth. lib. 2, cap. 11, v. 11.

mnes, quae ad eam requiruntur, egregie attingat, summam videlicet coniunctionem, eximiam communicationem, aliasque superius enumeratas. Ex quibus omnibus conficitur, habita ratione status, longe superare caritatem in vita beata illam, quae in via haberi possit, idque ob perfectiones, quae gloriae statui adnexae sunt ob visionem Dei intuitivam (1).

206. Dixi: *Ob perfectiones illius status proprias:* nam sub aliis adspectibus rem spectando, quod attinet ad habitum vel actum caritatis, qui haberi possit in via comparate ad habitum et actum in patria, plerique theologi statuunt 1° caritatem viae et patriae habere posse gradus intensionis eiusdem omnino rationis inter se; 2° posse esse intensiorem in aliquo viatore, quam in aliquo comprehensore (2); 3° imo probabile censent, in uno eodemque subiecto caritatem patriae non excedere in intensione summam caritatem, quam in via habuit. Idque praesertim, si merita mortificata reviviscunt, prout tenet communis sententia, et augmentum gratiae, quod respondet actibus remissis, statim detur, prout pariter communius admittitur.

207. Atque haec sunt theologorum placita, quae maiori minorive probabilitate nituntur adstruere, prout rationum momenta, quibus ea fulciunt, ad persuadendum valent, quaeque hic non expendimus, ne nimium res protrahatur, quum ad ulteriora sit properandum. Qui his delectatur, poterit apud scholasticos sitim suam explere (3).

PROPOSITIO V.

Caritas est virtutum omnium praestantissima.

208. Partim dogmatica, partim scholastica est enunciata propositio. Qua dogmatica est, ferit lutheranos et calvinistas, qui ut extollant fidem, quam solam instificantem, et quidem formaliter iustificantem dicunt, deprimunt caritatis virtutem, perinde ac si haec minus efficax minusque nobilis esset. Qua vero scholastica est propositio, ea adstruitur adversus theologos illos, qui, licet fateantur in genere moris ac virtutis caritatem virtutibus aliis antecellere, attamen in se, in natura sua, seu ontologice spectatam contendunt eam cedere virtuti fidei, quae excellentior est, utpote quae spectat ad intellectum, qui praestantior voluntate est, ad quam pertinet caritas.

209. At sub quocumque respectu ceteris virtutibus omnibus praecellere caritatem, tum Scripturae ac patres docent, tum ratio ipsa suadet. Ac primo apostolus I. Cor. XIII, 13 instituta comparatione caritatis cum fide et spe, absolute pronuntiat: *Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria haec; maior autem horum est caritas.* Imo vero ibidem sine caritate nihil prodesse

(1) Cf. Suarez loc. cit. et s. Thomam II, 2, q. 24, art. 7 ad 3, et 3 part. q. 7, art. 2 ad 3, ubi eam dicit *quantitatem alterius rationis*, quae non potest esse in caritate viae, quia haec omnia intime oriuntur ex visione.

(2) Sane, scribit Suarezius: *De Beata Virgine id certissimum est*, prout late ostendit in tom. 1. *De vita Christi*, disp. 3, sect. 4.

(3) Suarez *De carit.* disp. 3, sect. 4. Vega lib. 13 in *Tridentin.* cap. 15. Ripalda, *De virtut. theolog.* disp. 38, sect. 4, qui cum communi theologorum doctrina pro certo habet, caritatem habitualem patriae et viae in eodem subiecto esse paris intensionis. Quoad caritatem vero actualem censet, saltem *gradualiter*, ut ipse loquitur, amorem patriae in eodem subiecto intensiorem amore viae esse. Et ita porro.

virtutes reliquas, quas recensuit, affirmat. Rursum Rom. XIII, 10 scribit: *Plenitudo ergo legis est dilectio.* Et Coloss. III, 14: *Super omnia autem haec, caritatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Ac I. Timoth. I, 5: *finis autem praecepti est caritas.* Iam vero finis perfectior est eis, quae sunt ad finem. Hinc Dei dilectionem Matth. XXII, 38 edixit Christus: *Hoc est maximum et primum mandatum.*

210. Nec aliter unquam docuere patres. S. Hieronymus: *Quae alia*, scribit, *inter fructus Spiritus debuit tenere primatum, nisi caritas, sine qua virtutes ceterae non reputantur esse virtutes, et ex qua nascuntur universa, quae bona sunt* (1)? S. vero Augustinus supereminentem vocat viam caritatis: *Quia*, inquit, *nihil invenis eminentius caritate in divinis libris* (2), et iterum: *Nullum est isto dono* (caritatis) *excellentius. Solum est, quod dividit inter filios regni aeterni et filios perditionis aeternae. Dantur et alia per Spiritum sanctum munera: sed sine caritate nihil prosunt* (3). Et alibi: *Quanta est ista caritas, quae si defuerit, nihil prosunt omnia?..... Quidquid dederit* (Deus), *minus est* (4). Ut alia eiusmodi non pauca praeteream (5). Nihil igitur exploratius in sacris litteris et patrum doctrina, quanto caritatis virtus ceteris sit nobilior.

211. Verum idipsum suadet theologica ratio, eaque multiplex. Ac 1° exploratum est in theologicis disciplinis principium, excellentiam virtutum ab ipsarum formali motivo desumendam esse (6). Iam vero formale caritatis motivum virtutum ceterarum omnium motivum excedit. Etenim, ut nihil dicam de virtutibus moralibus, fidei et spei motivum versatur circa Deum, quatenus ex ipso nobis provenit bonum, aut scilicet cognitio veri, aut adeptio boni; ast caritas circa Deum, quatenus est absolute in se et sibi bonus, versatur, et ut in ipso sistat, ut loquitur angelicus: atque ideo caritas attingit magis Deum; siquidem est magis bonum magisque communicabile sibi quam possit esse respectu nostri (7). 2° Prior ratio bonitatis et amabilitatis convenit Deo ex parte obiecti independenter a libera sua voluntate, ac proinde ut bono omnium incircumscripto ac indefinito. Posterior vero ratio bonitatis, utpote quae potest proxime terminare fidem et spem, convenit Deo dependenter a libera sua voluntate, quatenus ipsam determinanti et coarctanti ad quosdam peculiares effectus, uti ex facto ipso apparet relate ad eosdem (8). Praeterea fides et spes a caritate informantur, iam vero principium, quod informat, excellentius est eo, quod formam recipit, ex qua vivit. 3° Fides et spes consistere possunt cum peccato et statu peccati, caritas vero non item. Concludendum propterea est, caritatem virtutum omnium reipsa praestantissimam ac maximam esse (9), sive Scripturam sive patres, sive denique intimam rationem expendamus.

Difficultates.

212. I. Obi. Quod iustificat, vitam tribuit, atque victoriam, quod

(1) Comment. in Epist. ad Galat. exponens illud apostoli: *Fructus autem Spiritus sunt, caritas, etc.*
(2) Serm. 1 in ps. 103, n. 9.
(3) *De Trinit.* lib. 15, cap. 18, n. 42.
(4) Serm. 145, n. 4.
(5) Alia plura vide apud Mayr, tom. 2 mens. novemb.
(6) Cf. s. Thom. II, 2, q. 23, art. 6.
(7) Loc. cit.
(8) Esparza op. cit. q. 40, pag. 390, seqq.
(9) S. Thom. II, 2, q. 23, art. 6 ad 1,

efficit sanctos superiores difficultatibus omnibus, profecto ceteris omnibus praecellit. Porro talis est fides iuxta sacras Litteras. Nam Rom. v, 1, legitur: *Iustificati ergo ex fide;* et Rom. i, 17: *Iustus autem ex fide vivit;* et I, Io. v, 4; *Haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra.* Hebr. vero xi, 33.: Sancti *per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones.* Eo vel magis quod caritas I, Tim. i, 5, dicatur: *De fide non ficta.* Ergo fides utpote causa nobilior est caritate, quae eius effectus est.

213. Resp. *D.* mai. Quod recensita omnia producit immediate et formaliter, *C.*; mediate atque ut dispositio, *N.* Iam vero fidem tanquam dispositionem iustificare, suo loco ostendimus (1). Victoriam vero tribuit sanctosque superiores difficultatibus efficit fides, prout informata caritate est, non autem ex se sola, et prout mortua est. Quod enim mortuum est, nec vitam, neque actionem, ideoque neque virtutem, neque vires ad vincendum tribuere potest, uti ex se patet. Et sic intelligenda sunt testimonia ex sacris Litteris obiecta. Quod si caritas *de fide non ficta* esse dicitur, ideo est, quia caritatem fides praecedit, cum sine fide caritas haberi non possit. Caritas autem in sincera fide fundata, est *finis praecepti* seu legis, ut ibidem dicit apostolus, ut illa, ad quam tanquam ad fastigium et perfectionem omnia referuntur, ideoque tanquam ad nobiliorem virtutem (2).

214. II. Obi. 1. Illud, per quod aliud operatur, eo inferius est, prout minister, per quem operatur dominus, inferior domino est. Iam vero iuxta apostolum ad Gal. v, 6.: *Fides... per caritatem operatur;* caritas igitur fide inferior censenda est. 2° Nemo negaverit, actum martyrii actum esse fortitudinis praestantissimum atque, ut illum vocat s. Thomas, excellentissimum (3). Praestat igitur fortitudo ipsi caritati.

215. Resp. ad 1. *D.* Si fides operaretur per caritatem, tanquam per instrumentum, ut dominus per servum, *C.*; si operetur sicut per formam, ut operatur corpus per animam, *N.* Ita s. Thomas scribens: *Fides non operatur per dilectionem sicut per instrumentum, ut dominus per servum, sed sicut per formam propriam, et ideo ratio non sequitur* (4).

216. Ad 2. *D.* Martyrii actus est actus fortitudinis excellentissimus, quatenus est imperatus a caritate, *C.*; in se, *N.* Ut enim animadvertit in obiecto loco angelicus doctor, tolerare mortem, qui est actus elicitus a fortitudine, non est laudabile secundum se, sed solum quatenus ordinetur ad aliquod bonum. Et si mors toleretur propter Christum et fidem eius, qualis est actus martyrii, est opus praestantissimum: non quatenus elicitus a fortitudine, sed quatenus imperatus a caritate: *Martyrium enim inter omnes actus virtuosos, maxime demonstrat perfectionem caritatis, quia tanto magis ostenditur aliquis aliquam rem amare, quanto pro ea rem amatam contemnit, et rem magis odiosam eligit pati* (5). Ex his patet excellentiam martyrii ab excellentia caritatis esse petendam. Quae ut clarius intelligantur, iuverit animadvertere, quod mortem tolerare propter bonum aliquod *ex motivo vir-*

(1) In tract. *De grat.* part. 2, cap. 2. art. 2, prop. 3.

(2) Cf. Estium in hunc loc. Cf. etiam Card. Gotti *De carit.* q. 2, dub. 1, § 3.

(3) II, 2, q. 124, art. 3.

(4) II, 2, q. 23, art. 6 ad 2.

(5) Ita s. Thom. loc. cit.

tutis qualiscumque sit actus excellens. Sed ut sit actus excellentissimus, motivum illud debet esse caritas; et hoc etiam verum est de martyrio. Nam pro Christo et eius fide aliquis mori potest, impellente spe vel salutari timore, non caritate, et erit actus excellens, sed non excellentissimus, nisi toleretur ex caritate.

217. III. Obi. 1° Virtus et actus potentiae perfectioris est perfectior quam virtus et actus potentiae minus perfectae circa idem obiectum. Potentia autem intellectiva, ad quam pertinet fides, perfectior est voluntate quam intellectus dirigit, et ad quam pertinet caritas; utraque autem virtus versatur circa idem obiectum, nempe Deum. 2° Illud est optimum, cuius oppositum est pessimum. Infidelitas autem est pessimum vitiorum et peccatorum, ac magis peccatori nocet quam odium Dei, prout communiter cum *D.* Thoma sentiunt theologi. Ergo fides est melior et maior virtus quam caritas (1).

218. Resp. ad 2. *D.* Si eiusmodi potentiae intellectus et voluntas eadem ratione suum attingant obiectum, excellentioris potentiae excellentior est virtus, *C.*; si excellentiori ratione inferior potentia prae superiore obiectum attingat, *N.* Per se utique intellectus excellentior est voluntate, adeoque, ceteris paribus, eius virtus potior est virtute voluntatis. Verum si intellectus non attingat obiectum suum prout in se est, sed obscure per aliud, ex. gr. per creaturas, vel per fidem, et in aenigmate, abstractive, prout nunc attingit Deum, profecto vincitur a caritate, quae attingit Deum prout est in se, seu ratione bonitatis suae absolutae, ac proinde maior est caritas quam fides. In patria vero potior est visio beatifica, quam beatifica dilectio, quia visio praeeminet, quatenus possessiva Dei per participationem perfectam eiusdem, ut est in se, ac dirigit dilectionem (2).

219. Ad 2. *D.* In iis, quae habent rationem finis, *C.*; in iis, quae solum habent rationem medii ad finis consecutionem, *N.* Procul dubio, quod fini optimo opponitur pessimum est; non item vero quod mediis opponitur; quoad haec enim illud pessimum est, quod opponitur infimo medio, a quo cetera media ac finis ipse dependent. Sic ex fide pendent spes et caritas, sine qua istae subsistere non possunt; secus est de fide, quae esse potest sine spe et caritate. Cum igitur infidelitas opponatur fidei, quae medium est ad habendam spem et caritatem, si ea destruatur, impeditur spes et caritas, ideoque, sin minus *in se*, saltem *quoad effectus* infidelitas peior est odio Dei, quod opponitur quidem caritati, attamen consistere potest cum fide et spe (3).

220. Hac ratione solvuntur, quae a nonnullis theologis opponebantur adversus thesim, quam cum s. Thoma adstruximus de caritate excellentissima virtutum ex eo quod fides spectet ad intellectum, quae nobilior est facultas quam voluntas, ad quam spectat caritas. Hinc s. Thomas: *Eorum*, inquit, *quae infra nos sunt, nobilior est cognitio, quam dilectio. Propter quod philosophus in 6 ethic. cap. 7, et 12, praetulit virtutes intellectuales moralibus: sed*

(1) Hae sunt rationes, quibus permoti nonnulli scholastici praeferendam fidem caritati duxerunt, saltem physice et ontologice spectatam.

(2) Esparza op. cit. q. 40, ubi egregie evolvit, quae nos hic vix attigimus ad finem nostrum.

(3) Odium Dei in se spectatum, uti paulo post dicemus, omnium peccatorum pessimum est.

eorum, quae sunt supra nos, et praecipue Dei dilectio cognitioni praefertur; et ideo caritas est excellentior fide (1).

CAPUT V.

DE NECESSITATE ET PRAECEPTO CARITATIS

221. Dum de caritatis necessitate sermonem instituimus, haud intendimus Baii ac iansenistarum refellere errores, quum hoc alterius loci sit. Nobis hic satis est illos capitulatim exponere, ut pateat, quam a vero ipsi abscesserint, dum ultra, quam par fuerit, voluerint caritatis necessitatem protendere.

222. Baius igitur, novatorum vestigiis insistens, nullum dari medium constituit inter caritatem et vitiosam cupiditatem, cuius propositio XXXVIII: *Omnis amor creaturae rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quae a Ioanne prohibetur aut laudabilis illa caritas, qua, per Spiritum sanctum in corde diffusa, Deus amatur*, a tribus rom. pontificibus s. Pio V, Gregorio XIII, et Urbano VIII proscripta est. Ex cuius propositionis verbis patet, Baium id statuisse de caritate theologica et proprie dicta, citra quam actiones omnes humanae totidem peccata sunt (2).

223. Iansenius vero idem profitetur, eamque doctrinam s. Augustino affingit, dum lib. III de gratia Christi, cap. VI scribit: *Non agnoscit sanctissimus doctor in universis operibus suis nisi duos amores, Creatoris et creaturae, ex quorum altero necesse est, ut quaecumque actio voluntatis oriatur: ille caritas est, iste cupiditas: quarum illa de coelo est, Deo plantante, ista ex mundo, diabolo seminante.* Exinde prodivit Iansenianorum propositio ab Alexandro VIII damnata, nempe VII: *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi: si Dei, caritas Patris est: si mundi concupiscentia, carnis, hoc est, mala est* (3). Item Quesnelli propositio XLIV a Clemente XI proscripta: *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones et actiones omnes nostrae nascuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur: et amor quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, et propter hoc ipsum fit malus.*

224. Ex hoc autem principio semel admisso sequeretur 1° nullum dari amorem aut actum moraliter seu naturaliter honestum, qui ex caritate theologica non procedat. 2° Omnia opera infidelium totidem esse peccata, utpote quae caritate sunt destituta. 3° Omnia opera peccatorum, totidem pariter peccata esse, ante iustificationem peracta. Quae doctrina adversatur tum concilio tridentino sess. VI, can. VII: *Si quis dixerit opera omnia, quae ante iustificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri... anathema sit:* tum propositionibus a rom. pontificibus damnatis, cuiusmodi sunt XXV Baii: *Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia.* Item VIII ab Alexandro VIII proscripta: *Necesse est infidelem in omni opere peccare;* nec non propositiones Quesnelli XXVI, XXVII, XXVIII et XXIX damnatae a Clemente XI, quae diversis verbis idem obtrudunt; tum denique spei christianae ac virtutibus omnibus, quae ex eiusmodi principio penitus destrue-

(1) II, 2, q. 23, art. 6 ad 1.

(2) De qua propos. cf. Ripalda *De ente supernaturali*, vol. 3, quod totum est de istius hominis doctrina, quam late refellit.

(3) De qua propos. cf. Viva in *theologica trutina*.

rentur, praesertim si intelligatur de caritate perfecta sive habituali sive actuali.

225. Quam vero tum Scripturis, tum ss. patrum doctrinae, praecipue vero s. Augustini, sive Baii, sive Iansenii et Quesnelli doctrina adversetur, ostendunt theologi in tractatu de gratia (1).

226. Reliquum igitur est, ut de praecepto caritatis pertractemus. Iam vero quamvis unum idemque sit formale motivum caritatis seu dilectionis Dei et proximi, duo tamen distinguuntur, ut vidimus, huius virtutis obiecta materialia, primarium scilicet quod est Deus, et secundarium, nempe proximus. Quapropter de utroque seorsum distinctis articulis agemus.

Art. I.

De praecepto dilectionis Dei.

227. Circa hoc divinae dilectionis praeceptum, ut fit alii per excessum, per defectum alii a vero discesserunt. Per excessum quidem quotquot contenderant, praeceptum hoc obligare quoties aliud obligat praeceptum, quia iuxta istos, nullum aliud praeceptum potest perfecte adimpleri, nisi intercedat caritas, quod illud imperet (2). Alii vero autumarunt, praeceptum caritatis esse praeceptum generale, quod sufficienter impletur per aliorum praeceptorum observationem, quin necesse sit homini christiano elicere actus speciales et explicitos dilectionis Dei (3).

228. Sic etiam cum praecepto teneamur ex caritate omnia opera nostra in Deum referre, nonnulli contendunt distinctam ac formalem intentionem requiri, ut isti praecepto satisfiat; alii vero tenent ita caritate istam intentionem includi, ut qui debitos dilectionis Dei actus persolvunt et mandata servant, absque expressa ac formali identidem intentione operandi propter Deum, huic praecepto satisfecisse censeantur. Ut igitur vera ac germana doctrina hoc de argumento pateat, insequentes statuimus propositiones

PROPOSITIO I.

Datur verum praeceptum de diligendo Deo, idque speciale, cui non satisfit per solam ceterorum mandatorum observationem.

229. Duas complectitur enunciata propositio partes, alteram, quod de-

(1) Possunt inter ceteros consuli de hoc argumento ex professo tractantes Suarez, Fontaine, Ripalda, etc., qui data opera in eiusmodi doctrinam insurrexerunt. Suarezius parcius quidem de his egit in tract. *De grat.* ac *de Poenit.*, quia aetate sua vix Baii novitates innotuerunt. Ast copiose adversus Baium scripsit integrum volumen in-folio Ripalda quod duobus prioribus *De ente supernaturali* instar appendicis adiecit; prout adversus Quesnellum quatuor voluminibus in-folio Fontaine in op. *Constitutio Unigenitus theologice propugnata* dimicavit.

(2) Licet, qui huic adhaerent doctrinae in schola catholica, se abhorrere profiteantur a doctrina novatorum, Baii ac ianseniauorum, tum quia negant omnem actionem humanam necessario ex caritate sive habituali sive actuali esse eliciendam, ut bona censeri possit; tum quia uti totidem peccata non habent actus, qui eliciti non sint ex caritate; attamen illis proxime nimis accedere videntur, dum praeceptum divinae dilectionis ita urgent, ut nullum docere videantur haberi opus bonum, quod non imperet caritas. De his cf. *Theologiam Patrum Wirceburgensium*, tom. 4, disp. 5 *De caritate*, cap. 2, art. 2.

(3) Inter quos recensetur Antonius Sirmondus, qui confundi nequit cum celebri Iacobo Sirmondo, cuius nepos fuit. Hic in op. Gallico: *Défense de la vertu*, in-8, negavit necessitatem eliciendi actus speciales dilectionis Dei, et affirmavit ad praeceptum caritatis adimplendum satis esse nihil facere quod amori Dei adversetur. Qua de causa obiurgatus est ac poena etiam muletatus a superioribus suis. Cf. Feller in *Dict. Historique*.

tur praeceptum de diligendo Deo, alteram vero, quod eiusmodi praeceptum sit speciale, et a reliquis distinctum.

230. Ac primo dari hoc de Deo diligendo praeceptum disertissime evincunt, quae leguntur Deut. VI, 5: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua;* necnon notissima responsio a Christo legis doctori data sciscitanti de magno legis mandato Matth. XXII, qua eadem verba usurpat ex Deuteronomio relata, illudque appellat *maximum et primum mandatum* (1). Et ratio est quia eiusmodi dilectio est medium necessarium ad salutem quoad adultos; omnia autem talia media cadunt sub praeceptum. Nec obest, quod finis non cadat sub praeceptum: finis vero praecepti ex apostolo I. Timoth. I, 5, *est caritas;* siquidem id verum est, cum de fine extrinseco agitur, qui a materia praecepti distinguitur, minime autem de eo praecepto, cuius materia est actus circa ipsum finem (2).

231. Hoc autem praeceptum prout spectat ad Deum finem naturae, naturale est, quia ut adnotat s. Thomas (3) ius naturale est de his bonis, ad quae homo natura sua inclinatur; inclinatur autem homo natura sua ad hunc amorem (4). Insuper homo ex naturae lege tenetur diligere Deum aut supra se, aut aeque, aut infra se. Porro duo postrema haec dici nequeunt, cum impossibile sit actum inordinatum praecipi lege naturae; ergo tenetur diligere super omnia. Demum, ceteris omissis, sistendo in lege naturae, nisi daretur eiusmodi obligatio, nullum esset peccatum mortale, quia peccati mortalis ratio in hoc maxime consistit, quod sit contrarium dilectioni super omnia (5).

232. Quatenus vero idem praeceptum attingit Deum finem gratiae, est simpliciter supernaturale, ut fides docet; nam actus fidei, spei et caritatis, utpote supernaturalis ordinis, et praecepta quibus iniunguntur, non possunt per vires naturales impleri, multoque minus actus perfectissimus, cuiusmodi amor caritatis est, qui non solum supernaturalis est quoad modum, verum etiam longe probabilius quoad substantiam (6).

233. Ad alteram porro partem quod spectat, facile est ex praemissis eam adstruere. Sic enim argumentamur: praeceptum illud haberi debet ut praeceptum speciale, et a ceteris distinctum, quod specialibus verbis effertur, quod habet speciale obiectum, atque speciale motivum. Iam vero praeceptum de diligendo Deo promulgatum est specialibus et expressis verbis, ut patet ex adductis testimoniis tam veteris quam novi foederis. Habet speciale obiectum; nam cetera praecepta ad res creatas, hoc vero ad Deum ipsum refertur. Habet denique speciale et sibi proprium motivum; siquidem praecepta reliqua aliquam habent peculiarem rerum quae praecipiuntur convenientiam, hoc vero ipsam Dei absolutam et infinitam bonitatem propositam habet; est ergo hoc de Deo diligendo praeceptum, spe-

(1) Matth. XXII, 38, ubi notandum est hoc mandatum dici primum, non quod primum locum teneat in decalogo, ut nonnulli affirmarunt, sed quia est praecipuum, et eminenter continet reliqua. Unde proprie non continetur inter praecepta decalogi, sed supponitur tanquam omnium fundamentum, ut docet s. Thom. I, 2, q. 100, art. 3; et II, 2, q. 44, art. 1.

(2) Ita s. Thomas I, 2, q. 31, art. 3 et 4.

(3) Ibid. Cf. etiam Suarez, *De carit.* disp. 5.

(4) Ibid.

(5) Cf. Suarez, l. c.

(6) Ibid.

ciale praeceptum, quod non impletur nisi per actus proprios et expressos divinae caritatis.

234. Insuper Dei dilectio se habet ad cetera mandata, uti principium ad sua corollaria; nam Dei dilectio est ratio propter quam cetera mandata observari debent. Ast principium, etiamsi necessario cohaereat cum suis consequentibus, seorsum tamen ab iis concipitur et existit. Ergo quamvis Dei dilectio esse non possit sine mandatorum observatione, atque hoc sensu recte dici queat generale praeceptum, est tamen speciale debitum, speciale officium, quod proinde per proprios actus persolvi debet; ergo etiamsi christianus cetera praecepta omnia accuratissime observet, minime huic maximo mandato se satisfecisse existimet, nisi identidem, et in debitis adiunctis se ad divinae bonitatis cogitationem convertat, eamque sinceris dilectionis actibus prosequatur.

235. Hanc eandem doctrinam tradit angelicus doctor scribens: *Finis spiritualis vitae est, ut homo uniatur Deo; quod fit per caritatem; et ad hoc ordinantur sicut ad finem omnia, quae pertinent ad spiritualem vitam. Unde et apostolus dicit I. ad Tim. I, 5: Finis praecepti est caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta.... In quolibet autem genere id, quod est per se* (id est habet rationem finis) *potius est eo, quod est propter aliud; et ideo maximum praeceptum est de caritate, ut dicitur Matth.* XXII (1). Ex quibus verbis patet, s. Thomam caritatis praeceptum habuisse ut praeceptum speciale et distinctum, quippe quod habeat rationem finis, et potiorem obligationem inducat. Sed clarius adhuc idipsum alibi docet dum ait: *Actus caritatis dupliciter considerari potest: uno modo, secundum quod est quidam actus per se, et hoc modo cadit sub praecepto legis, quod de hoc specialiter datur, scilicet: Diliges Dominum Deum tuum, et: Diliges proximum tuum* (2).

236. Verum quod omnem amovet dubitationem, haud paucae sunt propositiones hac super re a rom. pontificibus damnatae. Sunt autem 1ª inter damnatas ab Alexandro VII, his verbis expressa: *Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, spei et caritatis ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Ab Innocentio vero XI tres insequentes proscriptae sunt, scilicet V: *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.* VI: *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praeceptum caritatis erga Deum*, et VII: *Tunc solum obligat, quando tenemur iustificari, et non habemus aliam viam, qua iustificari possimus.* Demum ab Alexandro VIII propositio sub n. 1: *Sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum* (Deum) *interpretative. Hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitae suae mortalis.* Quas quidem sententias non tam opiniones quam opinionum monstra recte vocaveris.

237. Neque deest ratio ex ipsa rei natura petita, quae id ipsum suadeat. Etenim caritas quae certe est virtus et praecipua et maxime necessaria, ut virtutes reliquae, exercitio est perficienda, nempe facilitas illa actus virtutum eliciendi, via ordinaria non acquiritur nisi exercitio. Iam vero si homo christianus generatim debet virtutes excolere, quomodo non tenebitur hanc praecipue excolere, cuius actus praeter-

(1) II, 2, q. 44, art. 1.

(2) I, 2, q. 100, art. 10.

ea saltem in certis tentationibus et in articulo mortis sunt necessarii? Nempe quatenus *habitus* dat *posse*, est merum donum Dei, quatenus autem est *faciliter posse*, plerumque acquirendus est exercitio. Ad aliquod ergo caritatis exercitium homo certe tenetur, illudque, quoad eius fieri potest, frequens et assiduum, si consulere sibi velit.

Difficultates.

238. I. Obi. Scripturae, quoties de Dei dilectione loquuntur, toties amorem Dei *effectivum* inculcant, qui in observatione divinorum mandatorum consistit. Sic Io. XIV, 21, ait Christus: *Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me.* I. Ioan. vero V, 3: *Haec est enim caritas Dei, ut mandata eius custodiamus;* et paulo ante nempe ibid. III, 18: *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate.* Hinc apostolus I, Cor. XIII, 4, seqq. caritatem describit patientem, benignam, ceterarumque virtutum comitatu instructam. Ergo.

239. Resp. *D.* Ad patefaciendum veram caritatem sine mandatorum observatione evangelicarumque virtutum exercitio non posse consistere, *C.*; ad adstruendum, caritatem in sola mandatorum observatione et ceterarum virtutum exercitio consistere, *N.* Quae duo permiscenda non sunt. Primum siquidem verissimum est, ac nos fatemur; alterum vero est aperte falsum, quasi nempe subsistere posset caritatis virtus absque ulla Dei dilectione formali, quam saepe adeo et expresse divina eloquia inculcant. Quod vel ipsa obiecta Christi verba insinuant, dum exhibent discrimen veri ac germani Dei amatoris et ficti falsique, dum dicitur: *Qui servat Dei mandata ille est, et non alius qui diligit me.* Quod expressit s. Gregorius Magnus, scribens: *Probatio dilectionis exhibitio est operis.*

240. II. Obi. 1. S. Augustinus, praeterquam quod definit virtutem: *Ordinem amoris* (1), statuit, quod: *Generalis iussio est: Diliges; et generalis prohibitio: Non concupisces* (2); ideoque non censuit caritatem specialem esse virtutem, nec proinde ad ullum peculiarem actum seu officium adstringere. 2° S. Bernardus serm. L in Cantica scribit: *Est caritas in actu, est et in affectu. Et de illa quidem quae operis est, puto datam esse legem hominibus, mandatumque formatum: nam in affectu quis ita habeat, ut mandatur* (3)? Censuit itaque clarevallensis doctor, nullum datum esse speciale praeceptum de amore interno, quem vocat caritatem *in affectu*, distinctum a praecepto operis, quod vocat caritatem *in actu*.

241. Resp. ad 1. *D.* S. Augustinus in primo textu ponit amorem seu caritatem in definitione generali virtutis, quia virtutes omnes ab eo quodam modo pendent, *C.*; quasi sit generalis tantum virtus, non autem specialis per actus proprios exercenda, *N.* (4).

242. In altero vero textu, *D.* Vocat dilectionem *generalem iussionem*, quia ad eam tanquam ad finem omnia alia praecepta reducuntur, *C.*; quia nullum peculiare officium praecipiat, *N.* Sic enim mentem suam exponit hipponensis antistes, scribens: *Summum bonum, quod etiam optimum dicitur, non modo diligendum esse, nemo ambigit, sed ita diligendum esse, ut nihil amplius diligere debeamus* (5).

(1) Lib. 15 *De civ. Dei*, cap. 22.
(2) In lib. *De perfect. iustit.* cap. 5.
(3) N. 1.
(4) Ita s. Thom. II, 2, q. 23, art. 4 ad 1.
(5) Lib. 1 *De morib. Eccles.* cap. 11, n.

243. Ad 2. *D.* S. Bernardus affirmat, non esse datum praeceptum de caritate pure affectiva in via, qualis non nisi in patria haberi potest, *C.*; nullum esse datum praeceptum de amore interno qui debeat transire in actum, *N.* Subdit enim ibidem n. 3: *Neque hoc dico, ut sine affectione simus, et corde arido solas moveamus manus ad opus.* Itaque illam solam caritatem in affectu intelligit, quae ardentissima et suavissima constituet beatitudinem electorum, eamque negat iuberi, quia in hac vita haberi non potest. Hinc concludit n. 1: *Ergo illa* (caritas operis) *mandatur ad meritum, ista* (caritas pure affectiva) *in praemium datur.*

244. III. Obi. S. Thomas passim docet, 1° pertinere quidem ad perfectionem patriae, ut cor hominis semper *actualiter* ad Deum feratur, ad perfectionem vero viae sufficere, ut feratur in Deum *habitualiter*, nihil recipiendo contra Dei dilectionem (1). 2° Docet perfectionem caritatis sitam esse in eo, quod homo, quantum fieri potest, abstrahat se a rebus temporalibus etiam licitis, quae occupando animum impediunt actualem motum cordis in Deum (2). 3° Docet, eum qui praeceptum dilectionis in hac vita non implet, non peccare mortaliter, modo nihil contra illud agat, eadem plane ratione qua miles non culpatur, licet non vincat, dummodo legitime pugnet (3). 4° Imo tradit, praecepta caritatis non debuisse commemorari inter praecepta decalogi, quia in omnibus includuntur (4). Ergo.

245. Resp. ad 1. *D.* Id est, excludit s. doctor eum diligendi modum a viatoribus, qui est proprius solius patriae, *C.*; excludit illum modum, cuius viatores sunt capaces, *N.* Etenim eo ipso, quod statuat in eodem articulo actum dilectionis cadere sub praecepto, aliquid certe reciperet contra dilectionem Dei, qui hunc actum in debitis adiunctis omitteret.

246. Ad 2. dicimus: Ergo s. Thomas agnoscit necessitatem actualis motus in Deum id est actualis dilectionis. Quorsum enim homo inducitur ad temporalia dimittenda, nisi ut animus eorum affectu solutus facilius ad Deum assurgat, eique tenacius inhaereat?

247. Ad 3. *D.* Docet, non peccare mortaliter eum, qui non assequitur *finem* praecepti dilectionis Dei, *C.*; qui saltem non connititur eum assequi, *N.* Mens sancti doctoris est, non peccare eum, qui dilectionis praeceptum non implet in hac vita eo modo perfecto, quo pertingat ad finem praecepti; qui finis est, ut homo totaliter Deo coniungatur; sed unusquisque dilectionis praecepto tenetur eo modo imperfecto, quo potest, ne scilicet recedat ab ordine ad finem. Addit propterea s. Thomas, eo perfectius hoc praeceptum dilectionis impleri, quanto magis quis accedit per quamdam similitudinem ad perfectionem patriae (5).

18. Cf. etiam s. Thom. loc. cit. art. 3, ubi scribit: *Praeceptum de diligendo dicitur esse iussio generalis, quia ad hoc reducuntur omnia alia praecepta sicut ad finem, secundum illud I. ad Tim. I.* 5: *Finis praecepti caritas est.*

(1) II, 2, q. 44, art. 4, n. 2.
(2) Ibid. art. 3.
(3) Ibid. art. 6 ad 2.
(4) Ibid. art. 7 ad 3.

(5) Iuverit verba ipsa s. Doctoris hic ponere, utpote quae rem hanc mirifice explanent: « Praeceptum aliquod (inquit art. 6) dupliciter potest impleri: uno modo perfecte, alio modo imperfecte. Perfecte quidem impletur praeceptum quando pervenitur ad finem quem intendit praecipiens; impletur autem, sed imperfecte, quando, etsi non pertingat ad finem praecipientis, non tamen rece-

248. Ad 4 *D.* Tradit rationem, quare hoc dilectionis praeceptum non debuerit inter decalogi praecepta connumerari, *C.*; tradit nullum esse distinctum et speciale dilectionis praeceptum, *N.* Nam in hoc ipso articulo contrarium adstruit, scribens: *Ideo non solum oportet dari praeceptum de dilectione Dei, sed etiam de dilectione proximi, propter minus capaces qui non de facili considerant unum horum praeceptorum sub alio contineri.* Ratio vero, cur proprie non contineatur inter praecepta decalogi, ea est ex s. doctore, quam paulo ante adduximus, quod supponatur tanquam omnium fundamentum.

PROPOSITIO II.

Adest praeceptum saepius eliciendi actus caritatis in Deum.

249. Constituto praecepto distincto et speciali dilectionis Dei, haud pauca supersunt elucidanda circa eiusdem praecepti expletionem tum quoad se tum quoad tempus, quo urgeat eius obligatio, tum denique quoad rationem eius executionis. Quae quidem elucidationes salebrosae sunt ob sententiarum discrepantiam, quae inter theologos viget. Deposita vero omni contentionis et studii parte, quid verisimilius censendum nobis videatur, exponemus maiori, qua fieri poterit brevitate, ut theologiae candidatis consulamus.

250. Ut igitur a praecepto dilectionis quoad se exordiamur, istud importat, ut Deus diligatur super omnia 1° *obiective*, id est, magis quam cetera omnia; quia illi debemus bona velle maiora, scilicet divinum esse ac divinos honores; 2° ut etiam diligatur *appretiative* magis, id est, ut ultimus finis, et ita firmiter, ut paratus sit homo vi huius amoris ad omnia praestanda, quae necessaria sunt ad hunc finem obtinendum, et ad conservandum eius amorem, et ad negligenda omnia quae huic fini repugnant: et hanc vim habent verba illa: *Ex toto corde et ex tota anima*, quibus hoc praeceptum effertur (1); 3° ut diligatur *affective* et non solum *effective*, alioquin iuxta dicta confunderetur cum ipsa generali mandatorum observatione, neque esset, prout ostensum est, *praeceptum distinctum* et *speciale*. Itaque actus, qui praecipitur, est internus affectus voluntatis erga Deum, quem vi istius praecepti identidem elicere debemus.

251. Dixi: *affective*, non autem *intensive*, quia licet ex consilio intensius quo possumus Deum diligere nobis enitendum sit, attamen hoc sub praecepto non cadit: tum quia nuspiam eiusmodi praeceptum reperitur, tum quia in hac vita perfecte observari nequit, tum quia denique difficile omnino foret limites assignare et gradus, ad quos vi praecepti eiusmodi intensio pervenire deberet (2).

252. Sed ut aliquid iam attingamus de tempore, quo urget eiusmodi praecepti obligatio, ante omnia distinguamus oportet partem negativam ab ordine ad finem; sicut si dux exercitus praecipiat militibus, ut pugnent; ille perfecte implet praeceptum, qui pugnando hostem vincit, quod dux intendit; ille autem implet, sed imperfecte, cuius pugna ad victoriam non pertingit, non tamen contra disciplinam militarem agit. Intendit autem Deus per hoc praeceptum, ut homo sibi totaliter uniatur; quod fiet in patria, quando Deus erit omnia in omnibus, ut dicitur I. Cor. XV, 28. Et ideo plene et perfecte in patria implebitur hoc praeceptum; in via autem impletur, sed imperfecte; et tamen in via tanto unus alio perfectius implet, quanto magis accedit per quamdam similitudinem ad patriae perfectionem.

(1) Ita Suarez, disp. 5, sect. 2, n. 1.

(2) Quae omnia late prosequitur et ostendit Suarez, l. c., n. 2, 3 et 4.

tivam et partem affirmativam eiusdem praecepti. Negativa, quae est de animi aversione a Deo aut eius odio, profecto obligat semper ac pro semper, neque de ea ullo modo disserendum est. Difficultas proinde tota sistit circa partem affirmativam, sive in assignando tempore quo sub peccati reatu urgeat obligatio eliciendi amoris seu caritatis actus. Agitur siquidem de praecepto affirmativo, quod non nisi determinato tempore et in quibusdam rerum adiunctis urget. Verum id in particulari definire valde difficile est.

253. Illud potest generatim affirmari, praeceptum istud saepius in vita obligare, et hoc aliquando per se, aliquando vero per accidens, seu ratione alterius, ut insinuatum cernimus Deut. VI, ubi praeceptum de Dei dilectione illis verbis imponitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, etc.;* nam illico subditur: *Eruntque verba haec, quae ego praecipio tibi hodie, in corde tuo, et narrabis haec filiis tuis, et meditaberis in eis sedens in domo tua et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque et movebuntur inter oculos tuos, etc.* Iam vero quorsum haec omnia, si aut nunquam aut fere nunquam ex praecepto elici deberet dilectionis actus? Accedit, quod caritas, uti ostendimus, sit vera cum Deo amicitia; porro amici nomine indignus foret, qui non satageret frequenter cum amico conversari; ut praeteream, neminem posse, spectata humanae corruptae naturae fragilitate, diu in gratia permanere, quin identidem enitatur prosequi ultimum finem suum, qui in praesenti quidem vita in coniunctione cum Deo consistit, in patria vero in ipsa Dei visione et fruitione.

254. Itaque per se iuxta non paucos obligat hoc praeceptum adultum statim ac ad usum rationis pervenerit (1); plerique tamen refragantur (2). Alii contendunt obligare saltem diebus festis; verum et hoc a communi theologorum doctrina reiicitur (3). Idem dic de iis, qui sentiunt, obligare, cum quis martyrium est subiturus (4), aut cum insigne aliquod a Deo beneficium aliquis est consecutus (5); aut cum conspicitur gravi Deum iniuria affici, nec impediri potest (6). Nam istae sententiae omnes eodem defectu laborant, nempe quod nulla habeatur lex positiva obligans in his casibus, et quidem sub gravi, praeter rationes intrinsecas uniuscuiusque placiti proprias (7). Doctrina ab omnibus probata est, quod saltem obliget in articulo aut morali periculo mor-

(1) Solet adduci ad huius sententiae probationem auctoritas s. Thomae I, 2, q. 89, art. 6 ad 3. Verum res valde ambigua et incerta est.

(2) Sane inter ceteros Suarezius tract. 5 *De bonitate et malitia humanorum actuum* disp. 6, sect. 1, n. 12, eam impugnat, pluribusque rationum momentis refellit, scribens expresse: « Puer veniens ad usum rationis non tenetur statim in primo usu rationis Deum in seipso diligere, sed in his, quae ipsi occurrunt, bene moraliter se gerere, et hoc ipso virtualiter censetur converti in Deum. Nullum ergo est tale praeceptum naturale, neque etiam est positivum humanum aut divinum; neutrum enim ostendi potest. »

(3) Tales sunt Scotus in 4 sent., dist. 27. Tabiena, Angelus, Gabriel, Almainus. Ast perperam, neque ullum est praeceptum, quod hoc praescribit; et eiusmodi determinatio est prorsus arbitraria.

(4) Sotus lib. 7, *De nat. et grat.*, cap. 73, et lib. 7 *De iustitia.* Verum neque hoc dici potest nisi per accidens.

(5) Ita rursum Sotus l. c. ast perperam ob allatas rationes.

(6) Haec est pia nonnullorum cogitatio destituta fundamento.

(7) Cf. Suarez *De car.* disp. 5, sect. 3, qui refellit has omnes sententias.

tis, eo quod teneatur homo saluti suae cito tutoque consuere in summo discrimine constitutus: nec tutius porro nec citius id efficere potest quam se ad Deum per amorem super omnia excitando. Idque nonnulli addunt, etiamsi recepta sint sacramenta; quia veniente sponso virgo prudens lampadem suam ornare debet eique obviam exire ardentissimo, quo possit, amore. Eoque magis tunc temporis necessarius censendus est eiusmodi actus ad muniendum cor adversus graviores tentationum procellas, quae in hoc instanti praecipue desaeviunt. Ex quo inferunt, graviter pastores et confessarios delinquere, qui iuxta ecclesiae disciplinam a morientibus fidei, spei et caritatis actus non exigant (1).

255. Verum, uti animadvertit Suarezius, totam obligationem reiicere in illud tempus plane repugnat tanti praecepti dignitati: plus enim requirit divinae amicitiae ratio; tum quia divina praecepta saepius obligant, tum quia hic amor debet esse regula et principium necessarium actionum; inordinatum igitur est illum reiicere in finem vitae (2). Ideoque extra dubium est, teneri christianum hominem saepius in vita elicere Dei dilectionis actum, et generatim non sufficere, si singulis quinquenniis in illum quis erumpat, ut ex proscripta, quam attulimus, thesi certo constat; imo dicerem, nec semel in anno aut semel in mense elicito caritatis actu tanto praecepto satisfieri, ob allata rationum momenta, etiam per se spectato; licet omni cum praecisione statuere instans, quo elapso, quis violati praecepti reus incusandus sit, si non elicuerit dilectionis actum, valde difficile, sin minus impossibile foret; prout contingere consuevit quoties de praecepto affirmativo agitur, quod quidem semper, aut si lubet, saepissime, non tamen *pro semper* obligat (3).

256. Facilior res evadet, si nos recipiamus ad enarrandum, quando huius praecepti urgeat obligatio *per accidens* seu ratione alterius. Etenim plerique omnes conveniunt, praeter mortis articulum aut periculum teneri hominem ad eliciendum dilectionis actum 1° cum quis, vel administrare vel recipere deberet sacramentum vivorum, nec suppeteret confessarii copia, ac necessarius esset actus contritionis, eo quod in statu gratiae non reperiretur: 2° cum quis pulsaretur gravi tentatione, quam aliter vincere ac superare non posset, praesertim si foret de odio Dei: 3° cum quis versaretur in peccandi periculo, quod fere recidit in dictum numero praecedenti.

257. Recte autem monet cardinalis Gotti ad scrupulos et anxietates a piorum animis amovendos, quod necesse haud sit ad eliciendum amoris actum, ut hac vel simili formula exprimatur: *Diligo te super omnia*, quia amor consistit in re seu substantia, non autem in formula.

(1) Cf. Collet *Tract. de decal.* cap. 7, art. 1 *De carn.* sect. 3.

(2) Loc. cit.

(3) Iste fortasse scopulus est, in quem impegerunt auctores quatuor illarum propositionum, quae confixae sunt, dum nitentes determinare tempus, quo aliquis per se vi praecepti teneretur ad eliciendos amoris actus, temere effutierunt, aut nunquam, aut rarissime illud loeum habere. Cum nec potuissent nec debuissent quidpiam determinate affirmare, illud tamen determinare voluerunt. Quocirca contenti esse debuissent indicare illud praeceptum saepius in vita obligare. Hinc recte monuit Suarezius, disp. 5, sect. 2, id potius negative, quam affirmative determinari posse. In nonnullis difficilibus practicisque quaestionibus sobrietate ac prudentia opus est.

Idque illustrat exemplo matrum, quae etiamsi ardentissimo amore filios suos prosequantur, omnemque in eos curam impendant, tamen forte numquam verbis ipsis eiusmodi affectum testatae sunt (1). Sic neque necesse est, ut quis cognoscat, se actum Dei dilectionis elicere, cum non sit actus intellectus, sed voluntatis (2). Nunc addo, plerumque fieri actum verae caritatis in Deum in operibus pietatis, in orationibus devote fusis, in receptione sacramentorum, quin actu reflexo ad eum quis advertat (3). Hinc prout adnotant nonnulli auctores, quoties in Dominica oratione ex corde illa proferuntur verba: *Sanctificetur nomen tuum*, aut: *Fiat voluntas tua*, actus perfectae caritatis eliciuntur, prout iamdiu expressit s. Cyprianus, scribens: *Voluntas Dei est, quam Christus et fecit et docuit... Deum toto corde diligere, amare in illo, quod Pater est, timere, quod Deus est, Christo nihil omnino praeponere, quia nec nobis quicquam ille praeposuit, caritati eius inseparabiliter adhaerere* (4). Elici proinde potest in eiusmodi pietatis exercitiis actus verae caritatis sin minus expresse, saltem aequivalenter.

258. Optima demum ratio praeceptum Dei dilectionis adimplendi est, ut quotidie mane actiones omnes in Dei gloriam referantur, eo vel ipso quod vi eiusdem praecepti teneamur omnes actiones nostras deliberatas in Deum referre. Ad quod evincendum sit

(1) *De carit.* q. 3, dub. 1, § 4, n. 28.
(2) Ibid.
(3) Ibid.
(4) Lib. *De orat. dominic.* edit. Maur. pag. 208. Cf. etiam Collet loc. cit., nec non Segneri *Manna dell' anima*, mens. octob. in illam petit.: *Sanctificetur nomen tuum.*

PROPOSITIO III.

Adest praeceptum quo tenemur omnes actiones deliberatas in Deum referre.

259. Prout enunciata est, propositio nulli subest difficultati, utpote Scripturarum ac patrum auctoritati innixa, et communi theologorum calculo probata, uti mox videbimus. Verum non paucis urgetur ambagibus, dum pervenitur ad rationem qua executioni mandari debet, ut paulo post patefaciemus. Interim ut propositam thesim vindicemus, sic incedimus.

260. Praeceptum illud agnoscendum est, quod in Scripturis fundamentum habet ac disertis verbis in eis continetur, patres vero inculcant, probatque denique ratio theologica. Iam vero tale esse praeceptum de quo agimus, patet quoad fundamentum ex maximo ac primo dilectionis mandato: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota mente tua. Hoc enim quid aliud iubetur*, inquit Augustinus, *quam ut omnes cogitationes tuas, et omnem vitam et omnem intellectum in illum conferas, a quo habes ea ipsa quae confers? Cum autem ait:* Toto corde, tota anima, tota mente, *nullam vitae nostrae partem reliquit, quae vacare debeat, et quasi locum dare, ut alia re velit frui, sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit* (5).

261. In Scripturis praeterea praeceptum hoc disertis verbis contineri, ostendunt, quae habet apostolus I. Cor. x, 31: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Atque iterum Coloss. III, 17: *Omnè, quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Do-*

(5) Lib. 1 *De doctr. christ.* cap. 22, n. 21.

mini Iesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum. Quibus verbis non merum consilium sed praeceptum contineri ecclesiae patres communiter docent; hinc s. Thomas in haec verba lect. 3, scribit: *Quidam dicunt, quod hoc est consilium, sed hoc non est verum;* et alibi, nempe I, 2, q. c, art. 10 ad 2, scribit: *Sub praecepto caritatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde; ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum, et ideo praeceptum caritatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referat in Deum.* Quod saepe alias repetit et inculcat angelicus doctor, adeo ut de eius mente dubitare nullatenus possimus (1).

262. Et haec quidem, ut innuimus, explorata sunt. Ast hic iam quaeritur, cuiusmodi esse debeat haec intentio, qua omnes actiones deliberatas in Deum referre tenemur? Ea enim triplex esse potest; vel *actualis*, quae ad singulas actiones eliciatur per actum deliberatum et reflexum (quam alii *formalem* dicunt): aut *habitualis*, quae in mera animi dispositione et affectione consistit; vel denique *virtualis*, quae vi alicuius actus praecedentis virtute permanet in actionibus subsequentibus, quamvis de ea amplius non cogitetur. Nonnulli praeter intentionem ex parte *operantis* agnoscunt etiam aliam relationem virtualem *ex parte operis*, quae in intrinseco ordine actus honesti et virtutis ad Deum consistit: quatenus scilicet omnis actus, hoc ipso quod sit honestus, ex natura sua non minus ordinatur ad Deum, eo quod Deus sit omnis honestatis fons et origo.

263. Porro certum est apud omnes, intentionem actualem non requiri, utpote praesenti hominum conditioni minime accommodatam. Nam *omnia actu in Deum referre non est possibile in hac vita*, inquit s. Thomas, *sicut non est possibile, quod semper de Deo cogitetur: hoc enim pertinet ad perfectionem patriae* (2). Pariter inter omnes convenit, habitualem non sufficere, cum eiusmodi intentio proprie non sit nisi animi dispositio, nec satis influat ad actionem dirigendam. Hinc superest, ad hoc implendum praeceptum virtualem solam intentionem requiri et sufficere, prout docet Angelicus, qui post citata verba ita prosequitur: *Sed quod omnia virtute referantur in Deum, hoc pertinet ad perfectionem caritatis, ad quam omnes tenentur: et sicut in causis efficientibus virtus primae causae manet in omnibus causis sequentibus, ita etiam intentio principalis finis virtute manet in omnibus secundariis; unde quicumque actu intendit aliquem finem secundarium, virtute intendit finem principalem.*

264. Verum hic alia excitatur quaestio olim magno animorum aestu agitata inter catholicas scholas, nunc vero aut obliterata aut pene sopita iacet; nec vacat eam ex suis cineribus rursum exsuscitare. Est autem, utrum praeter intentionem virtualem, quae *implicite*, seu ut alii loquuntur, *interpretative* continetur in iis actibus, quibus debitis temporibus et adiunctis dilectionis praecepto quis satisfacit, requiratur intentio *explicita et superaddita*, qua homo christianus apud se constituat, velle se, quae agit propter Deum operari? Schola thomistica contendit, sufficere intentionem implicitam, et interpretativam, ut quis praecepto hactenus vindicato satisfaciat; schola vero augustinianensis propugnavit necessitatem intentionis actualis ac virtualis explicitae.

(1) Cf. De Rubeis, *De carit.*, c. 47, ubi plura eiusdem testimonia collecta reperies.

(2) Quaest. 2 *De carit.* art. 11 ad 2.

265. Ita vero exponunt augustinianenses sententiam suam : Praeceptum referendi omnes actiones suas in Deum, quamvis a praecepto caritatis proficiscatur, est tamen ab eo distinctum; nec propterea sufficit, ut quis caritatis actus suo tempore eliciat, sed insuper requiritur, ut christianus hanc suam intentionem saepe testetur, ut vere dici possit omnia opera sua ab hac voluntate descendere. Exinde inferunt 1° hoc praeceptum quamvis affirmativum, negativo tamen aequipollere eo quod universalitatem actionum nostrarum includat, ac proinde vetare quominus ulla actio deliberata sine hoc ordine suscipiatur; 2° asserunt, non eam caritatem ad hoc praeceptum implendum requiri, quae perfecta actualis sit: qua nempe Deus diligitur super omnia, aut quae sit infusa et inhabitat in animo iusti; sed eam caritatem sufficere, qua Deus imperfecte et aliqualiter diligatur, qualis etiam in peccatoribus inesse potest. 3° Dicunt actiones omnes, quae sine hac superaddita intentione fiunt, quamvis alioquin *moraliter bonae*, esse tamen *negative malas;* malas scilicet non *intrinsece* et *positive*, quasi a cupiditate corrumpantur, sed *negative*, id est *non bonas*, quia non directae in eum finem, in quem dirigi debebant. Hinc quamvis non audeant eiusmodi opera appellare peccata, ne incidere videantur in damnationem eorum, qui omnia infidelium opera mala aut peccata esse dixerunt, aiunt tamen, eum, qui absque tali ordine operatur, peccato omissionis venialiter peccare.

266. Thomistae vero a contrario contendunt, hoc praeceptum referendi omnes actiones in Deum includi praecepto dilectionis Dei super omnia, nec ab eo distingui. Ex quo inferunt 1° tale praeceptum non urgere, nisi cum urget praeceptum eliciendi actus caritatis; 2° non violari, nisi cum omittitur caritatis actus, quo tempore elici deberet; 3° omnia proinde opera bona sine tali explicita intentione peracta nullo modo esse peccatis accensenda, sed ea esse vel bona simpliciter et vitae aeternae meritoria, si ab eo facta fuerint, qui fide et caritate habituali praeditus sit; vel imperfecte bona, quia sterilia in ordine ad vitam aeternam, si fide et caritate habituali destituantur; bona tamen moraliter, utpote nullo defectu in ordine morali vitiata.

267. Ut paucis huius quaestionis statum complectamur, augustinianenses contendunt actiones omnes, ut dici possint simpliciter bonae, necesse esse sive actualiter sive virtute sint determinatae ac directae immediate ab imperio caritatis ad Deum, alioquin malas evadere, sin minus per se et in se, saltem ob vitium huius omissionis; et si agatur de infidelibus et peccatoribus steriles fieri, si vero de iustis agatur, eas non fieri meritorias aeternae vitae. Thomistae vero volunt identificari praeceptum dirigendi omnes actiones deliberatas in ultimum finem cum ipso praecepto caritatis, etsi eiusmodi actiones actu aut virtute a formali caritate non imperentur. Exinde concludunt, has actiones nullo vitio laborare.

268. Parvi quidem pendi posse videretur eiusmodi disceptatio, nisi exinde theoretica et practica corollaria inferri possent, quae minus congruere videntur cum sana germanaque ecclesiae doctrina circa opera infidelium et opera peccatorum, id est, aut sine fide aut sine caritate peracta. Si enim nulla darentur opera bona saltem ex parte operantis, quin explicite fuerint ad Deum relata, consequi videretur,

opera infidelium, qui Deum ut ultimum finem ignorant, totidem esse peccata. Si praeterea opera, quae elicerentur absque caritate dominante seu imperante, et quidem proxime, essent saltem venialiter peccaminosa negative, sequeretur eadem ratione peccatorum opera, qui ea destituti sunt, esse saltem pariter negative mala. Sic etiam, si iusti ex imperio caritatis non omnia elicerent opera sua, destituta haec forent omni merito ad vitam aeternam; imo, ut supra dictum est, venialiter saltem peccarent.

269. Quae omnia praeterquam quod a communi theologorum doctrina abhorrent atque a fidelium sensu, nimis accedere videntur Baii ac iansenianorum doctrinae ab apostolica sede confixae. Quocirca censemus, ad maiorem huius argumenti dilucidationem constitui posse:

270. I. Hoc praeceptum quo iubemur omnia opera nostra ad Deum ex caritate referre, ad legem gratiae pertinere, ac proinde ad ordinem supernaturalem, in quo constituti sumus per fidem et gratiam. Ex quo sequitur, nullatenus afficere ordinem actionum humanarum, quatenus ut pure morales considerantur. Actio igitur quaecumque rectae rationi congruens tum ratione sui tum ratione finis proximi, tametsi non ex caritate suscepta, erit moraliter bona, quia eam bonitatem habet, quae ipsi competit in ordine morali; erit tamen imperfecte bona in ordine supernaturali, utpote carens conditione necessaria, ut sit aeternae beatitudinis meritoria.

271. II. Hoc praeceptum pertinere ad omnes qui lege gratiae continentur, et qui in lege gratiae sunt eius capaces. Ex quo sequitur, 1° infideles saltem negativos eiusdem transgressione minime teneri, nec quicquam obesse, ne recte agant, si iuxta rectam rationem operentur; 2° ad omnes christianos pertinere, non iustos tantum, sed etiam peccatores: nam peccatores et possunt et tenentur Deum super omnia diligere, ac se suasque actiones ad Deum referre.

272. III. Ad hoc praeceptum implendum non requiri caritatem habitualem, seu sanctificantem, neque requiri semper caritatem actualem perfectam, sed imperfectam etiam quandoque sufficere, qua homo velit Deum super omnia diligere, eumque ut finem ultimum sibi propositum contempletur. Unde sequitur, eos solum peccatores haud posse huic praecepto satisfacere, qui creaturis atque peccatis ita inhaerent, ut omnino nolint ab iis separari et ad Deum converti.

273. IV. Hoc praeceptum ab iis omnibus vere impleri, qui Deum super omnia diligunt et debitis temporibus actus caritatis exercent. Hi enim, eo ipso quod sunt ad Deum recte ordinati vel saltem connituntur se ordinare, ea etiam quae recte agunt, ad Deum ordinare censentur.

274. V. Ceterum *multos esse gradus perfectionis* in hoc praecepto servando. De puritate intentionis, qua actiones omnes et singulae in Deum diriguntur perspectum est, ex vitis sanctorum atque ex asceticorum principiis ac doctrina. Quibus positis sit

PROPOSITIO IV.

Praeceptum quo tenemur referre omnes actiones deliberatas in Deum, non est distinctum a caritatis praecepto, atque per actus caritatis satis impletur.

275. Sensus propositionis est iuxta praemissa, ut satis sit ad implendum praeceptum, referendi omnes actiones in Deum, illas elicere ex parte operantis ex generico illo praecepto quo tenemur ad Deum di-

ligendum, quin necesse sit actiones singulas sive formaliter in actu, sive virtualiter in Deum referre vi alterius praecepti distincti, quo iubeamur explicite illam relationem facere ex quodam peculiari imperio caritatis; et quod consequens est, non debeant eaedem actiones aut imperfectae aut mancae haberi, multo vero minus quadantenus malae ob defectum eiusmodi relationis distinctae a caritate imperatae. Quapropter contendimus, opera, quae fiunt per se bona et ob motivum proximum bonum, perfecta in se esse, quin necesse sit explicite, ut ab iis, qui Deum diligunt, in Deum tanquam finem ultimum et super omnia dilectum referantur.

276. Sic autem eius veritatem ostendimus: Ideo praeter illam rationem, qua actiones nostras cum ex parte operis tum ex parte operantis in finem proximum bonas, ex praecepto caritatis generatim in Deum referimus, necesse foret easdem referre explicite ac peculiari distincta relatione ad Deum, vel quia extaret distinctum praeceptum eas singillatim sive formaliter in actu sive saltem virtute referendi ex caritate imperante hanc relationem in Deum per se dilectum et finem ultimum, vel quia necessitatem huius distinctae relationis in Deum aliqua ratio theologica suaderet. Atqui neutrum horum dici potest.

277. Non primum, quia eiusmodi praeceptum distinctum nuspiam sive in Scripturis sive in patribus reperitur. Etenim ad Scripturas quod attinet, praecipitur quidem in ipsis ut diligamus Deum ex toto corde, ac propterea ut omnes actiones nostras in Deum referamus, seu ut operemur in Dei gloriam. Ast eiusmodi maximum praeceptum *affirmativum* est, quod non obligat ad semper, sed statis temporibus, et in debitis circumstantiis: non autem *negativum*, ut obliget semper et pro semper; tale porro esset si actiones omnes singillatim aut in actu aut in virtute deberemus explicite in Deum distincte referre, ita ut, nisi id fiat, imperfectae, mancae, aut peccato omissionis infectae haberi debeant.

278. Ex patribus satis sit alterum ex graecis, alterum vero ex latinis afferre, praeceptum dilectionis Dei exponentes. S. Io. Chrysostomus, explanans illa apostoli verba: *Omnia vestra in caritate fiant*, interrogat: *Quid est illud: Omnia in caritate? Sive quispiam increpat sive imperat sive paret imperio, sive discit sive docet: omnia cum caritate* (1). S. vero Augustinus scribit: *Suggero remedium, unde tota die laudes Deum, si vis; quidquid egeris, bene age, et laudasti Deum; quando cantas hymnum, laudas Deum... et quoties cessasti ab hymno cantando, discedis, ut reficiaris, noli ebriari, et laudasti Deum; discedis, ut dormias, noli surgere ad male faciendum, et laudasti Deum; negotia agis, noli fraudem facere, et laudasti Deum; aurum colis, noli litem movere, et laudasti Deum. In innocentia operum tuorum praepara te ad laudandum Deum tota die* (2). Ex quibus patet, ad implendum caritatis praeceptum satis esse interpretative actiones suas in Deum referre, ac praeter actus illos formalis amoris, de quibus suo loco diximus, sufficere mandatorum observationem.

279. Sed et ratio theologica id ipsum suadet. Etenim si quis actus eliceret *spei et timoris* ex proprio uniuscuiusque motivo, et quidem

(1) Homil. XLIV in I ad Corinth., n. 1.

(2) Serm. 2, in ps. 34, n. 16.

solo absque caritatis imperio, eiusmodi actus boni ac supernaturales essent, utpote in Deum saltem interpretative relati. Ergo ad bene operandum opus non est extrinseco illo fine caritatis explicito. Insuper quoties aliquis ageret ex aeternae mercedis ac beatitudinis intuitu, toties negative saltem peccaret in adversariorum hypothesi, omissione, nisi per imperium caritatis suos actus eliceret: quod absonum foret, et ab Alexandro VIII proscriptum est in propositione 13: *Quisquis etiam aeternae mercedis intuitu Deo famulatur, caritate si careat, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur* (1); ut alia praeteream.

280. Hinc s. Thomas constanter eandem tradit doctrinam. Sic in II Sent. d. 40, q. 1, art. 5 ad 6 scribit: *Si quaeratur, quando oporteat actum referre in finem ultimum, hoc nihil aliud est quam quaerere, quando oportet habitum caritatis exire in actum, quia quandocumque habitus caritatis in actum exit, fit ordinatio totius hominis in finem ultimum et per consequens omnium eorum, quae in ipsum ordinantur ut bona sibi.* Et quaest. de caritate art. 11, ad 2: *Cum aliquis ordinat se ipsum in Deum sicut in finem* (quod profecto fit eliciendo caritatis actus), *in omnibus, quae per se ipsum facit, manet virtute intentio ultimi finis qui Deus est: unde in omnibus mereri potest, si caritatem habeat. Hoc igitur modo apostolus praecipit, quod omnia in Dei gloriam referantur.* Ac denique I, 2, q. c, art. 10 ad 2 doctrinam, quam adstruimus, luculentissime exponit dicens: *Sub praecepto caritatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde: ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum, et ideo praeceptum caritatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum. Sic ergo, qui honorat parentes, tenetur ex caritate honorare, non ex vi huius praecepti, quod est: Honora parentes: sed ex vi huius praecepti: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Et cum ista sint duo praecepta affirmativa, non obligantia ad semper, possunt pro diversis temporibus obligare. Et ita potest contingere, quod aliquis implens praeceptum de honoratione parentum, non tunc transgrediatur praeceptum de omissione modi caritatis.* Eodemque principio nixus declarat in II sent. d. 41, q. 1, art. 2 ad 4, non omnes infidelium actus dicendos esse malos, quamvis non ordinatos in ultimum finem beatitudinis, in quem fides dirigit, *quia praecepta affirmativa*, inquit, *non obligant ad semper, quamvis semper obligant: et ideo non oportet, ut actus infidelium, qui in finem illum non est ordinatus, semper sit peccatum: sed solum pro tempore illo, in quo tenetur actum suum in finem ultimum referre.*

281. Iam vero, si ex angelico doctore non tenemur referre actus nostros in Deum, nisi cum tenemur caritatis habitum in actum reducere; si facta ordinatione totius hominis in Deum per debitos caritatis actus, eodem actu fit ordinatio eorum omnium quae ab homine fiunt; si potest aliquis implere praecepta divinae legis sine actu formali caritatis; si denique non semper id obligat, cum cetera obligant praecepta, profecto nullum est praeceptum referendi actus in Deum a praecepto caritatis distinctum; et qui debitis temporibus caritatis actus elicit, simulque praecepta reliqua servat, hoc ipso praeceptum omnia in Deum referendi implevit, quia

(1) In quam proposit. cf. Viva op. cit.

alio opus sit; multo vero minus tenetur commentitium distinctum eiusmodi praeceptum ex caritate dominante implere.

282. Neque ab hac doctrina eximius Suarezius secessit; siquidem contrariam sententiam omnino respuit, scribens: *Quidam volunt. obligare* (praeceptum dilectionis Dei), *quandocumque obligat aliud praeceptum; quia nullum aliud potest perfecte adimpleri, nisi intercedat caritas; verbi gratia, si obligat praeceptum eleemosynae, obligare etiam praeceptum caritatis, ut imperet eleemosynam; quod si quis det eleemosynam sine tali amore, eum transgredi non quidem praeceptum eleemosynae, sed caritatis. Sed errant: nullum enim est probabile fundamentum huius obligationis, cum ille actus non sit necessarius ad servandum aliud praeceptum. Praeterea repugnant omnibus theologis* (1).

Difficultates.

283. I. Obi. Plura sunt, quae suadent praeter positivum seu affirmans praeceptum caritatis, quod non obligat ad semper, dari distinctum praeceptum, quo homines teneantur omnes et singulas actiones suas actu aut virtute referre ad Deum propter se dilectum ac finem ultimum. Etenim id suadent verba Deut. VI et Matth. XXII, quae universalitatem continent, quam s. Augustinus *generalem iussionem* aequivalentem dicit *generali prohibitioni*. Exponens enim praedictum praeceptum, ait: *Generalis prohibitio est et generalis iussio: Diliges* (2); et s. Thomas: *Caritas*, inquit, *extendit se ad actus totius humanae vitae per modum imperii* (3). Ergo.

284. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Verba Deuteronomii VI et Matth. XXII continent praeceptum generale negativum, *C.*; affirmativum, *N.*, vel *Subd.*: est generale quoad finem et perfectionem omnium virtutum, *C.*; est generale quoad obligationem *pro semper* urgentem, *N.* Eatenus caritatis praeceptum dici potest generale negativum, quatenus non solum vetat odium Dei, sed quidquid caritati divinae adversatur, cuiusmodi est transgressio cuiuscumque praecepti, quae Deum offendit caritatemque destruit aut imminuit. Affirmativum autem dici potest etiam generale, tum quia ad caritatem tanquam ad finem ducit observatio omnium praeceptorum, iuxta illud Pauli I Tim. I, 5: *Finis praecepti est caritas;* tum quia ex observatione omnium praeceptorum caritas perficitur.

285. Ad 2. prob. Iuxta s. Augustinum generalis iussio est: *Diliges*, *D.*: sumendo dilectionem lato sensu pro quocumque bono, *C.*; rigorose accepta, seu pro caritate formali, *Subd.*: est generalis iussio ratione finis et perfectionis in sensu exposito, *C.*; ratione obligationis, *N.* (4). Talem esse mentem s. Augustini, ex superius dictis, cum ageremus de speciali ac formali caritatis praecepto, liquet, nec non ex orationis serie abunde colligitur. Sic enim se habet contextus in obiecto loco, ubi post allata verba immediate subdit s. doctor: *Unde breviter et apostolus Paulus quodam loco utrumque complexus est; prohibitio enim est: Nolite conformari huic saeculo; iussio autem: Sed re-*

(1) *De carit.* disp. 6, sect. 3, n. 1.
(2) *De perfect. iustit.* cap. 5.
(3) II, 2, q. 23, art. 4 ad 2.
(4) Ita s. Thom. loc. cit. ad 3 sensum s. Augustini exponit: « Praeceptum de diligendo dicitur esse iussio generalis, quia ad hoc reducuntur omnia alia praecepta sicut ad finem, secundum illud I ad Tim. I, 5: *Finis praecepti caritas est.* »

formamini novitate mentis vestrae; illud pertinet ad non concupiscere, hoc ad diligere: illud ad continentiam, hoc ad iustitiam: illud ad declinandum a malo, hoc ad faciendum bonum. Praemiserat vero: *Dominus, qui verbum consummans et brevians fecit super terram, in duobus praeceptis dixit, legem prophetasque pendere, ut intelligeremus, quidquid aliud divinitus praeceptum est, in his duobus habere finem, et ad haec duo esse referendum: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, etc., et: Diliges proximum tuum tanquam te ipsum . . . Quidquid ergo Dei lege prohibemur, et quidquid iubemur facere, ad hoc prohibemur et iubemur, ut duo ista compleamus.*

286. Ad 3. prob. *D.* Caritas se ad actus totius vitae extendit per modum imperii habitualis et finalis, *C.*; per modum praecepti actualis, et quasi immediate ex proprio motivo caritatis actus omnes virtutis eliciens, *N.*; vel brevius, etiam se extendit ad actus totius humanae vitae, *D.*: mediate, *C.*; immediate et ad singulos actus aliarum virtutum, *N.* Sic enim pergit s. Thomas se ipsum explicans: *Et ideo, quia caritas habet pro obiecto ultimum finem vitae, scilicet beatitudinem aeternam, ideo extendit se ad actus totius humanae vitae per modum imperii, non quasi immediate eliciens omnes actus virtutis.* Et sane totus articulus est de statuenda caritate tanquam speciali virtute, ideoque habente speciale praeceptum.

287. Inst. 1° Eccli. XIII, 18 dicitur: *Omni vita tua dilige Deum;* 2° et I. Cor. XVI, 14: *Omnia vestra in caritate fiant.* 3° Ne quis vero dicat, generali quadam ratione verba haec esse intelligenda, non autem de actibus singulis, idem apostolus I. Cor. X, 31, contrarium ostendit, dicens: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis; omnia in gloriam Dei facite;* et iterum Coloss. III, 17: *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi.* Quae exponens s. Bernardus: *Quidquid facimus*, inquit, *iubemur facere in gloriam Dei* (1). Ergo.

288. Resp. ad 1. *D.* Eadem ratione, qua Deus est invocandus, *C.*: in sensu adversariorum, *N.* Subdit enim ibidem Eccli.: *Et invoca illum in salutê tua;* nempe pro tempore et loco, quo adimplendum est praeceptum caritatis, prout postulat natura praecepti affirmativi.

289. Ad 2. *D.* Id est cum caritate, et non in contentione, *C.*; in caritate theologica habituali aut actuali, *N.*; ut patet ex apostoli scopo, qui exhortabatur corinthios, ut in pace viverent.

290. Ad 3. *D.* In sensu negativo, uti exposuimus cum s. Thoma, *C.*; in sensu affirmativo, *subd.*: sive habitu, sive actu, *C.*; semper actu, *N.* Nam non alius est sensus amborum textuum iuxta patrum interpretationem, ut vidimus. Aut ita etiam sunt intelligendi, ut omnia opera nostra talia sint, quae cedere possint in gloriam Dei et Christi Domini, prout intelligi debet s. Bernardus, si tamen allegata verba ipsius sunt (2).

291. Lubet huiusmodi expositionem confirmare luculentis sanctorum patrum testimoniis. S. Io. Chrysostomus enarrans obiecta apostoli verba, ait: *Deus per omnia glorificatur. Sine offensione estote iudaeis*

(1) Serm. 3 de diversis.

(2) Nam ea non reperiuntur in cit. serm. 3 de diversis; siquidem neque in hoc, neque in alio sermone s. Doctor unquam explanat obiecta verba apostoli ad Coloss. 3, 17.

et gentibus... hoc est non detis alicui ansam; frater enim offenditur, et iudaeus te magis odio habebit et te condemnabit, et graecus similiter te tanquam helluonem irridebit et hypocritam (1). S. autem Augustinus scribit: *Cum manducas et bibis, psalle; non intermiscendo sonorum suavitates ad aures aptas, sed modeste et frugaliter, et temperanter manducando et bibendo. Quia hoc dicit apostolus: Sive manducatis, sive bibitis* (2). Hinc s. Thomas, adductis Augustini verbis, sibi obiicit: *Contra: Ergo nullus actus est indifferens. Respondeo*, inquit, *relatio haec in gloriam Dei intelligitur vel in actu vel in aptitudine referendi; quae non est solum in bonis, sed etiam in indifferentibus* (3). Ex quibus aliisque similibus, quae adduci possent, patet, apostoli verba aut intelligenda esse in sensu negativo, quod nihil fieri debeat, quod Dei gloriae adversetur, aut in sensu positivo, quod nempe quidquid fiat, aptum saltem sit ad Dei gloriam promovendam (4).

292. II. Obi. Patres statuunt 1° solis operibus ex caritate factis competere bonitatem, inter quos s. Augustinus, qui in ps. LXVII, n. 41, scribit: *Ea quippe sola bona opera dicenda sunt, quae fiunt per dilectionem Dei*, et s. Bernardus serm. I, in octava Paschae, n. 7: *Ambitionis vanitatem virtus caritatis excludit, quae sola castificat animam, sola purgat intentionem.* 2° Imo negant bonitatem operibus sine caritate factis, uti rursum s. Augustinus lib. *De grat. et lib. arbitr.* cap. XVIII: *Quidquid*, inquit, *se putaverit homo facere bene, si fiat sine caritate, nullo modo fiet bene*, et lib. *De gratia Christi*, cap. XXVI: *Quid autem boni faceremus, nisi diligeremus?* Sic etiam s. Ioan. Chrysostomus, Hom. XIX in ep. ad Hebraeos, n. 2: *Nullum est bonum*, scribit, *quod non per caritatem fiat.* 3° Praeceptum de relatione operum ad Deum enuntiant, ut s. Augustinus lib. I *De doctrina christiana*, cap. XII, n. 22, scribens: *Haec regula dilectionis divinitus constituta est: Diliges Deum ex toto corde... et omnes cogitationes tuas et omnem vitam, et omnem intellectum in illum conferas, a quo habes ipsa quae confers;* et s. Coelestinus pontifex in epist. ad Galliae episcopos, cap. VIII: *Omnia studia et omnia opera ac merita sanctorum ad Dei gloriam laudemque referenda sunt.* 4° Opera sine eiusmodi relatione patrata nominant virtutes falsas, et peccata; inter quos s. Augustinus lib. V *De civit. Dei*, cap. XII, n. 4: *Neque enim*, inquit, *est vera virtus, nisi quae ad eum finem tendit, ubi est bonum hominis, quo melius non est.*

(1) Hom. XXV in I ad Cor. X, 31, 32.

(2) Enarr. in ps. 146, n. 2.

(3) Lect. 7 in I ad Cor. cap. 10.

(4) Hunc sensum apertissime s. Thom. in lect. 5 in cap. 3 Epist. ad Coloss. v. 17, exponit scribens: « Dicendum est, quod non est necessarium, quod omnia referantur in Deum actu, sed habitu. Qui enim facit contra gloriam Dei et praecepta eius, facit contra hoc praeceptum; venialiter autem peccans non facit contra hoc praeceptum simpliciter. » Hinc s. Franciscus Salesius in lib. 12 *De amore Dei*, cap. 8: « Haec verba apostoli (inquit), ut dicit doctor angelicus ea explicans, sunt in sufficienti usu et praxi, quando nos possidemus habitum sanctissimae caritatis; per quem, licet non habeamus expressam et actualem intentionem faciendi, quidquid facimus, propter Deum, habemus tamen implicite contentam in unione et communione, quam cum Deo habemus, per quam omne bonum, quod facere possumus, una nobiscum dedicatum est divinae bonitati. » Cf. etiam Lallemant in *Reflexionibus et annotat. in Nov. Testamentum*, in loc. cit. ex epist. ad Corinth. tum in epist. ad Coloss.; item Kilber *De carit.* n. 302.

Et lib. IV contr. Iulian. cap. III, n. 21 : *Quidquid boni fit ab homine, et non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia praecipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.* Qui finis ex s. doctore non alius est praeter bonum aeternum, *Creatorem*, vel *gloriam Dei*, ut ipse passim exponit. Ergo.

293. Resp. ad 1. *D.* Bonitatem omnimodam et excellentiae, *C.*; simpliciter, *N.* Alludunt enim nonnulli patres ad Pauli verba I. Cor. XII, 31 : *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro;* et ibid. XIII, 3 : *Si caritatem non habuero, nihil mihi prodest.* Sane s. Augustinus praemiserat : *Credenti in eum, qui iustificat impium, reputatur fides ad iustitiam, ut deinde ipsa fides per dilectionem incipiat operari; ea quippe sola opera bona, etc.* Quod pariter elucet in verbo, quo usus est s. Bernardus *castificandi*, quod est de bono in melius provehere (1). Addendum praeterea 1° a nobis concedi quidem meritum vitae aeternae de condigno esse a caritate repetendum, sed hic quoque quaeri, num sufficiat caritas habitualis et virtualis illa, quae est ex parte operis : 2° prorsus negari ea, quae non sunt sic meritoria, esse peccata, aut nullius meriti, quod nunquam patres docuerunt.

294. Ad 2. *D.* Id est, patres interdum negant bonitatem operibus sine caritate factis omnimodam et perfectam, *Tr.* vel *C.*; absolute, *N.*; prout patet ex contextu, aliisque locis, quibus hi ipsi patres mentem suam declarant; vel etiam, ut exponit s. Thomas negant bonitatem *perfectam, secundum quod actus est meritorius* (2), si fiant sine caritate habituali. Accedit, patres interdum caritatis vocem improprie ac lato sensu usurpare, ut constat ex s. Augustino, qui in eodem lib. *De grat. et lib. arbitr.* cap. XVII, n. 34, praemiserat : *Ad Corinthios autem cum dicit : Omnia vestra cum caritate fiant; satis ostendit, etiam ipsas correptiones, quas asperas et amaras sentiunt, qui corripiuntur, cum caritate esse faciendas.* Sic interdum de caritatis necessitate patres locutos fuisse, ut opera meritoria evadant, iterum ostendit idem s. Augustinus, qui pariter in eodem loco *De grat. Christi*, cap. XXVI, n. 27, scribit : *Etsi etiam Dei mandatum videtur aliquando non a diligentibus, sed a timentibus fieri; tamen ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec recte bonum opus vocatur*, id est meritorium.

295. Ad 3. Denunciant, bona omnia Deo esse referenda, *D.*: id est, ab eo tanquam a fonte et origine esse repetenda, *C.*; referenda, *subd.*: habitualiter et ex parte operis, *C.*; actualiter aut virtualiter ex parte operantis, *N.* Talem esse ipsorum sensum in primo distinctionis membro expressum, patet ex s. Coelestino, qui ibidem immediate subdit : *Quia nemo ei aliunde placet, nisi ex eo quod ipse donaverit.* Et ex s. Prospero, optimo s. Augustini interprete, qui in resp. ad capit. Gallor. : *Bona*, inquit, *ad largitorem cooperatoremque eorum Deum, mala autem ad voluntariam rationalis creaturae nequitiam referenda sunt* (3). Quod si Augustinus de relatione operum ad Deum loquitur iuxta distinctionem alterius membri, tunc intelligendus est de opere ex omni parte bono in ordine ad vitam aeternam, et quidem ex caritate habituali, iuxta dicta.

(1) Ep. 21 apud Coustant. col. 1190, n. 9.

(2) In 2 Sent. d. 40, q. 1, a. 5 ad 2 et 3.

(3) Ad obi. 15 in append. ad tom. 10, opp. s. August. edit. Maur. pag. 158.

296. Ad 4. *D.* Falsas dicunt virtutes et peccata, opera aut perverso fine, aut non debito fine patrata, *C.*; ratione operis in se, *subd.*: in ordine ad vitam aeternam, *C.*; absolute, *N.* Nempe s. Augustinus in loc. cit. contra Iulianum minime agit de operibus sive cum sive sine caritate patratis, sed totus in eo est, ut evincat, opera ex fine potissimum suam honestatem adipisci, qui finis Deus est, sive ut auctor est naturae, sive ut est auctor gratiae, ad quem tanquam finem ultimum sunt referenda, secus ac sentiret Iulianus Pelagianus. Hic enim autumabat, opera ex se, praescindendo a fine, bona esse posse et apta, sin minus ad regnum coelorum, saltem ad vitam aeternam, quam a regno coelorum distinguebat, promerendam (1). Nec alio sensu s. Augustinum exponit s. Thomas.

297. III. Obi. Asserta doctrina multiplici ex capite doctrinae angelici doctoris adversatur, qui II, 2, q. XXIII, art. 7, docet, 1° sine caritate nullam esse veram virtutem; 2° docet, dari praeceptum referendi omnia ad Deum ex motivo caritatis, ut quaest. *de caritate*, art. 3 ad 2, ubi ait: *Omnia actu referre in Deum non est possibile in hac vita; sed quod omnia virtute referantur in Deum, hoc pertinet ad perfectionem caritatis, ad quam omnes tenentur;* 3° docet, praecepta caritatis et relationis esse distincta; et licet ambo dicat affirmativa, tamen hoc posterius ob suam universalitatem aequivalere negativo. Hinc cum I, 2, q. c. art. 10, dixisset: *In hoc praecepto: Honora patrem, non includitur, quod honoretur pater ex caritate*, pergit: *Qui honorat patrem, licet non habeat caritatem, non efficitur transgressor huius praecepti, etsi sit transgressor praecepti, quod est de actu caritatis, propter quam transgressionem meretur poenam.* Ergo.

298. Resp. *N. A.* ad 1. prob. *D.* docet, sine caritate nullam esse veram virtutem supernaturalem, ac meritoriam vitae aeternae, *C.*; nullam virtutem moralem, *N.* Nam ibidem distinguit s. Thomas duplex bonum, alterum ultimum et universale, alterum proximum et particulare, ac pronunciat, virtutem ordinatam ad bonum seu finem suum proximum, si verum bonum sit, veram virtutem esse, quamvis imperfectam; perfectam autem esse, cum refertur ad finale et perfectum bonum. Quod perinde est ac dicere, actiones bonas et recto fine susceptas vere bonas esse in ordine suo naturali seu morali, imperfectas vero in ordine supernaturali, si caritate sint destitutae, quae non possunt ad aeternam beatitudinem perducere. Et sane cum in II sent. d. XLI, art. 2, sibi obiecisset, omnia infidelium opera esse peccata, quia non ordinata in finem ultimum, respondet, non obligari nos ad referendas actiones singulas in finem supernaturalem, quia praecepta affirmativa non obligant ad semper, prout superius vidimus; *et ideo*, subdit, *non oportet, ut actus infidelium, qui in finem istum non est ordinatus, semper sit peccatum, sed solum tempore illo, in quo tenetur actum suum in finem ultimum referre.*

299. Ad 2. *D.* Docet, dari praeceptum generale referendi omnia virtute in Deum tanquam in finem ultimum ex caritate ad promerendam vitam aeternam, *C.*; referendi omnia actu, et quidem in ordine morali, *N.* Tantum enim abest, ut s. Thomas id doceat, ut hunc ipsum

(1) Prout patet ex totius disputationis serie in toto cit. capite s. Augustini.

articulum ad id refellendum statuerit (1).

300. Ad 3. *N.* vel *D.* Etsi sit transgressor praecepti, quod est de actu caritatis non elicito eo tempore, quo illum actum elicere tenebatur, *C.*; in eodem actu, quo sine caritate honorat parentes, et propter defectum caritatis, perinde ac si duo essent distincta praecepta de eodem actu, *N.* Postremum hoc asserere esset vere sensum angelici doctoris pervertere, qui totum hunc articulum eo direxit ut ostenderet, modum caritatis non cadere sub praecepto divinae legis, prout modo vidimus.

301. Inst. Saltem non referre actionem ad Dei gloriam actu aut virtute est constituere in bono creato finem ultimum, iuxta illud Augustini tib. IV contr. Iulianum, cap. III, n. 33: *Sine amore Creatoris nullis quisquam bene utitur creaturis.* Ergo.

302. Resp. *Neg.* Si enim ponatur actio ex se bona et ex fine proximo bono, hoc ipso actio cedit in gloriam Dei, ut auctoris naturae, si agatur de bono naturaliter honesto; aut ut auctoris gratiae, si agatur de bono supernaturalis ordinis. Neque opus est, ut ex caritate eliciatur actio, quaecumque ea sit, ut Deo accepta in ordine suo evadat: ut patet ex actibus ipsis fidei et spei, timoris, iustitiae alteriusve virtutis ex motivis sibi propriis elicitis. Absonum vero est affirmare statim quempiam creaturis adhaerere, eo quod formaliter non referat actiones suas in Deum ut finem ultimum.

303. Id autem, quod ex s. Augustino opponitur, ad rem non facere, ex eo constat, quod ipse loquatur de bonitate meritoria et utili ad salutem; sic enim post obiecta verba prosequitur: *Hoc ergo amore opus est, ut bonum beatificum sit;* et paulo ante iam praemiserat: *Quoniam saltem concedis, opera infidelium, quae tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad salutem sempiternam regnumque perducere; scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, sine Dei gratia, quae datur per unum mediatorem Dei et hominum, nemini posse conferri; per quod solum homo potest ad aeternum Dei donum regnumque perduci.*

304. Ceterum haec omnia nos minime attingunt, qui fatemur, caritatem esse necessariam, et teneri unumquemque ex caritate omnia sua in Deum referre; solum contendimus, hoc praeceptum impleri per caritatis actus suo tempore exercitos, quia facta ordinatione totius hominis in Deum, eo ipso sequitur, omnia quae ab homine fiunt, suapte natura in eundem finem ordinari (2).

ART. II.

De necessitate caritatis circa opera meritoria de condigno essentialis beatitudinis.

305. Ad explendum nostrum argumentum, quod in manibus habemus, de caritatis erga Deum necessitate, superest quaestio agitanda de eiusdem caritatis necessitate ad meritum de condigno bonorum ope-

(1) Est enim articulus 10 ita inscriptus: *Utrum modus caritatis cadat sub praecepto legis*, quem resolvit negative.

(2) Satis prolixam hoc de argumento disputationem scripsit P. Billuart, quam inscripsit: *Quaestio theologica de relatione operum in Deum*, in supplementum tractatus de caritate pertinens ad artic. ult., disp. 4, in qua non solum communem sententiam, quam nos tuiti sumus, propugnat, verum etiam illam strenue defendit ac vindicavit adversus D. Haagens, doctorem ac professorem Lovaniensem, qui eam impugnaverat.

rum, quae a iustis hominibus exercentur.

306. Ut vero probe intelligatur, quidnam praecise in quaestionem veniat, nonnulla praemittamus oportet, ut, quae certa sunt, ab incertis secernamus. Iam vero inter catholicos omnes ratum fixumque est, caritatem haud solam esse, quae meritoria sit, adeo ut opera ex alio motivo praeter motivum caritatis elicita nullam mercedem a Deo mereantur, prout ianseniani effutierunt. Si quidem a Clemente XI in constitutione *Unigenitus* hae duae Quesnelli propositiones notatae sunt, nempe LV: *Deus non coronat nisi caritatem; qui currit ex alio impulsu et ex alio motivo, in vanum currit;* et LVI: *Deus non remunerat nisi caritatem, quoniam caritas sola Deum honorat* (1).

307. Sic etiam inter catholicos omnes convenit, actus infidelium naturaliter tantum honestos saepius in hac vita obtinere a Deo retributionem temporalem, secus ac autumarint iidem iansenistae, duce Baio, cuius propositio XXV proscripta est a rom. pontificibus s. Pio V, Gregorio XIII, et Urbano VIII: *Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia* (2).

308. Idipsum dicatur de actibus quibuscumque supernaturalibus peccatorum, qui eliciti ante iustificationem fuerint, ad gratiam de congruo merendam (3).

309. Demum catholici unanimi consensu tenent, actus iustorum ex virtutibus sive infusis, sive acquisitis ex gratiae auxilio profectos, licet a caritate nec elicitos nec imperatos, de condigno mereri gloriam accidentalem, seu augmentum gloriae et aureolas (4).

310. Itaque tota quaestio revocatur inter catholicos ad meritum condignum gloriae essentialis ac substantialis praemii. Nam alii contendunt, aut solis actibus a caritate elicitis illud meritum esse tribuendum, aut actibus etiam aliarum virtutum, sed a caritate imperatis; dum e converso alii censent, tum meritum, tum praemium acquiri per actus omnes supernaturales in statu gratiae sanctificantis elicitos, quin necesse sit, ut vel caritas eos eliciat, vel per actus aliarum virtutum eos saltem caritas imperet per actualem aut virtualem relationem bonorum operum ad Deum propter se dilectum.

311. Non desunt argumenta sive biblica, sive ex patribus, sive theologica pro utraque sententia, quibus factum est, ut unaquaeque suos patronos inter theologos nacta sit. Nos contenti erimus praecipua haec argumenta historice in medium proferre, cum, salva catholica veritate, alterutrum placitum quisque adoptare possit; quid vero nobis verisimilius videatur, ultimo loco aperiemus.

§ I.

Argumenta eorum qui respuunt necessitatem caritatis imperantis ad meritum de condigno gloriae essentialis.

312. Qui contendunt, haud requiri ad gloriae essentialis seu substantialis praemii assecutionem actum caritatis imperantis, dicunt illis omnibus Scripturarum testimo-

(1) In quas propositiones dignus est qui legatur Fontana in op. cit. *Constitutio Unigenitus theologice propugnata*, tom. 2, ubi copiosissime ex sacris Scripturis, Patribus, Conciliis Theologorumque consensu hanc doctrinam refellit p. 717-761.

(2) In quam proposit. cf. Ripalda op. cit. *De Ente supernaturali*, vol. 3.

(3) Cf. Steph. Dechamps *Haeresis iansenianа* lib. 2.

(4) Cf. Kilber *De caritate*, cap. 2, art. 1, 2 et 3.

niis, in quibus gloria aeterna essentialis promittitur bonis iustorum operibus, absolute et absque ulla prorsus caritatis mentione illam promitti. Talia sunt Christi verba, Matth. xxv, 34-36: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi; esurivi enim, etc.* Item ibid. xix, 16, 17, sciscitanti iuveni: *Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam aeternam?* respondit: *Serva mandata*, nempe moralia, quae illic recenset. Item apostolus I. Tim. vi, 17, seq.: *Divitibus huius saeculi praecipe..... divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.* Rursum Hebr. xiii, 16: *Beneficentiae et communionis nolite oblivisci; talibus enim hostiis promeretur Deus.* Et alibi passim, ubi ceterarum virtutum actibus, nulla iniecta distincta caritatis actus mentione, vita promittitur aeterna ac Dei possessio.

313. Ad patres vero quod attinet, nullam de eorum mente excitari posse aiunt dubitationem. Ipsi enim exponentes Christi Domini sententias, seu beatitudines, quarum unicuique sub diversis nominibus coeleste praemium promittitur, vel adversus Iovinianum disputantes, uno consensu virtutum exercitio essentialem gloriam pollicentur ac eiusdem augmentum. Inter quos eminet s. Hieronymus, qui in lib. II contra Iovinianum, n. 28, generatim pronunciat: *Paratae sunt in coelo diversae et plurimae mansiones plurimis diversisque virtutibus, quas non personae accipiunt, sed opera.* Item n. 32: *Iam nostri laboris est pro diversitate virtutum diversa nobis praemia praeparare*, quin commemoret actum caritate elicitum, aut ab ipsa imperatum.

314. Verum quod magis urgent istius sententiae patroni, est ipsius concilii Tridentini auctoritas, quod aperte huic doctrinae suffragatur, dum sess. vi, cap. 16, et relativo canone xxxii decernit, quin aliud de caritatis actu superaddito exigat: *Si quis dixerit, hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius iustificati merita; aut ipsum iustificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et Iesu Christi meritum... fiunt, non vere mereri augmentum gratiae... atque gloriae; anathema sit.* Quam doctrinam iam communiverat toto cit. cap. xvi.

315. Demum sic ratione theologica hanc suam sententiam communiunt: Nulla lege praescriptum est, debere elici actus virtutum ex caritate ad essentialem gloriam comparandam: siquidem nuspiam eiusmodi lex reperitur. Insuper nulla ratio afferri potest de eiusmodi caritatis necessitate, cum aliae virtutes, fidei praesertim et spei, abstinentiae, aliaeque ab homine iusto exercitae proportionem habeant ad promissam gloriam obtinendam, utpote in statu gratiae elicitae.

316. Ex his vero ceu corollarium colligunt, non requiri, ut eiusmodi actus sint a caritate *imperati*, actuali aut virtuali relatione ad Deum propter se dilectum directi, ut essentialis gloria obtineatur, cum iam sint in se perfecti. Et reipsa conc. Tridentinum ne minimam quidem ingerit imperii aut motivi caritatis mentionem, sed simpliciter declarat, operibus bonis nihil amplius deesse ad verum meritum vitae eternae, si fiant a *membro vivo* Iesu Christi, seu ab homine iusto, et *per virtutem et gratiam Dei antecedentem et concomitantem*, seu ex gratiae actualis auxilio et influxu (1).

(1) Sess. 6, cap. 16.

§ II.

Illorum argumenta, qui pugnant pro necessitate motivi caritatis imperantis ad meritum de condigno gloriae essentialis.

317. Patroni alterius sententiae urgent et ipsi testimonia biblica, ss. patrum nec non argumenta theologica ad proprium placitum adstruendum. Ex Scripturis enim, aiunt, caritati promittitur et proponitur merces, ut I. Corinth. II, 9, ubi dicitur: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Et Iac. I, 12: *Beatus vir qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se;* nec non Gal. V, 6: *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed fides, quae per caritatem operatur.* Item Rom. V, 5: *Spes non confundit: quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris.* Quibus tribus postremis textibus meriti ratio aperte caritati tribuitur. Sed insuper virtutibus sine caritate meritum negatur, ut patet ex I. Cor. XIII, 2, 3, ubi legitur: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Nihil his luculentius dici potest.

318. Ex patribus laudant potissimum s. Augustinum, qui lib. XV *De Trinit.* cap. 18 affirmat, quod *caritas solum donum est, quod dividit inter filios regni aeterni et filios perditionis aeternae.* In caritate igitur sola ipse agnoscit meriti rationem. Neque his contentus, caritatem *iustitiam* vocat, ut insinuet soli caritati ex iustitia praemium tribui, dicens lib. *De nat. et grat.* cap. LXIX: *Caritas inchoata, inchoata iustitia est; caritas provecta, provecta iustitia est, caritas magna, magna iustitia est; caritas perfecta, perfecta iustitia est; sed caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.* Ac demum caritatem ad meritum de condigno aperte exigit lib. IV *contr. Iulian.* cap. III, n. 33: *Hoc ergo amore opus est, ut bonum beatificum sit.*

319. Rationes vero theologicae petuntur vel a perfectione caritatis respectu ceterarum virtutum, quarum caritas regina est, istae ancillae: vel a proportione, quae intercedit inter amorem viae et amorem patriae; vel denique ex eo, quod caritas non augeatur nisi per actus proprios, adeoque nec praemium essentiale.

320. Ad alteram vero partem quod attinet de necessitate videlicet, ut actus aliarum virtutum extrinsece imperentur a caritate ad meritum condignum essentialis aeternae beatitudinis eiusque augmentum, iidem patroni tum Scripturis pariter, tum patrum, doctorumque auctoritate idem evincere satagunt.

321. Siquidem Scripturae 1° exigunt ad meritum, ut opus fiat in nomine Dei vel Christi, uti Matth. XIX, 29: *Qui reliquerit domum vel fratres, aut sorores... propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit.* Item Luc. IX, 48: *Quicumque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit.* Quid porro est agere in nomine Dei aut Christi, nisi per caritatem, qua sola tenditur in Deum? 2° Discrimen insuper ponunt inter meritum partum opere in nomine Christi facto, aut in nomine prophetae, aut in nomine iusti, dicente Christo Matth. X, 40, 42: *Qui recipit vos, me recipit; et qui me recipit,*

recipit eum qui me misit. Qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet... Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae tantum in nomine discipuli; amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Superflua vero esset eiusmodi distinctio inter opera patrata in nomine Christi, seu virtute caritatis, et opera facta in aliorum nomine, si idem meritum compararetur per haec diversa nomina; quod cum dici nequeat, restat ut tale in eo discrimen ponatur, quod opera elicita in nomine seu ex amore Christi immediate mereantur praemium essentiale, alia vero praemium tantum accidentale.

322. Accedit, quod concilium Tridentinum sess. VI, cap. 15 ad meritum de condigno requirat, ut opera iustorum in *Deo sint facta*, non iam ex eo solo capite, quod fundari debeant in amicitia Dei, aut per gratiam actualem fiant, quod alias iam statuerat, sed eo sensu, quod per caritatis imperium ac relationem in Deum fieri debeant.

323. Quo sensu s. Augustinus in lib. *De moribus Eccl.* cap. XV affirmavit, omnem virtutem, qua vitam aeternam meremur, esse caritatem, dicens: *Quod si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino esse virtutem affirmaverim, nisi summum amorem Dei. Namque illud, quod quadripartita dicitur virtus, ex ipsius amoris vario quodam affectu, quantum intelligo, dicitur.* Quae quidem verba non alio potuerunt sensu exarari, quam ut statueret, quod actus virtutum, quae ex eodem s. doctore obiectum speciale habent, ideoque a caritate et inter se distinguuntur, debeant ad merendam vitam aeternam de condigno imperari a caritate.

324. De s. Thoma, quod sibi adversetur, non dissimulant nonnulli contrariae doctrinae assertores, qui tamen animadvertunt, s. doctorem ita sensisse, eo quod ante concilium Tridentinum scripserit. Alii vero modestius adnituntur eius doctrinam cum doctrina concilii componere per benignam interpretationem. Verum quidquid de hoc sit, nos eius verba, prout iacent, proferemus. Igitur angelicus doctor I, 2, q. CXIV, art. 4, haec habet: *Principalitas meriti penes caritatem consistit. Primo enim considerandum est, quod vita aeterna in Dei fruitione consistit. Motus autem humanae mentis ad fruitionem divini boni est proprius actus caritatis, per quem omnes actus aliarum virtutum ordinantur in hunc finem, secundum quod aliae virtutes imperantur a caritate. Et ideo meritum vitae aeternae primo pertinet ad caritatem, ad alias autem virtutes secundario, secundum quod earum actus a caritate imperantur.* Et in quaest. XXVI *De veritate*, art. 6 ad 8, comparationem instituens inter meritum confessoris et martyris, concludit: *Quantum ad genus operis plus meretur minimus martyr quam quicumque confessor. Tamen quantum ad radicem operis potest confessor plus mereri, in quantum ex maiori caritate operatur: quia praemium essentiale respondet radici caritatis, accidentale vero generi actus. Inde est, quod aliquis confessor potest aliquo martyre esse eminentior quantum ad praemium essentiale, martyr tamen quantum ad praemium accidentale.* Item quaest. VI *De potent.* art. 9, affirmat, *omnes virtutes habere merendi efficaciam a caritate*, et alibi passim eandem doctrinam inculcat. De mente propterea angelici doctoris hac de re vix, aut nullatenus dubitari posse videtur.

325. Equidem haud ignoro, a

nonnullis ita exponi s. doctoris mentem, ut non differat a contrariae sententiae placito; idque colligunt ex aliis ipsius principiis, quod scilicet actus imperatus non habeat meritum distinctum ab actu imperante, sed unum idemque meritum cum illo constituat, ita tamen ut ratio meriti primario et intrinsece actui imperanti, secundario autem et denominative actui imperato obveniat. Cum quo nihilominus cohaeret, quod actus virtutum non imperati a caritate, aut imperati quidem, sed speculative sumpti per se ac ratione sui contineant meritum vitae aeternae. Hac ratione explanant, quae scribit s. Thomas I, 2, q. CXIV, art. 4 de merito spectante *primario* caritatem imperantem, *secundario* vero actum imperatum.

326. Sic ea quae habet in quaest. *De veritate*, de quantitate meriti pensanda ex *radice operis*, seu caritate, et ex *genere operis*, seu actu virtutis, intelligunt non de actu caritatis, vel de actu a caritate imperato, sed de quolibet opere bono hominis iusti, ut est gratia et caritate *habituali* informatus; quae vero ibidem angelicus doctor scribit de praemio *essentiali*, quod respondet caritatis radici, et de praemio *accidentali*, quod peculiari virtuti tribuitur, interpretantur de caritate pariter *habituali* in diverso gradu tanquam causa *remota*, et de actu virtutis tanquam causa *proxima* diversi praemii. Cum vero quidam virtutis actus prae se ferant maiorem quandam arduitatem, fit, ut peculiare praemium accidentale illis respondeat, cuiusmodi essent aureolae doctorum, virginum ac martyrum.

327. Demum quod docet Angelicus in quaest. VI *De potentia*, *omnes virtutes habere merendi efficaciam a caritate*, contendunt esse accipiendum de ipsa gratia sanctificante vel eius primaria proprietate, unde dignitas operis ad praemium essentiale habetur, minime vero de *actu* caritatis aut de eius *imperio* (1).

§ III.

Conclusio.

328. Talia sunt argumenta, quae pro utraque contendentium sententia militare videntur. Nobis satis sit ea in medium attulisse; quin velimus iudicium ferre, pro qua veritas stet. Res satis implexa et incerta videtur. Nos id unum dicimus posteriorem opinionem, quae pugnat pro necessitate caritatis imperantis seu influentis in singulos virtutum actus, valde ad pietatem fovendam conferre, optandumque esse, ut omnes hanc caritatis viam in actionibus suis sectarentur. Ast durum ex altera parte videtur adstringere, sin minus praecepto saltem sub conditione *sine qua non* habeatur condignum meritum, fideles omnes ad suas operationes singillatim ex caritate actuali aut virtuali saltem, explicite et ex imperio caritatis eliciendas, et quidem ita, ut meritum de condigno non intercedat in tot pietatis operibus ac virtutum actibus in quibus sine caritatis imperio contingat se exercere. Multo minus pro hac sententia animum flectimus, cum tridentina synodus, ut ex adductis testimoniis patet, eiusmodi conditionem, quae tamen tanti momenti esset, minime constituerit.

329. Quae cum ita se habeant, nec quidquam hac super re definitum ab ecclesia fuerit, optimum ducimus, libertatem unicuique esse relinquendam sentiendi, quid sibi ve-

(1) Ita quidem Kilber in cit. tract. *De caritate*, loc. cit. art. 3.

rius visum fuerit. Ac interea omnes adhortari non omittimus, ut satagant opera sua ex intimo in Deum amore elicere, ut Deus in omnibus et super omnia diligatur, honoretur et glorificetur. Nam quamvis caritas imperans non foret necessaria ad meritum in iustorum operibus, omnes fatentur, caritatem illud in immensum augere.

Art. III.

De praecepto dilectionis suiipsius et proximi.

330. Cum ageremus de obiecto secundario caritatis, ostendimus, istud constitui tum ex amore, quo nosmetipsos, tum ex eo, quo proximum prosequi debemus. Hic porro de praecepto, quo ad utramque adstringimur dilectionem, ac de ordine seu ratione, qua eiusmodi dilectio, seu potius dilectionis praeceptum executioni mandandum est, disserere proposuimus. Nec paucae nec leves sese nobis offerunt de hoc argumento discutiendae quaestiones, quas in sequentibus propositionibus, duce potissimum angelico doctore, qua maiori fieri poterit brevitate ac perspicuitate elucidabimus.

PROPOSITIO I.

Tenetur quisque vi praecepti caritatis magis se quam ceteros diligere in ordine praesertim ad aeternam salutem, et ad ea quae ad eandem perducunt.

331. Cum de caritatis erga nos ipsos dilectione disseritur, spectanda in nobis est duplex substantia, spiritualis videlicet, quae est anima, et materialis, quae est corpus; cum vero corpus utpote pars inferior ordinatum sit ad animam, quae nobilior est, exinde sequitur, quod, cum dicimus, hominem debere seipsum diligere, in ordine potissimum ad animam id intelligi debeat.

(1) Lib. *De civ. Dei*, cap. 20.

332. De huius propositionis hoc sensu expositae veritate nos dubitare non sinunt tum sacrae Litterae, tum patrum auctoritas, tum ipsa denique theologica ratio.

333. Nam palmaria sunt Christi verba Matth. xvi, 26: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Salvare igitur seipsum negotium est omnium maximum, et cui nullum aliud est comparandum, multo vero minus praeferendum. Huc pariter faciunt eiusdem Christi verba, quibus Matth. xxii, 39 secundum legis exponens mandatum, ait: *Diliges proximum tuum sicut te teipsum*; quibus Christus exhibet amorem, quo quisque se prosequi debet, veluti normam ac regulam illius amoris ac dilectionis, qua ceteros a se distinctos prosequi debet. Iam vero regula seu norma perfectior profecto esse debet eo, quod ad regulam exigitur, seu ut loquuntur scholae, regula prior ac praestantior est regulato, ideoque nemo praeferri debet in iis, quae ad animam seu ad aeternam salutem spectant, sibi ipsi.

334. Hinc s. Augustinus, *Regulam*, inquit, *diligendi proximum a semetipso dilector accepit* (1), et alibi: *Ea autem est regula dilectionis, ut, quae sibi vult bona provenire, et illi velit; et quae accidere sibi mala non vult, et illi nolit* (2).

335. Rationem autem theologicam suppeditat s. Thomas, dum sic ratiocinatur: *Homo diligit Deum ut principium boni, quod est beatitudo, diligit seipsum, ut participem illius boni, diligit autem proximum, ut sibi socium in tali bono. Sed potior diligendi ratio est participare in se*

(2) Lib. *De vera religione*, cap. 46. n. 87.

beatitudinem, quam habere socium in ea participanda, sicut potior est unitas quam unio ; ergo homo ex caritate debet magis diligere seipsum quam proximum (1).

336. Ex quo infertur, neminem posse vi eiusdem praecepti negligere proprium in vita spirituali profectum, ut aliorum spirituali bono prospiciat: multo vero minus aut se aeternae incurrendae damnationis periculo exponere, ut aliis suppetias ferat, aut ullo vel levi peccato se commaculare, ut aliorum salutem promoveat. Secus enim agendo convinceretur alios magis quam se amare, bonumque proximi proprio spirituali bono praeferre, imo hominis bonum bono et gloriae Dei, illum vel veniali noxa offendendo, quod absonum foret (2). Hinc apostolus eos damnat, qui dicebant: *Faciamus mala, ut veniant bona* (3).

337. Illud solum interdum permittitur, ut quis intuitu boni spiritualis proximi, aut differat, aut etiam omittat bonum aliquod spirituale, quod non est praeceptum, ut cum aliquis pusillus ex eo scandalum ob infirmitatem suam pateretur. Sic etiam laude dignus censetur actus caritatis, quo quis optat dilationem propriae beatitudinis, ut spirituali bono ac plurimorum saluti prospiciat. Quo sensu nonnulli interpretantur s. Pauli desiderium cupientis anathema se esse a Christo pro fratribus. Quo sensu scribit s. Thomas: *Per hoc non ostenditur, quod apostolus plus diligeret proximum quam Deum ; sed quod plus diligeret Deum quam seipsum. Volebat enim ad tempus privari fruitione divina, quod pertinet ad dilectionem sui, ad hoc, quod honor Dei procuraretur in proximis, quod pertinet ad dilectionem Dei* (4).

338. Exinde facile solvuntur, quae huic doctrinae opponi possunt; quod nempe 1. particula *sicut aequalitatem*, non autem *similitudinem* significet; quod 2. deberemus anteferre proximum, qui melior nobis sit in ordine ad Deum ; aut quod 3. Moyses Exod. XXXII ac Paulus Rom. IX praetulerint salutem proximi saluti propriae; item quod 4. apostolus I. Cor. XIII, 5 inter characteres caritatis et illum recenseat: *Non quaerit, quae sua sunt.* Demum quod 5. nos magis diligere debeamus Christum et b. Virginem, quam nos. Levia siquidem eiusmodi sunt nulliusque momenti. Etenim.

339. Ad 1. Resp. *D.* Particula *sicut* non semper similitudinem, sed interdum aequalitatem denotat, *C.*; nunquam, *N.*; ut patet ex innumeris prope exemplis sacrorum eloquiorum, ex. gr. Matth. V, 48: *Estote ergo vos perfecti sicut et pater vester coelestis perfectus est;* et Io. XVII, 21: *Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te;* ut alia praeteream, quae referre non vacat.

340. Ad 2. *D.* Si deberemus, aut possemus praeferre bonum spirituale alienum nostro, *C.*; secus, *N.* Caritas est potissimum bonum diligentis, quo homo coniungitur Deo (5).

(1) II, 2, q. 26, art. 4.

(2) Huc refertur illud auctoris *De imit. Christi*, effatum: *Vigila super teipsum, excita teipsum, admone teipsum; et quidquid de aliis sit, non negligas teipsum.* Lib. 1, cap. ult., n. 11.

(3) Rom. III, 8.

(4) II, 2, q. 27, art. 8 ad 1. Huc referuntur quae de s. Ignatio in Breviario Rom. in eius festo leguntur: « Auditus aliquando dicere: Si optio daretur, malle se beatitudinis incertum vivere, et interim Deo inservire et proximorum saluti, quam certum eiusdem gloriae statim mori. »

(5) Cf. s. Thom. II, 2, q. 26, art. 4 ad 1. Sic enim scribit s. Doctor: « Quantitas et mensura caritatis pendet non a solo obiecto *(Deo)*, sed etiam a subiecto; ergo non solum considerandum, quis sit

341. Ad 3. Responsio patet ex nodo dictis.

342. Ad 4. In temporalibus, uti nox dicemus, *C.*; in spiritualibus, *N.*

343. Ad 5. De Christi amore concedimus; quia, cum unica sit in eo persona eaque divina, Christus est Deus, non autem proximus noster, ideoque nobis eum praeferre debemus. Ad Deiparam vero quod spectat, obiective certe magis diligenda a nobis est, quia ipsi velle debemus maiora bona ob matris Dei dignitatem, qua supra creaturas omnes exaltata est.

344. Sed ut iam revertamur ad propositionis nostrae elucidationem, apposite in eius enunciatione adiecimus: *in ordine praesertim ad aeternam salutem, et ad ea quae ad eandem perducunt;* siquidem exploratum est, non solum licere, sed interdum ex praecepto caritatis quempiam teneri tum vitam temporalem propriam pro salute spirituali proximi exponere, atque etiam amittere; multo vero magis pro aliorum salute temporalia bona profundere. Ac primo quidem licere et expedire, imo etiam interdum oportere iuxta omnes in extrema, iuxta aliquos etiam in gravi necessitate se mortis periculo exponere, cum quis in statu gratiae probabiliter constitutus est, ut eum salvet, qui in statu lethalis noxae reperitur; cuius rei rationem praebet angelicus doctor, scribens: *Illud magis est ex caritate diligendum, quod habet pleniorem rationem diligibilis ex caritate. Consociatio autem in plena participatione beatitudinis, quae est ratio diligendi proximum, est maior ratio diligendi quam participatio beatitudinis per redundantiam, quae est ratio diligendi proprium corpus. Et ideo proximum, quantum ad salutem animae, magis debemus diligere quam proprium corpus* (1). Et hoc quidem ex virtute caritatis. Ex praecepto vero caritatis etiam privati, ut modo dixi, interdum tenentur se mortis periculo exponere; sed episcopi et pastores animarum insuper *ex speciali suo officio;* et haec obligatio potest etiam ex *iustitia* oriri, quoties necessitas eis subveniendi urgeat, iuxta illud Christi Io. x, 11: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Quoad casus autem singulares consuli possunt moralis theologiae institutores.

345. Quod si ex caritate, cum opus fuerit, tenemur vitam ipsam interdum pro animarum salute despicere, quanto magis, si proximi salus aeterna id poscat, debemus temporalium tantum bonorum iacturam pati? Profecto in certis rerum adiunctis reus coram Deo fieret, qui, cum posset, ne detrimentum in bonis suis patiatur, se subtraheret ab aliena salute procuranda.

346. Et haec quoad comparationem inter propriam vitam temporalem ac temporalia bona, et vitam spiritualem proximi; quod vero spectat ad vitam temporalem propriam comparatam cum vita temporali alterius, ceteris paribus, unusquisque tenetur suam alterius vitae praeferre, prout ordo caritatis postulat; ideoque illicitum esset per se, ad alterum ab interitu salvandum, vitam propriam profundere, aut evidenti periculo illius amittendae se exponere.

347. Dixi: *Ceteris paribus*, aut *per se*, quoniam non desunt multiplices exceptiones, in quibus quis laudabiliter possit vel etiam teneatur alterius vitam propriae praeferre;

Deus, sed etiam quod sit nobis diligentibus propinquior.

(1) II, 2, q. 26, art. 5.

ut si ageretur de vita salvanda viro alicui reipublicae necessario aut valde utili, aut de multitudine periclitante, et ita porro. Praeterea etiam extra talem rerum conditionem omni laude dignus censetur, qui ex amore virtutis vitam propriam pro salvanda aliena immolat. Quare s. Thomas, *tradere*, inquit, *seipsum morti propter amicum est perfectissimus actus virtutis: unde hunc actum magis appetit virtuosus quam vitam propriam corporalem. Unde quod aliquis vitam propriam corporalem propter amicum ponit, non contingit ex hoc, quod aliquis plus amicum quam seipsum diligat; sed quia in se plus diligit quis bonum virtutis, quam bonum corporale* (1). Et reipsa non desunt exempla sanctorum virorum, qui ita se gesserint. Notum est factum s. Paulini Nolani, qui seipsum in servitutem tradidit ad liberandum filium viduae a Vandalis in captivitatem redactum; qua de causa summis laudibus a s. Augustino aliisque patribus illius aetatis vir sanctus celebratus est. Atque in hanc sententiam adduci consueverunt Christi verba Io. xv, 13: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (2). Id ipsum insinuant, quae scripsit s. Ioannes I Epist. III, 16: *In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit; et nos debemus pro fratribus animas ponere.*

348. Quoad bona vero temporalia illud in genere dici potest pro gradu necessitatis aliisque circumstantiis nunc praestare, nunc oportere pro amico seu proximo in necessitate urgente constituto, detrimentum capere in propriis bonis, ad subveniendum indigentiae alienae. Id enim caritatis virtuti, etsi non semper imperetur, tamen valde consentaneum est, et in sacris Litteris eiusmodi agendi ratio plurimum commendatur. Hinc Prov. XII, 26 dicitur: *Qui negligit damnum propter amicum, iustus est.* Item Eccli. XXIX, 13: *Perde pecuniam propter fratrem et amicum tuum: et non abscondas illam sub lapide in perditionem.* In pari vero necessitatis extremae casu revocanda est theoria de conflictu inter amissionem aut conservationem vitae propriae et alienae. Nam ceteris paribus conservatio vitae propriae anteferenda est alterius vitae conservationi.

349. Dixi: *in genere;* nam quod attinet ad casus particulares, consuli debent, qui de practica theologia morali commentaria ediderunt; prout ad eosdem auctores remittimus in iis, quae spectant ad peculiare praeceptum eleemosynae cum suis consectariis, cum hoc sit alterius argumenti.

PROPOSITIO II.

Tenetur homo ex praecepto caritatis proximum ordinate diligere sicut seipsum.

350. Singulae enunciatae propositionis voces sunt enucleandae, priusquam eius veritatem ostendamus, ad eiusdem maiorem intelligentiam. Igitur 1° diximus, quod *homo* teneatur, non autem christianus, ut significaremus non solum agi de praecepto *supernaturali*, verum etiam de *naturali*, quo singuli adstringantur ad mutuo se diligendum. 2° Diximus: *Proximum ordinate diligere*, quia diversa ratione hoc dilectionis praeceptum est executioni mandandum. 3° Diximus: *Sicut seipsum*, ut intelligeretur, proximum non verbo aut lingua, *sed opere et veritate*, id est affectu et effectu esse diligendum. Quandoquidem autem

(1) In 3 Sent. d. 29, art. 3 ad 3.

(2) Cf. apud Maldonat. et Cornelium a Lap.

maior in hoc praecepto exequendo difficultas in dilectione inimicorum consistat, de hac peculiarem statuemus propositionem.

351. Quibus praemissis, sic iam accedimus ad eiusdem propositionis veritatem generatim evincendam. Ac primo teneri nos ad diligendum proximum sicut nos ipsos sub praecepto, fides ipsa docet, dicente Christo Matth. XXII, 39: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Nec ulla hac super re movetur quaestio.

552. At res non ita se habet, dum inquiritur, utrum eiusmodi praeceptum sit solum naturale, an vero etiam supernaturale. Nec enim defuerunt, qui contenderint, tum Deuteronomii verba cap. VI tum Christi Matth. XXII de solo praecepto naturalis dilectionis esse intelligenda, cum numquam teneamur proximum diligere supernaturali dilectione (1). Nos vero iuxta praemissa de utroque amore tum naturali, tum supernaturali ex communi sententia dari praeceptum, iam adstruere aggrediamur.

353. Ac primo dari praeceptum naturale dilectionis proximi, ipsa naturalis ratio suadet, quae insuper patefacit, nihil esse magis hoc amore necessarium ad generis humani conservationem, ad pacem et iustitiam tutandam. Alioquin vix unquam contra proximum peccaremus, nullo interveniente praecepto; quod est absurdum. Dixi vix unquam contra proximum peccaremus, nullo interveniente praecepto, scilicet caritatis; quia, etsi omnia peccata in proximum sint contraria caritati, non sequitur, esse tantum peccata, quia caritati sunt contraria. Nonne enim contra iustitiam peccaretur, etiamsi caritatis nullum esset praeceptum?

(1) Ita Caietanus in sacr. Script. exposit.

354. Dari praeterea praeceptum de proximi dilectione supernaturale, adeo ex sacris Litteris apertum est, ut mirum videri debeat, potuisse quosdam id in dubium revocare. Etenim, ut habetur I. Io. IV, 21: *Hoc mandatum habemus a Deo, ut, qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.* Et Christus ipse Io. XV, 12: *Hoc est praeceptum meum*, inquit, *ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Quibus verbis non modo uti suum peculiare praeceptum inculcat, sed insuper adiicit rationem, qua sit observandum, dicens: *Sicut dilexi vos*, quae certe non exhibent naturale tantum praeceptum; ipse enim nos supernaturali plane amore et in ordine ad supernaturalem beatitudinem dilexit. Hinc Paulus Rom. XIII, 8 scribit: *Qui diligit proximum, legem implevit*, quia caritas proximi involvit caritatem Dei, prout etiam, ut constat ex allatis verbis, Ioannes id ipsum declarat et inculcat. Hinc s. Augustinus observat, quod, licet necessarium sit duo caritatis praecepta servare, Dei scilicet et proximi, tamen saepe in Scriptura unum poni ut sufficiens, quia non potest alterum ab altero separari. Sic enim scribit lib. VIII *De Trinit.* cap. VII: *Cum duo praecepta sint, in quibus tota lex pendet et prophetae, dilectio Dei et dilectio proximi; non immerito plerumque Scriptura pro utroque unum ponit: sive tantum Dei.... sive tantum proximi dilectionem Scriptura commemorat..... Et plura alia reperimus in Litteris sanctis, in quibus sola dilectio proximi ad perfectionem praecipi videtur, et taceri de dilectione Dei, cum in utroque praecepto lex pendeat et prophetae. Sed et hoc ideo quia et, qui proximum diligit, consequens est, ut et ipsam praecipue dilectionem diligat. Deus autem dilectio est.* Exinde sequitur,

quod si nos proximum propter Deum diligere tenemur vi praecepti caritatis, teneamur hoc ipso illum diligere amore supernaturali, prout Deum supernaturali amore diligere vi eiusdem praecepti adstringimur. Hinc si caritate supernaturali ideoque in ordine ad aeternam beatitudinem proximum diligimus, non modo bona naturalis ordinis, sed praeterea, imo praecipue, debemus bona supernaturalia, quantum in nobis est, ei velle et procurare (1).

355. Ad alteram propositionis partem quod attinet, qua asseritur, proximum esse *ordinate* diligendum, ea illos arguit, qui contenderunt, ut refert s. Thomas, proximos omnes esse aequaliter ex caritate diligendos saltem quoad affectum, etsi non ita quoad effectum, seu quoad exteriora beneficia (2).

356. At certum est eodem Angelico docente, diversa ratione ac inaequali saltem gradu affectus et intensitatis alios prae aliis etiam amore caritatis esse diligendos. Quod tribus potissimum argumentis ostendit, nempe tum ex eo, quod maius peccatum sit in aliquos delinquere quam in alios, quia alios prae aliis diligere tenemur; tum ex eo quod fatentibus adversariis, magis uni quam alteri tenemur beneficia praestare, cur? nisi quia interiori affectu magis prosequi debemus; tum denique ex eo, quod caritatis ordo desumi debeat ex maiori, vel minori cum Deo ac nobis propinquitate, quae profecto inaequalis est (3).

357. Exinde colligit s. doctor ceteris paribus seu per se magis diligendos esse nobis carne coniunctiores quam extraneos, quamvis meliores. Idque evincit multiplici ratione; ac primo, quia fervor et intensio dilectionis eorum, qui post Deum diligendi sunt, peti debent per comparationem ad diligentem; adeoque quo aliquis diligenti coniunctior est, eo magis seu intensius est diligendus. Secundo, quia ordo caritatis postulat, ut homo prius seipsum quam proximum etiam meliorem diligat; ergo similiter postulat, ut homo prius sibi coniunctiores magis diligat, cum quantitas dilectionis ex diligente sumatur. Tertio quia, cum coniunctio sanguinis sit secundum substantiam, est prior firmiorque quam coniunctio per gratiam; ergo qui secundum sanguinem coniunguntur magis quam, qui secundum gratiam coniunguntur, diligendi sunt. *Et ideo possum*, inquit, *ex caritate velle, quod iste, qui est mihi coniunctus, sit melior alio, et sic ad maiorem beatitudinis gradum pervenire possit* (4). Idque, ut subintelligitur, absque alterius iactura. Quarto, quia propinquiores pluribus prae aliis titulis ad dilectionem gaudent; diliguntur enim tanquam vitae aeternae capaces, tanquam consanguinei, tanquam cives et familiares, etc. Amplioris proinde dilectionis, tum naturalis, tum supernaturalis digni habendi sunt. Quinto, quia speciali mandato iubemur parentes honorare et diligere; ac proinde maiora illis debemus tum benevolentiae signa, tum potiora officia impendere. Hinc Levit. xx, 9 statuitur: *Qui maledixerit patri suo, aut matri, morte moriatur;* et apostolus I. Timoth. v, 8: *Si quis*, inquit, *suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior. Suorum* autem nomine apostolum filios, nepotes, aliosque

(1) Cf. Suarez, *De carit.* disp. 5, sect. 4.

(2) II, 2, q. XXVI, art. 6.

(3) Loc. cit. ubi totum argumentum praeclare ac lucide evolvit.

(4) Ibid. art. 7.

carne propinquos designare, nemo est qui ambigat (1).

358. Non ideo propterea quidpiam detrahitur aestimationi ac dignitati spiritualis cognationis, quae profecto cognationi carnali praeferenda est, ubi praesertim de maiori Dei gloria procuranda agitur. Quo sensu dixit Christus Matth. XII, 48, 50: *Quae est mater mea, et qui sunt fratres mei?.... Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse meus frater, et soror, et mater est.* Id igitur unum intendimus cum angelico doctore adstruere, quod in aequali sive spirituali, sive corporali necessitate ex virtute caritatis debeamus carnaliter propinquos extraneis praeferre, sive quoad affectum, sive quoad effectum (2).

359. Si quis vero petat, quando obliget hoc de proximi dilectione praeceptum, respondetur, quatenus ipsum est negativum, obligare semper et pro semper, adeo ut nunquam aliquem odisse liceat; quatenus autem est affirmativum, dicimus, toties actum internum adstringere, quoties necessarius est ad opus externum, et beneficium proximo praestandum, vel ad vincendum odium et offensionem proximi; item cum occurrerit necessitas misericordiae exercendae, aut est vitandum periculum odii aut vindictae, demum cum urgent obligationes caritatis in proximum exercendae iuxta ordinem expositum.

360. Licet vero plerumque ad eiusmodi actus exercendos sufficiat amor naturalis, interdum tamen, imo saepius necesse est supernaturalem esse hunc actum, quando scilicet opus ponendum est supernaturale, aut valde difficile, aut gravis urget tentatio odii aut vindictae propter acceptam offensam. In his similibusve casibus motiva naturalia ut plurimum non sufficiunt, et nisi in subsidium adsciscantur motiva supernaturalia, frangitur humana infirmitas et succumbit.

Difficultates.

361. Obi. adversus alteram propositionis partem (nam quoad priorem vix aliquid alicuius momenti excipitur), 1° Apostolus Coloss. III, 11, quoad christianos scribit: *Non est gentilis et iudaeus... sed omnia et in omnibus Christus.* Nulla igitur admitti debet distinctio inter extraneos et propinquos. 2° Ex eodem in Epist. ad Galat. tenemur operari *bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei* (VI, 10). 3° Deut. XXXIII, 9, commendantur Levitae, eo quod nulla ratione parentum habita, *custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt*, dicentes patri suo et matri suae: *Nescio vos*, et fratribus suis: *Ignoro vos.* Ergo non sunt propinqui prae ceteris diligendi. 4° Vetus auctor librorum *de vita contemplativa* inter opera s. Prosperi lib. III, cap. 25; amorem ortum ex necessitudine tanquam carnalem reiicit ac damnat. 5° Horum vero omnium ratio est, quia amor noster conformari debet divinae dilectioni; iam vero Deus magis meliores diligit, qui propterea magis de divina bonitate participant. 6°

(1) Loc. cit. art. 6, 7 et 8, qui deinde in articulis sequentibus descendit ad magis particularia respectu dilectionis maioris, quae debetur filio potius quam patri, matri, uxori, benefactori, etc.

(2) Idem ordo servandus in gradibus propinquitatis inter coenobitas et alienos, inter cives et extraneos, inter contribules, christianos, etc. Cf. s. Thom. qui in 3 Sent. d. 33, art. 2 ad 4 scribit: « Et plus debet diligere quisque se quam alium; et propinquos quam extraneos, et amicos quam inimicos, et bonum commune multorum quam bonum privatum unius. Cf. etiam Suarez, tota disp. 9, ubi prolixe de hoc ordine tractat.

Sane in altera vita beati magis diliguntsanctiores quam propinquiores. Ergo.

362. Resp. ad 1. *D.* Et apostolus loquitur in ordine adiustificationem, *C.*; in ordine ad exclusionem graduum caritatis inter propinquos et extraneos, *N.* Scopus apostoli in obiecto textu est ostendere, omnes sive iudaeos sive gentiles in Christo unum esse, utpote qui divinae misericordiae et bonitatis pariter participes fuerint. Idque comprehendit apostolus *renovationis* nomine, in qua nulla est distinctio aut personarum, aut nationum, aut rituum (1), cum totum sit ex gratia Dei.

363. Ad 2. *D.* Ad significandum in beneficentia praeferendos domesticos fidei seu fideles infidelibus, *C.*; praeferendos, aut etiam aequandos extraneos domesticis, *N.*

364. Ad 3. *D.* Eo quod posthabuerint carnem et sanguinem gloriae Dei, *C.*; ad excludendum naturalem ac supernaturalem affectum erga propinquos, *N.* Sane et nos fatemur, Dei gloriam et honorem esse cuicumque affectui carnali, cum in conflictum venerint praeferendum: quo sensu dixit Christus iuxta intelligentiam patrum: *Si quis... non odit patrem suum et matrem... adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus* (2). Quo referuntur s. Gregorii M. verba: *Ut uxorem, et eos, qui nobis carnis coniunctione coniuncti sunt, et quos proximos novimus, diligamus; et quos adversarios in via Dei patimur, odiendo et fugiendo nesciamus* (3). Non tamen inde consequitur, non esse praediligendos consanguineos et affines; cum cetera sunt paria.

365. Ad 4. *D.* Si ex affectu vitioso oriatur eiusmodi amor, *C.*; si ex caritate et propter Deum propinqui diliguntur, *N.* Neque aliud intendit praecitatus auctor (4), dum carnalem affectum reprobat et damnat.

366. Ad 5. *D.* Debet amor noster conformari divinae dilectioni secundum proportionem, *C.*; absolute, *N.* Quae ut intelligantur, praestat subiicere verba s. Thomae, qui sibi hanc ipsam difficultatem proposuerat et ita solvit: *Caritas facit hominem conformari Deo secundum proportionem, ut scilicet ita se habeat homo ad id, quod suum est, sicut Deus ad id, quod suum est. Quaedam enim possumus ex caritate velle, quia sunt nobis convenientia, quae tamen Deus non vult, quia non convenit ei, ut ea velit* (5).

367. Ad 6. *Neg.* paritatem utriusque status; in altera enim vita alios diligimus iuxta propinquitatem maiorem quam habent ad Deum, quae erit sola ratio dilectionis nostrae; in hac vero desumimus etiam dilectionis rationem ex propinquitate, quam alii habent ad nos, ut eis tum in spiritualibus tum in corporalibus praebeamus auxilia, quibus indigent (6).

(1) Cf. Estium in hunc loc.

(2) Luc. XIV, 26.

(3) Hom. XXXVII in Evang. Huius fortitudinis exemplum inter ceteros nobis egregium exhibuit s. Thomas archiepiscopus Cantuariensis et Martyr, qui, ne cederet nefariae Henrici II. Angliae regis voluntati, non respexit carnem et sanguinem, ut iura Ecclesiae defenderet. Nec desunt eiusmodi exempla aetate ipsa hac nostra sub dira, qua versamur, insectatione, in qua haud pauci praesules ac sacerdotes exilia et carceres patiuntur potius, quam deserant officium suum.

(4) Verus istius operis auctor est Iulianus Pomerius saeculi V, scriptor. Opus istud commendatum summis laudibus ab antiquis est. De quo confer, quae scripsit editor operum s. Prosperi in prologo ad appendicem op. s. Prosperi, v. 2.

(5) II, 2, q. 26, art. 7 ad 2.

(6) Cf. ibid. s. Thom. art. 13.

368. Advertendum tamen est, quae constituimus de ordine dilectionis servando intelligi debere in eodem genere bonorum, vel necessitatum, scilicet comparando spirituale ad spirituale. Si enim mutetur comparatio, magis teneor subvenire spirituali necessitati gravi exteri hominis, quam corporali gravi alicuius coniuncti; id ipsum dicatur de utraque extrema (1).

PROPOSITIO III.

Tum lege naturali tum lege positiva divina tenetur homo diligere peccatores et inimicos suos.

369. Omnes prorsus homines viatores sive iustos sive peccatores, sive inimicos, obiectum esse caritatis pariter, suo loco ostendimus, cum ageremus de secundario obiecto materiali caritatis seu de proximi dilectione. Ideo vero in praesentiarum dari praeceptum de peccatorum, praesertim autem inimicorum dilectione, demonstrare constituimus ob specialem difficultatem, quam infirma natura nostra experitur in eiusmodi inimicorum amore. Inimicorum autem nomine veniunt ii, a quibus iniuriam passi sumus, aut qui nos odio prosequuntur.

370. Iam vero in primis lege naturali nos obligari ad peccatores etiam inimicos diligendos suadet 1° principium illud cordibus nostris digito Dei insculptum: *Quod tibi fieri non vis alteri ne feceris;* omnes vero volunt amari, non autem odio haberi, multo minus laedi, etiam ab eo, quem quis offendit. Suadet 2° ipsa ratio, quae dictat, non esse odio naturam habendam propter culpam, et opus Dei propter opus hominis. Addo, vel ipsos antiquos philosophos naturale hoc praeceptum agnovisse, saltem ex ea parte, qua negativum est, de non odio habendis inimicis et de iniuriis condonandis (2).

371. Sed praeterea idipsum praecipere legem divinam positivam, constat tum ex lege veteri, tum ex lege evangelica. Ac primo legem veterem hoc dedisse praeceptum de diligendis inimicis, patet ex iis, quae constituta sunt in Levitic. XIX, ubi postquam v. 17 negative dictum fuerat: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo;* et v. 18: *Non quaeras ultionem, nec memor eris iniuriae civium tuorum;* affirmative subditur: *Diliges amicum tuum sicut teipsum.* Ubi animadvertendum est, tum in hebraica veritate, tum in versione alexandrina pro: *Amicum tuum*, legi: *Proximum tuum* (3). Et reipsa ita hunc textum attulit Christus Matth. v, 43. Iam vero in proximorum censu etiam inimici comprehenduntur. Huc pariter spectant, quae leguntur Exodi XXIII, 4: *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis eum.* Ad cuius legis mentem Sapiens Prov. XXIV, 17, scribit: *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, et in ruina eius ne exultet cor tuum;* et iterum XXV, 21, 22: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitierit, da ei aquam bibere; prunas enim congregabis super caput eius, et Dominus reddet tibi* (4). Ne quis vero puta-

(1) Cf. Suarez, disp. 9, sect. 4, n. 2.

(2) Haud pauca ethnicorum exempla, qui in deponendo odio, et in condonandis iniuriis, excelluere, suppeditat Valerius Max. lib. 4, cap. 1. *De animi moderatione*, et cap. 2. *De reconciliatione.* Alia etiam praebet Plutarchus in opusc. moralibus.

(3) Verum non est omittendum vocem hebr. רֵעַ tam *amicum* quam *proximum* significare, ac propterea promiscue usurpari.

(4) In quem loc. cf. Cornel. a Lap. qui censet, phrasim illam *Prunas congregabis*, desumptam a medicina, quae fomenta ad

verit, in eiusmodi testimoniis non agi nisi de inimicitiis non gerendis solum cum confratribus mosaicam legem profitentibus, non autem de ceteris universim (1), praesto sunt, quae habentur apud Iob XXXI, 29, 30: *Si gavisus sum ad ruinam eius, qui me oderat, et exultavi, quod invenisset eum malum. Non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledicens animam eius.* Porro Iob haec de se profitebatur ad normam naturalis legis, a qua profecto non discrepabat lex scripta (2).

372. Sed luculentissima sunt quae hac de re in lege evangelica habentur. Christus enim Matth. V, 44, et Luc. VI, 27: *Diligite*, inquit, *inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.* Quae verba vim praecepti, omnes prorsus adstringentis prae se ferre evincunt quae immediate sequuntur apud s. Matthaeum: *Ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est*, seu ut computemur inter filios Dei, nempe iustos, alioquin ab ipso reiiciendi. Haec confirmantur ex iis quae idem Christus adiecit Matth. VI, 14, 15: *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester coelestis delicta vestra: si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Eademque ingeminat Matth. XVIII, 35, et Marc. XI, 25.

373. Id ipsum iugiter inculcant Christi discipuli I. Io. II, 11: *Qui odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat: quia tenebrae obcaecaverunt oculos eius;* et iterum ibid. III, 14, 15: *Qui non diligit, manet in morte. Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est; et scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam aeternam in semetipso manentem;* et alibi passim. Hanc eandem erga inimicos dilectionem inculcat apostolus Paulus, ut Rom. XIII, 8, 13: *Nemini quidpiam debeatis, nisi ut invicem diligatis; qui enim diligit proximum, legem implevit . . . Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio.* Quae licet de caritate generatim dicta sint, profecto inimicorum etiam dilectionem includunt. Et sic in omnibus epistolis suis id ipsum repetit, quin necesse sit singillatim verba eius afferre. Vere dici potest, hanc veluti tesseram esse evangelicae legis. Constat igitur, quod proposuimus, tum lege naturali, tum lege divina positiva inimicos diligendos esse.

374. Verum priusquam ad difficultates enodandas accedamus, nonnulla praenotemus necesse est ad ulteriorem dictorum declarationem.

375. In primis vero quoad obligationem dilectionis inimicorum, 1° ex praecepto tenemur semper ad interioris odii depositionem, et ad acceptae iniuriae remissionem; 2° tenemur insuper ad aliquam exteriorem depositi odii manifestationem in illis praesertim rerum adiunctis, in quibus, nisi id fiat, oriatur scandalum et nova offensa, ut cum veniam petit, qui intulit iniuriam. 3° Quoad remissionem satisfactionis, etsi semper ea ex praecepto non sit, cum liceat expetere reparationem damni tum in bonis

calefaciendum adhibet. Alii alia ratione exponunt, sed in id omnes conveniunt, significari cordis emollitionem per congeriem beneficiorum.

(1) Prout Maldonatus in cap. 5, v. 44 Evang. Matth. exponit. Verum plerique omnes eiusmodi expositionem reiiciunt.

(2) Ubi cf. Io. de Pineda in suis comment. in Iob, v. 2, ubi cum s. Gregorio M. ostendit, minus esse diligere inimicos, quam non laetari de eorum infortuniis.

externis tum in honore aut fama aliisque eiusmodi, utpote iustitiae consentaneam, si tamen, qui intulit iniuriam, satisfecit, quoad potuit, defectus esset caritatis velle illum urgere ad id, quod non potest. Summopere in his cavendum, ne misceatur odium, et ne nimium proximus prematur, ita ut cum notabili detrimento suo cogatur vel minimo damno satisfacere (1). 4° Quod vero attinet ad externa signa amicitiae, *per se* non tenemur nisi ad ea quibus tenemur erga alios omnes indiscriminatim, non autem ad specialia, cum nulla ratio cogat ad magis diligendum inimicum prae ceteris (2). Dixi: *Per se*, quia per accidens fieri potest ut maior obligatio oriatur ad vitandum scandalum, vel odii significationem (3); praesertim si inimicus prius salutet, ei denegari non potest resalutatio. 5° Nemo absque gravis peccati labe quempiam potest a communibus orationibus ac beneficiis excludere aut desideriis, auxiliis aut signis benevolentiae; siquidem moraliter eiusmodi exceptio argumentum exhiberet simultatis et odii, aliumque ad odium excitaret, pareret scandalum ac divisionem, nec sine gravi iniuria id fieret (4). 6° Malum temporale cuipiam optari posse, ut resipiscat, et ad bonam frugem se recipiat, tum ne aliis noceat, admittunt theologi. Sane s. Thomas in 3 sent. d. 33, art. 7, ad 6: *Potest*, inquit, *aliquis salva caritate optare malum temporale alicui, et gauaerè, si contingat, non in quantum est malum illius, sed in quantum est impedimentum bonorum alterius, quem plus tenetur diligere, vel communitatis vel ecclesiae; similiter de malo temporali eius, secundum quod per malum poenae impeditur frequenter malum culpae eius.* Et revera non desunt in Scripturis sanctis huius agendi rationis exempla, ut cum Psalmista dicebat: *Imple facies eorum ignominia; et quaerent nomen tuum, Domine* (5), et alibi saepe. Utique theoretice res ita se habet; sed cavendum solerter in praxi, ne sub obtentu odio prosequendi inimicos Dei, odio prosequamur inimicos nostros, cum facile gliscere in his possit propriae ultionis desiderium. 7° Tandem animadvertendum est, nos teneri quidem diligere inimicum, sed non *ut inimicum;* hoc enim foret peccatum ipsum diligere; ideoque distinguere debemus personam a peccato : illa diligenda, hoc odio prosequendum est; alioquin perversum esset et a caritate alienum (6).

Difficultates.

376. I. Obi. Adversus primam partem. 1° Ex lege naturali provenire nequit, quod ei naturaliter adversatur; atqui talis est inimici dilectio; 2° quod insuper eius vires superat, cum nequeat sola natura sine gratiae auxilio eiusmodi aversionem vincere. 3° Atque hinc est

(1) Cf. Suarez, disp. 5, sect. 5, n. 10.
(2) Cf. Card. Gotti, *De carit.* q. 1, dub. 5, § 5, n. 30.
(3) Ita s. Thom. II, 2, q. 25, art. 8 et 9.
(4) Cf. Suarez, loc. cit. n. 7.
(5) Ps. LXXXII, 17.
(6) Cf. s. Thom. loc. cit. q. 25, art. 8. Hic sunt cavendae tres propositiones ab Innoc. XI damnatae, quae habentur sub n. 10: « Non tenemur proximum diligere actu interno et formali. » 11 : « Praecepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos. » 13: « Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicuius tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, et desiderare, non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum. » In quas cf. Viva.

quod patres passim doceant, amare inimicum opus esse perfectionis christianae, imo ut loquitur s. Augustinus, *heroicae virtutis* (1). 4° Fieri igitur nequit, ut ex praecepto legis naturalis sit inimicus diligendus, cum nulla ratio boni, quae sit naturalis appareat in tali obiecto.

377. Resp. ad 1. *D. A.* Si adversaretur necessario ac natura, ut lupus agno, et e converso, *C.*; si ex sola morali dispositione, *N.* Natura potius dictat, sub quovis respectu proximum esse diligendum, prava proinde illa dispositio, ratione duce, deponi debet.

378. Ad 2. *D.* Absolute, *N.* Difficulter superari potest, *Subd.* Constanter, praesertim si vehemens sit, *C.*; ad tempus et aliquo modo, prout sufficit ad praeceptum implendum, *N.* Haud diffitemur, nonnisi aegre nec sine magna vi, quam quis sibi inferat, vinci posse eiusmodi odium, inimicumque diligi : attamen non agitur nisi de morali impotentia, quae absolute superari potest. Falso porro ab adversariis assumitur, nihil esse lege naturali praeceptum, nisi quod facile naturae viribus impleri possit. In his vero prout in aliis quoque praeceptis servandis opus est Dei auxilio, quod a Deo tanquam auctore naturae et ad finem naturalem obtinendum tribuitur (2).

379. Ad 3. *D.* Christianae perfectionis et heroicae virtutis est id praestare ea ratione, qua Christus docuit, *C.*; utcumque, *N.* Sane non modo iniuriam remittere, vindictae desiderium abiicere, odium deponere, inimicum non solum non odisse, verum etiam recipere ut fratrem, pro eo orare eique benefacere, unius profecto christianae et heroicae virtutis est, et hoc patres significare intenderunt; cum solae naturae vires huc non pertingant, et ad quae observanda uberioris gratiae auxilio opus est, neque naturalis lex id praecipiat; aut saltem, si praecipitur, minus cognitum eiusmodi praeceptum ante evangelicam legem erat.

380. Ad 4. *Neg.* Nam multiplex bonum exinde provenire, ipsa naturalis ratio deprehendit, cuiusmodi sunt pax, concordia, finis simultatum ac caedium, atque alia bona, quae tum familiae tum societati universae pene innumera emolumenta procurant.

381. II. Obi. Adversus alteram partem. Neque in lege divina constitutum est, inimicum esse diligendum. Siquidem 1. in lege veteri, nempe Deuter. xxv, 19, iussi sunt israëlitae interficere amalecitas illis verbis: *Delebis nomen eius sub coelo. Cave ne obliviscaris*, quae sine odio intelligi nequeunt. 2. Huc alludens Christus Matth. v, 43 ait: *Dictum est antiquis: Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum.* 3. Hinc passim legimus in psalmis et in prophetis, iniquos et peccatores ex animo odio habendos esse, ac supplicia ipsis nos ominari posse. Certe David de se profitebatur Ps. cxxxviii, 22: *Perfecto odio oderam illos: et inimici facti sunt mihi;* et in Ps. cxviii, 113: *Iniquos odio habui.* Item Ps. ix, 18: *Convertantur peccatores in infernum.* Et Ps. ciii, 35 : *Deficiant peccatores a terra et iniqui, ita ut non sint;* et aliis omissis, Ierem xviii, 23 sic Deum precatur : *Ne propitieris iniquitati eorum, et peccatum eorum a facie tua non deleatur: fiant corruentes in conspe-*

(1) Serm. 6 in ps. 118.

(2) Huc refertur, quod in tractatu *De gratia* traditur, non posse hominem solis naturae viribus universam legem implere. Cf. Suar. loc. cit.

ctu tuo, in tempore furoris tui abutere eis. Ergo.

382. Resp. *Neg. Ant.* Ad 1. prob. *D.* Esse interficiendos amalecitas ab hebraeis ut ministris divinae ultionis, *C.*, esse odio habendos, *N.* Quae duo valde inter se differunt, ut patet ex iudice, qui in reos sententiam dicit, atque ex iis, qui in bello iusto hostes occidunt, quin odio habeant.

383. Ad 2. *D.* Iuxta praeposteram pharisaeorum interpretationem, *C.*; vi legis, *N.* Communis magisque recepta interpretum sententia est, illud, *Et odio habebis inimicum tuum*, quod in lege non invenitur, fuisse vel additamentum vel pravam pharisaeorum inductionem. Verum alii refragantur contenduntque, sin minus explicite, implicite saltem in lege contineri odium inimicorum relate ad populos hebraeis extraneos (1). Quidquid porro de hac discrepantia sit, illud exploratum est nunquam in lege veteri indultum, multo vero minus praeceptum fuisse odium inimicorum sub quocumque respectu. Praeclare s. Augustinus lib. 10 cont. Faustum c. 24: *Non est contrarium*, scribit, *quod in antiqua Scriptura dictum est: Oderis inimicum tuum, et in Evangelio: Diligite inimicos vestros, quia unusquisque iniquus homo, in quantum iniquus est, odio habendus est, in quantum autem homo est, diligendus est.*

384. Ad 3. *D.* In psalmis et in prophetis iniqui et inimici dicuntur odio habendi etc., *D.*; ut Dei hostes, et prout formaliter inimici sunt, *C.*; per se, *N.* Si singuli percurrantur obiecti textus aliique eiusmodi non pauci, patebit, iustos non expetivisse contra impios nisi poenas, seu mala temporalia, aut in ordine ad eorum resipiscentiam, aut in vindictam offensarum Dei, aut uti in formales inimicos, seu ut peccatores; quandoque etiam istiusmodi mala incurrenda ipsis praedixisse uti prophetas.

385. Inst. 1° In nova lege, dum Christus Matth. v, 44 ait: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros*, de consilio eius verba accipienda sunt, seu de caritatis perfectione, non autem de praecepto, ut patet ex insequentibus verbis: *Ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est*, prout 2° s. Augustinus declarat, docens inimicorum dilectionem perfectionem esse (2); qui praeclare addit: *Ascendit aliquem gradum, qui proximum diligit, quamvis adhuc oderit inimicum* (3). 3° Et s. Hieronymus pelagianos reprehendit, quod, inimicos ut proximos diligendos esse, autumarent (4). Ergo.

386. Resp. ad 1. *Neg.* Sed rigorosum praeceptum continent Christi verba, uti ostendimus; neque aliud suadent, quae ibidem Christus adiecit: *Ut sitis filii Patris vestri*, aut: *Estote perfecti*, etc. Nam per oppositionem ad filios diaboli

(1) Ita, ut paulo ante innuimus, Maldonatus in suis commentariis in hunc Matthaei textum, ubi contendit, Christum non scribas sed legem ipsam hic corrigere, dum iubet inimicos diligere, eo quod hebraei in mandatis a Deo habuerint tum delendi amalecitas, tum chananaeos exterminandi. At vero hebraei in executione divinae sententiae adversus hos peculiares populos non praebuerunt nisi suum ministerium. Hoc vero non exigit odium. Quare dici debet, Christum explicuisse legem, et pravum sensum pharisaeorum correxisse, dum, nomine proximi non solum domesticos, sed etiam extraneos, imo omnes homines significari docuit.

(2) In *Enchir.* cap. 73.

(3) Lib. I *De serm. Domini in monte*, cap. 21.

(4) Lib. 2 adv. Pelag., n. 9.

tradit perfectionem essentialem, qua electi a reprobis, seu potius Christi discipuli ab etnicis et infidelibus secernuntur, qui nullam mercedem consequentur etiam ex mutuo naturali illo amore, quo se diligunt ac salutant, ut ibidem subditur. Accedit, universam sacram antiquitatem de vero praecepto Christi verba intellexisse.

387. Ad 2. *D.* Loquitur s. Augustinus in primo textu de dilectione speciali, qua quis se gerit cum inimico, perinde ac si esset amicus, *C.*; de caritate in genere, de qua nos agimus, *N.* Quoad alterum vero textum: loquitur s. doctor de aliquali gradu, qui non proficiat ad salutem, cuiusmodi erat etiam publicanorum, *C.*; de gradu salutari caritatis, *N.* Talem porro esse mentem s. Augustini in obiectis textibus, facile ostenditur, seriem totius orationis expendendo. Etenim ita se habet integer prior textus: *Minus enim magnum est erga eum esse benevolum, sive etiam beneficum, qui tibi nihil mali fecerit: illud multo grandius et magnificentissimae bonitatis est, ut tuum quoque inimicum diligas, et ei qui tibi malum vult, et, si potest, facit, tu bonum semper velis faciasque cum possis, audiens dicentem Deum: Diligite inimicos vestros, bene facite iis, qui vos oderunt, et orate pro eis, qui vos persequuntur. Sed quoniam* perfectorum *sunt ista filiorum Dei...* In altero vero textu significat s. Augustinus, illum, qui diligit proximum, quamvis adhuc odio prosequatur inimicum, aliquem gradum quidem iustitiae ascendere, non christianae et salutaris, sed pharisaicae, quaeque cum publicanis communis est, seu minus malus est eo qui nec diligit proximum neque eius necessitatibus subvenit. En et ibi integrum contextum: *Gradum tamen esse aliquem in pharisaeorum iustitia, quae ad legem veterem pertinet... Ascendit ergo aliquem gradum, qui proximum diligit, quamvis adhuc oderit inimicum... Nam ille gradus, quamvis non nullus sit, tam parvus est tamen, ut cum publicanis etiam possit esse communis* (1).

388. Ad 3. *D.* Reprehendit s. Hieronymus pelagianos, quod vellent speciali amore esse inimicos diligendos, ut familiares et consanguineos, *C.*; quod vellent simpliciter diligendos, *N.* Quod pariter ex orationis serie manifestum fit. Cum enim pelagiani exaggerarent facilitatem observationis mandatorum divinorum, respondet s. doctor: *Scandalizantem manum, oculum et pedem iubemur abscindere. Esto, per tropologiam dictum sit, pro amicissimis, et pro consanguineis, et fraterno nobis et coniugali amore sociatis; facilene arbitramur, ob quasdam offensas tantam subito abscindere caritatem?*

389. Ceterum de germana mente s. Augustini hac in re constat ex iis quae scripsit contra Faustum Manichaeum obtendentem, novum Testamentum veteri esse contrarium in hoc articulo: *Haec regula est, qua et oderimus inimicum propter id quod in eo malum est, id est, iniquitatem, et diligamus inimicum propter id quod in eo bonum est, id est, socialem rationalemque creaturam* (2).

390. Quoad s. Hieronymum patet eius sentiendi ratio ex iis, quae habet in commentariis in Matthaeum, ubi pluribus ostendit, inimicos diligendos esse. Quum vero ea notissima sint, hinc ab iis afferendis supersedemus.

(1) Loc. cit. n. 70.
(2) Lib. 19 contr. Faust. cap. 24.

CAPUT VI.

DE VITIIS CARITATI OPPOSITIS

391. Illud potest generatim dici, omnia peccata sive lethalia sive venialia caritati opponi. Nam unumquodque lethale peccatum est gravis divinae legis violatio, qua efficitur, ut homo, abiecto Deo, finem suum ultimum, saltem interpretative, in creatura constituat; est proinde gravis iniuria et offensa qua divina amicitia proscinditur, et caritas omnino tollitur. Venialia autem, quamvis cum caritate consistant, continent tamen aliquam Dei offensam ac divinae amicitiae saltem aliquantulam violationem, qua fit ut caritatis fervor minuatur.

392. Speciatim vero caritati opponitur odium tum Dei tum proximi, eaque omnia vitia quae ex eiusmodi odio proficiscuntur. Talia sunt acedia, quae opponitur gaudio de bono divino; invidia, quae opponitur gaudio de bono proximi; discordia, quae opponitur effectui caritatis, qui est pax; contentio, quae opponitur paci, quantum ad locutionem; schisma, bellum, rixa et seditio, quae paci opponuntur, quantum ad opus; et scandalum, quod opponitur caritati, quantum ad beneficentiam (1). Verum de his singillatim agere, praeterquamquod ad scopum non pertinet, quem nobis proposuimus, nimis longum esset: propterea ad theologiae moralis institutores, quorum est argumentum istud evolvere, eos, qui plura cupiunt, remittimus. Nobis agendum est de peccatis, quae proxime et immediate caritati adversantur, cuiusmodi sunt odium Dei et odium proximi.

393. Odium porro nihil aliud est quam aversatio alicuius obiecti. Bifariam distinguitur, in odium scilicet *abominationis*, et in odium *inimicitiae* ac *malevolentiae*. Odium abominationis illud dicitur, quo rem aut personam aliquam ita aversamur, ut eiusdem praesentiam imo et cogitationem prae displicentia ferre non possimus. Inimicitiae vero seu malevolentiae odium illud nuncupatur, quo obiecto inviso malum aliquod, puta annihilationem, mortem, seu infelicitatem quamcumque optamus deprecamurque; quo fit ut odium istud non tam sit aversio, quam prosecutio alicuius, quod apprehendimus ut nobis bonum et alteri malum.

394. Iam vero sicut amor, cui odium opponitur, imo et ex quo progignitur, duplex est, alter, quo diligimus bonum nobis ac dicitur concupiscentiae, alter autem, quo alium diligimus propter se ac illi volumus bonum, et dicitur benevolentiae: sic duplex utrique amori respondet odium. Amori concupiscentiae respondet odium abominationis, quo aversamur malum nobis; amori benevolentiae respondet odium inimicitiae seu malevolentiae quo volumus malum alteri, ut illi male sit. Ut plurimum posterius hoc oritur ex primo. Ex eo enim, quod aliquem ut nobis displicentem et molestum aversamur, fit, ut illi male velimus.

395. Respectu vero odii abominationis in proximum, duplex id esse potest; nempe odium *abominationis* ipsius personae, quo ipsam secundum se, quantum ad naturam vel gratiam, quis aversari potest velut malum displicens; eiusmodi autem odium semper malum est: et odium abominationis *qualitatis* proximi; hoc autem esse potest aut bonum aut malum, prout agitur de qualitatibus bonis vel malis.

(1) Ita s. Thom. II, q. 34, quae deinceps evolvit tum in praesenti quaestione, tum in subsequentibus.

396. Nunc iam quaeritur, utrum odium Dei sit possibile? Huic quaestioni respondet s. Thomas, non posse dari quoad eos, qui Deum in se vident, seu secundum suam essentiam; posse vero quoad eos, qui Deum non vident nisi in suis effectibus. Ratio porro quoad beatos qui Dei essentiam vident aperta est; quia cum Deus sit ipsa bonitas per essentiam suam, impossibile est, ut ipsum possint odio habere, prout impossibile est non amare bonum infinitum in se. Quoad viatores autem qui Deum tantum in suis effectibus intuentur, possibile utique est ipsis Deum odisse, saltem quoad illos effectus, quos ipsi apprehendunt tanquam contrarios sibi seu inordinatae illorum voluntati, cuiusmodi sunt *inflictio poenae et etiam cohibitio peccatorum per legem divinam, quae repugnant voluntati depravatae per peccatum. Et quantum ad considerationem talium effectuum, ab aliquibus Deus odio haberi potest, in quantum scilicet apprehenditur peccatorum prohibitor et poenarum inflictor* (1).

397. Et reipsa dari eiusmodi hominum monstra, qui Deum odio habeant, sacrae Litterae patefaciunt. Sic Num. x, 35 dicitur: *Surge, Domine, et dissipentur inimici tui, et fugiant qui oderunt te, a facie tua.* Item Deut. xxxii, 41: *His, qui oderunt me, retribuam*, ait Dominus. Et Ps. lxxiii, 23: *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper;* et Christus Io. xv, 24 inquit: *Oderunt et me et Patrem meum.* Verum non est, cur id auctoritate firmare satagamus, cum luctuosa experientia aetate praesertim hac nostra nos doceat, haud paucos impios scelestosque homines odium plane execrabile in Deum palam ac publice profiteri (2).

398. Animadvertendum tamen est quod non omnes, qui oderunt poenam, Deum oderint poenarum auctorem, neque ii, qui impatienter poenas sibi inflictas ferunt; imo vero innumeri prope sunt, qui inflictas a Deo poenas patienter ferunt ex divinae iustitiae reverentia, atque ex desiderio luendi poenas propriis peccatis debitas. Ceterum docente s. Augustino, iubemur quidem a Deo poenalia mala tolerare, non autem amare (3). Qui vero ex promeritarum poenarum inflictione occasionem sumunt insurgendi in Deum eumque odio habendi, reos se gravissimi peccati constituunt.

399. Duplex hic consuevit agitari quaestio: utrum nempe odium Dei, quod nemo inficiatur peccatum ex

(1) II, 2, q. 34, art. 1.

(2) Hic non referemus blasphemias execrabiles sive Proudhonis, sive Ludovici Blanc, sive aliorum sociorum, quia nos earum pudet; ceterum sunt notoriae. Interim in societatibus secretis, ad hoc, ut cooptentur candidati in has societates, emittere tenentur iuramenta odii adversus Deum et adversus Christum eius ac catholicam religionem, quae sola christianismum constituit. Cf. opusc. *Storia, dottrina e scopo della frammassoneria*, trad. dal francese. Vienna 1861, pag. 79, seq. Inter innumera prope exempla eiusmodi odii, quod contra Deum profitentur sectarii Francomuratorii nuncupati, nobis satis sit duo afferre, quae recensentur a viro fide digno, atque his ipsis verbis describuntur: « Abbiamo conosciuti due frammassoni convertiti in punto di morte per miracolo di Maria; uno di questi aveva studiato ed imparato a fare tutto ciò che potesse recare maggiore offesa a Dio; l'altro peggiore ancora, non potendo più peccare come voleva, per la tisi che l'aveva consunto, tutte le mattine faceva protesta di bestemmiare ed offendere Iddio tutte le volte che apriva gli occhi e le labbra, che moveva le membra, che traeva il respiro. » En, quid sit eiusmodi secta, quam non pauca gubernia fovent! Certe diabolus ulterius progredi nequit. Vide etiam *Lettera di Mazzini a Gioberti*, etc.

(3) *Confession.* lib. 10, cap. 28, n. 39.

toto genere suo, ut aiunt, esse gravissimum, quodque ob eius malitiam et immanitatem vere *diabolicum* vocaveris, sit simpliciter peccatorum omnium maximum necne. Item, an maximum censeri debeat peccatum odii in proximum, quod pariter, saltem ex *genere* suo, uti gravissimum habetur. Ad quas quaestiones dirimendas has subiicimus propositiones.

PROPOSITIO I.

Odium Dei est peccatum omnium maximum.

400. Ita s. Thomas, qui eam evincit eiusmodi argumentis. 1° Quia optimo opponitur pessimum; iam vero odium Dei opponitur caritati seu dilectioni Dei, virtuti omnium optimae et excellentissimae, et in qua optimum hominum consistit. 2° Quia ratio culpae consistit in voluntaria aversione a Deo; porro eiusmodi aversio a Deo potior ac maior est in odio quam in ceteris peccatis; siquidem id, quod est per se et directe intentum, est potius eo, quod est secundum aliud et indirecte intentum; talis autem est aversio, quae habetur in odio Dei, cum voluntas per se et ex intentione expressa et formali ab eo aversatur, secus ac accidat in aliis peccatis, in quibus eiusmodi aversio solum habetur ex quadam indirecta et secundum aliud veluti participatione, quatenus voluntas, aliquid inordinate amans, illud praefert Deo, et sic ab eo avertitur. Sic qui, ex gr. fornicatur, non avertitur a Deo per se, directe et ex intentione, sed indirecte, et secundum aliud, in quantum appetit voluptatem, cui annexa sit aversio Dei (1).

401. Animadvertit hic vero Suarezius, fieri posse, ut *in individuo* propter circumstantias alia peccata possint esse graviora, et in ipso odio Dei possit unum esse gravius seu maius alio. Odium enim inimicitiae simpliciter maius est odio abominationis tantum, quamvis hoc odium semper includat virtute aliud respectu Dei, quia nullum vel minimum malum potest esse in Deo, quin omnino destruatur Deus (2). Verum quidquid de hoc sit, nemo negaverit, haud posse quempiam nisi per summam malitiam ac perversitatem Deum odisse, qui bona omnia in se continet, qui essentialiter bonus in se est, imo et bonitas ipsa, et a quo bona cuncta procedunt.

Difficultates.

402. Obi. 1° Gravissimum peccatum videtur illud, quod irremissibile perhibetur; iam vero tale est peccatum in Spiritum sanctum, ut patet ex Matth. XII, 31, 32, non autem odium Dei. 2° Magis aversus est a Deo infidelis, qui nec eum agnoscit, quam qui Deum odit, qui saltem eum agnoscit. 3° Deus odio haberi non potest, nisi propter effectus seu propter poenam; odisse autem Deum propter poenam, non est peccatorum maximum. 4° Sane odium Dei oritur ex amore sui; maius igitur peccatum est amor sui, qui est causa, quam odium Dei, quod est effectus. 5° Demum hoc peccatum unam tantum habet malitiam, directae scilicet aversionis; alia vero peccata duas malitias habent, nempe aversionis et conversionis. Ergo.

403. Resp. ad 1. *D.* min. Si odium Dei idem peccatum non esset cum peccato in Spiritum sanctum, *C.*; si sit idem, *N.* Nam uti docet s. Thomas, odium Dei maxime est peccatum in Spiritum sanctum, secundum quod peccatum in Spiritum

(1) II, 2, q. 34, art. 2.

(2) Disp. 6, sect. 1, n. 3.

sanctum nominat aliquod genus speciale peccati; ideo tamen non computatur inter species peccati in Spiritum sanctum, quia generaliter invenitur in omni specie peccati in Spiritum sanctum (1).

404. Ad 2. vel *N.*, vel *D.* Negative, in quantum Deum non cognoscit, *C.*; positive, hoc est, in quantum Deum aversatur, subd.: si infidelitas oriatur ex odio Dei, *C.*; secus, *N.* Etenim plerumque infidelitas voluntaria provenit ex odio veritatis quae proponitur, ac proinde ratio peccati in infidelitate provenit ex odio Dei, circa cuius veritatem est fides, ac propterea odium Dei est causa infidelitatis positivae: infidelitas vero negativa per se non est peccatum.

405. Ad 3. Neg. min. Licet enim non omnis, qui odit poenam, ut superius diximus, odio Deum habeat, qui tamen propter poenam Deum odit ut punitorem, odit ipsam Dei iustitiam, quod est gravissimum peccatum.

406. Ad 4. *D.* Consequens; si causa induat malitiam effectus, *C.*; per se, subd.; ut plurimum *C.*; semper, *N.* Nam in moralibus saepe effectus est gravius peccatum, quam causa ex qua oritur, si in se spectetur; ut cum quis interficit, ut furetur; gravius profecto est homicidium quam furtum. Si vero causa spectetur ut influens in effectum, tunc ipsa effectus malitiam induit. Quapropter amor ille, ex quo oriri potest odium Dei, per se non est adeo grave malum, prout ipsum odium Dei, quamvis ex voluntatis libertate inducat in pessimum effectum, cuius malitiam proinde participat.

407. Ad 5. *D.* Si malitia directae aversionis a Deo per se non superaret duas illas malitias simul sumptas, *C.*; si vero superet, *N.* Accedit quod sicut in aliis peccatis est malitia directae conversionis ad creaturas et indirectae aversionis a Deo, ita e contrario in hoc peccato de odio Dei est directa malitia aversionis, indirecte vero conversionis, illius nempe commutabilis boni, ex quo tale odium nascitur; ideoque tale peccatum est omnium maximum in genere suo (2).

(1) Ibid. in resp. ad 1.

PROPOSITIO II.

Odium proximi, nedum ex genere suo grave peccatum est, sed est peccatorum omnium quae sunt contra proximum gravissimum.

408. Duas haec propositio continet partes; alteram qua adstruitur odium proximi esse ex se, seu ex genere suo peccatum grave; alteram vero, qua affirmatur eiusmodi odium peccatorum omnium, quae fiunt in proximum, esse maximum. Utrumque est ostendendum.

409. Verum antequam id efficiamus, nonnulla perspicuitatis gratia praemittenda sunt: ac 1° ideo diximus *per se* seu ex *genere suo* odium proximi grave seu lethale esse peccatum, quia non omne peccatum odii, quod in proximum committitur, grave est, cum possit quandoque leve fieri sive ex indeliberatione actus, sive ex levitate materiae, sive ex odii qualitate; imo interdum potest nec peccati malitiam induere. Nam si odium non sit *inimicitiae*, quod utpote odium personae, ut ei male sit, semper est peccatum, sed odium sit *abominationis*, quod rem attingit, vel etiam personam, non quidem ratione sui, sed ut nobis malam aut noxiam, huiusmodi inquam odium potest esse interdum leve, ut si quis ex levi personae displicentia leve ei malum optet. Si quis vero diligat personam, odio ve-

(2) Cf. Suarez, loc. cit. n. 4.

ro prosequatur eius vitia, non modo nullum hoc esset peccatum, sed potius laude dignum foret. Quo sensu de se inquiebat David Ps. CXXXVIII, 21, 22: *Nonne qui oderunt te, Domine oderam?... Perfecto odio oderam illos.* Quae verba enarrans s. Augustinus, *quid est*, inquit: *Perfecto odio? Oderam in eis iniquitates eorum; diligebam conditionem tuam. Hoc est perfecto odio odisse, ut nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas. Nam ecce vide, quid adiungat: Inimici facti sunt mihi. Non iam tantum Dei, sed suos inimicos ostendit* (1). Idem dic de iis, qui optant proximo malum temporale aliquod, ut eum avertant a malo culpae. Verumtamen cum de re valde lubrica agatur, ut supra monuimus, verendum est, ne sub specie boni lateat aliqua latebra odii aut vindictae. 2° Addo, non nisi raro contingere ut odium merae abominationis grave sit peccatum; cum simplex displicentia personae creatae multis defectibus obnoxiae, et aliqua propter illos sine mali imprecatione abominatio non videatur esse inordinatio semper gravis, nisi excedat in effectibus, sive veniam petenti denegando, sive caritatis communia officia subtrahendo, sive scandalum creando, praesertim cum urget praeceptum proximum diligendi. Eiusmodi dispositio quandoque verius antipatheia quam odium abominationis vocatur.

410. Sic explanato propositionis sensu, facile iam est priorem eius partem adstruere. Illud enim ex genere suo grave peccatum est, quod continet violationem praecepti: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Tale autem esse odium proximi, maxime apparet ex Ioannis verbis I, Ep. III, 14, 15: *Qui non diligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam aeternam in semetipso manentem.* Hinc patet, nemini (iuxta limitationem modo constitutam) quamvis improbo, quamvis inimico, licere malum quodcumque optare, quatenus ipsius malum est; eademque de causa nefas esse de bono cuiusquam dolere, quatenus illius bonum est; sunt enim haec verae inimicitiae atque malevolentiae argumenta, atque cum malo affectu necessario coniuncta.

411. Nec solum odium proximi grave peccatum est ex genere suo, verum etiam est peccatum speciale, distinctum a ceteris, quia opponitur singulari virtuti et praecepto.

412. Ad alteram vero partem quod attinet, scilicet odium proximi maximum esse peccatorum, quae sunt contra proximum, patet ex eo, quod avertat omnino ac directe voluntatem a proximo; unde ita se habet ad cetera peccata in proximum, sicut se habet odium Dei ad cetera peccata in Deum. Quare utriusque eadem est ratio.

413. Nec obest, odium proximi non connumerari inter vitia capitalia, quia, ut ratiocinatur d. Thomas, capitale vitium dicitur, quod frequenter est radix aliorum; iam vero tale non est hoc odium, sed potius est quasi extremum malum ex aliis ortum et eo iam generato, multa ex eo dimanant: oritur enim interdum ex ira, interdum ex concupiscentia, sed praecipue ex invidia, quae maxime affinis est odio (2), utpote tristitia de bono proximi; velle autem malum et tristari de bono valde coniuncta sunt. Nec dici potest, invidiam ex odio oriri, perinde ac si tristitia de bono alieno supponeret

(1) Enarr. in cit. Ps. n. 28. Cf. etiam Bellarm. in cund. loc.

(2) II, 2, q. 34, art. 5.

odium; siquidem invidia, seu tristitia illa non oritur ex odio ipsius proximi, sed potius ex odio illius mali, quo quis censet se affici ex excellentia proximi, qui ei praefertur (1).

414. Hic nonnullae agitantur quaestiones, ac 1° quidem utrum eiusmodi odium sit peccatum unius eiusdemque speciei, vel plurium? Nonnulli affirmant unius speciei esse si spectetur per modum vitii habitualis, sed reipsa sub se continere multas peccatorum species; idque duobus modis principalibus contingere, nimirum ex parte motivi, sub quo proximus odio habetur, aut ex parte mali quod quis proximo vult. Prior modus contingit quando proximus odio habetur vel per se, vel per aliam causam, quae intercedat inter unum et alterum, vel quia est quid Dei; cuiusmodi est odium quo daemones contra homines aestuant (2). Ceterum si considerentur actus odii ex parte motivi et ex parte diversorum malorum, in quae feruntur, sunt diversae speciei. Sic odisse proximum ei optando mortem aut bonorum spoliationem, sunt odia specie distincta propter distinctas specie difformitates, quas includunt et imperant. Sane sicut occidere et furari sunt distincta specie peccata, ita velle occidere et furari. Et ita porro. Contra vero alii contendunt, sub quovis respectu odium versari circa *malum* ut sic, et ideo esse unum; velle autem malum in particulari non esse odii sed iniustitiae, vel similis mali (3).

415. Ast prior sententia longe verisimilior videtur; siquidem amor non tantum vult bonum in communi, sed descendit ad particularia: oppositorum autem eadem est ratio. Item velle proximo aeternam mortem est summum odium, et tamen non spectat ad aliquod vitium in particulari, ideoque constituit speciem propriam. Insuper velle proximo aeternam mortem aut temporalem per se videntur habere deformitates diversae rationis; nam per se privant bonitate diversae rationis. Demum, ceteris omissis, afficere proximum iniuria in vita, vel in fama, sunt procul dubio peccata specie diversa contra iustitiam, propter materiae diversitatem, adeoque et in odio (4).

416. 2. Altera quaestio, quae agitatur est, quomodo distinguatur odium ab iniustitia interiori, et ab appetitu vindictae? Cui quaestioni respondetur, in hoc odium ab iniustitia interiori distingui, quod illud ut sic, abstrahat ab omni actione iniuriosa, quam respicit voluntas iniusta; contra vero iniustitia attingit ipsam iniustam actionem in concreto volitam. Rursum distinguitur odium a vindicta, quod illud per se velit malum simpliciter indeterminatum ac sine mensura; vindicta vero velit malum commensuratum iniuria acceptae; ex quo infertur, quod vindicta non sit per se, seu intrinsece mala, si debitis mediis fiat, et per legitimam auctoritatem expetatur; contra vero odium semper habere intrinsecam malitiam (5).

417. Ceteras missas facio quaestiones utpote ad institutum nostrum

(1) Ibid. art. 6.

(2) Ita Suarez, disp. 5, sect. 2, n. 2, ex quo infert haec duo odia habere difformitates specie distinctas, licet secundum videatur magis esse contra caritatem Dei, quamvis proprie sit contrarium illi actui, quo amatur proximus immediate propter Deum; ac tale videtur esse odium, quod habent daemones contra homines.

(3) Sic inter ceteros Caietanus in suo comment. in s. Thom. ad art. 6.

(4) Ita Suarez, loc. cit. n. 3.

(5) Cf. Suarez, loc. cit. n. 4.

minus opportunas, de quibus suo loco disserunt theologiae moralis practicae institutores.

418. Hic proinde finem huic tractationi imponimus de nobilissimis virtutibus, Fide, Spe et Caritate, quibus tota christiana vita initium, incrementum ac perfectionem habet, donec perveniat ad patriam illam, in qua fides et spes cessabunt, ut sola regnet caritas, qua unum perpetuo cum Deo erimus, unumque inter nos indissolubili nexu devincti.

419. Quandoquidem vero de caritate ac coelesti patria sermo incidit, libet pulcherrimis s. Augustini verbis, quae hactenus disseruimus, absolvere: *Cum transierit*, inquit ipse, *gemitus noster, omnes in una voce, in uno populo, in una patria consolabimur, millia millium conjuncta psallentibus angelis, choris coelestium potestatum in una civitate viventium.... Quid ergo agemus?.... Psalmus nobis dicat: Beati qui habitant in domo tua. Unde? In saecula saeculorum laudabunt te* (Ps. LXXXIII, 5). *Haec erit actio nostra, laus Dei. Amas et laudas. Desines laudare si desines amare. Non autem desines amare, quia talis est quem vides, qui nullo te offendat fastidio: et satiat te, et non te satiat.... Si ergo ista ineffabilis et sempiterna dulcedo erit; modo quid a nobis petit, fratres, nisi fidem non fictam, spem firmam, caritatem puram? Et ambulet homo in via, quam Dominus dedit, ferat tentationes et suscipiat consolationes* (1).

(1) *Enarr.* in ps. 85, n. 24.

A. M. D. G.

V. ex delegat. D. D. Vic. Gen. Capit.

GHIRINGHELLO.

INDEX

PARS I. — De Fide.

Caput I. *Praeliminare*. De varia fidei nominis acceptione atque definitione . . . *pag.* 7

Caput II. De obiecto fidei materiali generatim . . . . » 10

Prop. I. Obiectum materiale fidei theologicae, ad iustificationem et salutem obtinendam necessariae, non sunt sola promissa, sed omnes et solae veritates a Deo revelatae . . . » 11

Prop. II. Obiectum materiale fidei theologicae ad salutem necessariae non in fiducia aut notitia specialis misericordiae consistit, sed in firmo assensu veritatibus a Deo revelatis » 13

Prop. III. Multo minus materiale fidei obiectum in speciali consistit fiducia seu certitudine, qua unusquisque credit, sibi remissa esse peccata, ac se esse iustificatum et praedestinatum . . . . . » 16

Prop. IV. Veritates a Deo revelatae ad salutem necessario catholica fide credendae ab ecclesia proponendae sunt » 21

Caput III. De obiecto materiali fidei in specie . . . 32

Prop. Obiectum fidei necessariae ad salutem non sunt soli articuli fundamentales nuncupati, sed omnes prorsus veritates a Deo revelatae, et ab ecclesia ad credendum propositae » 35

Caput IV. De obiecto formali fidei ac de ultimo resolutivo fidei » 41

Prop. I. Obiectum formale fidei est auctoritas Dei revelantis. Argumenta vero credibilitatis constituunt praeambulum aut conditionem ad formale obiectum habendum . . » 43

Prop. II. De ratione fidei est, ut sit obscura . . . . » 45

Prop. III. Ad obiectum formale fidei non est necessaria revelatio immediata singulis hominibus . . . *pag.* 46

Prop. IV. Ad fidem catholicam praeter divinam revelationem necessaria est tanquam conditio propositio ecclesiae . » 51

Prop. V. Obiectum formale fidei in concreto spectatum talis est certitudinis, ut ei falsum subesse nullo modo possit . » 58

Corollarium. De ultima fidei resolutione . . . . » 65

Caput V. De actu fidei . . . » 67

Prop. Ad actum fidei theologicae eliciendum praerequiritur necessario pius credulitatis affectus ex gratia proveniens » 68

Caput VI. De necessitate fidei » 74

Prop. I. Absque fide theologica ac supernaturali nemini salutis aeternae aditus patet . » *ibi*

Prop. II. Quovis tempore omnibus adultis necessaria est fides explicita in Deum remuneratorem et reparatorem . » 75

Prop. III. Post sufficientem fidei christianae promulgationem omnibus necessaria est fides explicita in SS. Trinitatis et Incarnationis mysteria, saltem necessitate praecepti . » 80

Prop. IV. Adulti omnes pariter ex divino praecepto tenentur distincte scire et explicite credere omnia quae apostolorum symbolo, quae oratione dominica, quae decalogo continentur, nec non quae pertinent ad ea sacramenta quae suscipere debent; implicite vero omnia quae credit ecclesia » 82

Discussio opinionum catholicorum theologorum circa necessitatem medii explicite credendi

ad salutem obtinendam praecipua mysteria SS. Trinitatis et dominicae Incarnationis *pag.* 84
§ 1. Recensentur auctores, qui vel adstruunt, vel impugnant necessitatem absolutam fidei explicitae praedictorum mysteriorum ad salutem obtinendam . . . . . » 85
§ 2. Praecipua fundamenta exponuntur, quae afferri consueverunt a theologis pugnantibus pro sententia affirmante necessitatem absolutam fidei explicitae in utrumque mysterium . . . . . » 86
§ 3. Argumenta pro sententia negante necessitatem medii fidei explicitae eorundem mysteriorum ad salutem obtinendam . . . . . » 87
§ 4. Iudicium exponitur recentiorum auctorum de utraque sententia . . . . » 92
CAPUT VII. De obligatione actus fidei » 93
Prop. Adulti omnes tenentur ad eliciendos identidem fidei actus . . . . . » 94
CAPUT VIII. De exteriori fidei professione . . . . » 95
Prop. I. Nunquam christiano licet fidem exterius abnegare quacumque de causa . » 96
Prop. II. Nunquam christiano licet falsam religionem simulare . . . . . » 97
Prop. III. Ex praecepto divino tenetur christianus libere fidem suam profiteri quoties Dei honor et proximi utilitas exposcunt . . . . . » 101
Prop. IV. Licet christiano ad declinandam persecutionem, imo et aliquando tenetur fugam arripere . . . . » 103
Prop. V. Ad declinandam persecutionem, animarum praesertim curam gerentibus, aliquando licet, aliquando vero fugere non licet . . . » 105
CAPUT IX. De vitiis, quae fidei adversantur . . . . » 108
ART. 1. De infidelitate . » *ibi*
ART. 2. De haeresi *pag.* 111
§ 1. De eo, in quo proprie haeresis consistit . . . » 112
Prop. I. Haeresis est voluntarius et pertinax error in materia fidei catholicae contraria in homine qui se christianum profitetur, quique hac de causa haereticus elicitur . » 113
Prop. II. Haereseos peccatum est in genere suo gravissimum » 115
Prop. III. Haereseon omnium pessima est protestantismus » 118
§ 2. De aliis praeter haeresim circa fidem errorum gradibus, eorumque respectivis censuris theologicis . . . » 121
ART. 3. De apostasia . » 129
§ 1. Variae classes expenduntur eorum, qui per apostasiam virtualem seu aequivalentem a christiana fide deficiunt » 130
§ 2. Varii recensentur malitiae gradus eorum, qui in apostasiam virtualem ac interpretativam dilabuntur . . » 132
§ 3. Illorum exponitur peccatum, qui quoquomodo in apostasiam incidunt, aut eidem suffragantur . . . » 133
CAPUT X. De mediis ad vitia, quae fidei opponuntur, praecavenda, ab ecclesia praescriptis » 136
ART. 1. De disputatione cum fidei hostibus . . . » *ibi*
§ 1. De disputatione in se spectata . . . . . » 137
§ 2. De conditionibus ex parte disputantium . . . » 139
§ 3. De conditionibus ex parte audientium . . . . » 141
§ 4. De conditionibus ratione modi . . . . . » *ibi*
ART. 2. De prohibitione librorum malorum, praesertim haereticorum . . . . » 142
Prop. Iure ac merito Ecclesia malorum librorum interdicit lectionem fidelibus suis, eosque ab illis arcet, ne inficiantur » 143
Appendix. De bulla Coenae nuncupata, ac de indice librorum prohibitorum . . . » 151

PARS II. — De Spe.

Caput I. De varia spei acceptione ciusque natura . . *pag.* 155
Prop. Spes christiana est virtus theologica, per quam certa cum fiducia expectamus a Deo tum beatitudinem aeternam, quae in Dei fruitione consistit, tum media illius consequendae propter divinarum promissionum veracitatem » 156
Caput II. De obiecto spei . » 157
Art. 1. De obiecto materiali spei . . . . » *ibi*
Prop. Obiectum materiale spei primarium est Deus ipse, beatitudo aeterna; secundarium sunt adiumenta omnia, tum spiritualia, tum temporalia, quae ad beatitudinem ordinantur . . . . » *ibi*
Art. 2. De obiecto formali spei » 158
Prop. I. Obiectum formale spei est Deus, ut bonus nobis et in suis promissionibus infinite verax . . . . . » 159
Prop. II. Amor spei, quo Deum diligimus ut summum bonum nostrum, distinctus est ab amore caritatis et amicitiae, quo Deum diligimus propter se » 160
Caput III. De subiecto spei . » 165
Caput IV. De proprietatibus spei » 167
Art. 1. De certitudine spei christianae . . . » *ibi*
Prop. I. Spes christiana firmissima ac certissima est ex parte Dei . . . . . » 168
Prop. II. Spes christiana incerta est ex parte nostra . » 169
Prop. III. Nemini adultorum via patet ad salutem sine illis operibus, quae mandatorum divinorum observatione continentur, ac sine eorum proposito . . . . *pag.* 171
Art. 2. De spei christianae necessitate . . . » 175
Prop. I. Spes christiana omnibus necessaria est necessitate medii ad salutem, adultis vero etiam de necessitate praecepti tum naturalis, tum divini . . . . . » 177
Prop. II. Spes christiana indiscriminatim omnibus etiam perfectis praecipitur, nec ullus datur status, in quo spes tanquam imperfecta excludatur . » 179
Prop. III. Amor concupiscentiae, quo Deum prosequimur ut summum bonum nostrum seu conveniens nobis, honestus est et supernaturalis, ideoque licitum ac virtuosum est operari intuitu beatitudinis solius 181
Caput V. De effectibus spei, ac de timore . . . . . » 189
§ 1. Variae timoris notiones » *ibi*
Prop. Timor simpliciter servilis, quo debite ac recte timetur poena aeterna, vel aliud quod ad eam ducit, prout est malum et incommodum nostrum, est actus elicitus a virtute spei, estque bonus et honestus . . . . . » 191
Caput VI. De peccatis spei oppositis . . . . . » 195
Art. 1. De desperatione . » *ibi*
Art. 2. De praesumptione » 195

PARS III. — De Caritate.

Caput I. De caritatis in se spectatae nomine ac notione *pag.* 198
Prop. Caritas est virtus theologica divinitus infusa, qua Deum diligimus propter seipsum, nos vero et proximum propter Deum . . . . . » 199
Caput II. De obiecto virtutis caritatis . . . . . » 200
Art. 1. De obiecto materiali caritatis . . . . . » *ibi*
Prop. Obiectum materiale caritatis primarium est Deus, secundarium nos ipsi et proximus *pag.* 201
Art. 2. De obiecto formali caritatis . . . . . » 204
Prop. I. Obiectum formale caritatis est divina bonitas absoluta et propter se amabilis, lumine supernaturali cognoscibilis » 207
Prop. II. Una eademque specie virtus caritatis est, qua Deus pro-

pter se, proximusque propter Deum diliguntur . . *pag.* 214
Caput III. De caritate actuali, seu de actu caritatis perfecto et imperfecto, praesertim relate ad iustificationem . » 216
Art. 1. Notiones praeviae circa rationem, qua inter se distinguuntur caritas actualis perfecta et caritas imperfecta » 217
Art. II. De actuali caritate perfecta . . . . » 222
Prop. I. Ad actualis caritatis perfectae essentiam pertinet, ut Deus propter se, ac super omnia, id est, amore appretiative summo diligatur . » *ibi*
Prop. II. Caritas perfecta cum statu peccati lethalis consistere nequit, valetque per se ad hominem iustificandum . » 224
Art. III. De caritate actuali imperfecta . . . . » 230
Prop. Caritas imperfecta, qua Deus non diligitur propter se super omnia, disponit quidem, sed non sufficit ad iustificationem sine sacramento obtinendam » 231
Caput IV. De caritate habituali » 233
Prop. I. Caritas habitualis est virtus supernaturalis a Deo in cordibus nostris infusa, seu donum creatum a Spiritu sancto distinctum, quo in actus erumpimus . . . . » 234
Prop. II. Caritas est vera et propria hominis cum Deo amicitia » 239
Prop. III. Una eademque est caritas in via et in patria » 242
Prop. IV. Habita ratione status, caritas patriae est absolute perfectior caritate viae » 245
Prop. V. Caritas est virtutum omnium praestantissima » 246
Caput V. De necessitate et praecepto caritatis . . » 250
Art. 1. De praecepto dilectionis Dei . . . . . » 251
Prop. I. Datur verum praeceptum de diligendo Deo, idque speciale, cui non satisfit per solam ceterorum mandatorum observationem . . *pag.* 251
Prop. II. Adest praeceptum saepius eliciendi actus caritatis in Deum . . . . » 256
Prop. III. Adest praeceptum, quo tenemur omnes actiones deliberatas in Deum referre » 259
Prop. IV. Praeceptum, quo tenemur referre omnes actiones deliberatas in Deum, non est distinctum a caritatis praecepto, atque per actus caritatis satis impletur . . » 262
Art. 2. De necessitate caritatis circa opera meritoria de condigno essentialis beatitudinis » 270
§ 1. Argumenta eorum qui respuunt necessitatem caritatis imperantis ad meritum de condigno gloriae essentialis » 271
§ 2. Illorum argumenta, qui pugnant pro necessitate motivi caritatis imperantis ad meritum de condigno gloriae essentialis . . . » 273
§ 3. Conclusio . . . » 275
Art. 3. De praecepto dilectionis sui ipsius et proximi » 276
Prop. I. Tenetur quisque vi praecepti caritatis magis se quam ceteros diligere in ordine praesertim ad aeternam salutem et ad ea quae ad eandem perducunt . . . » *ibi*
Prop. II. Tenetur homo ex praecepto caritatis proximum ordinate diligere sicut seipsum » 279
Prop. III. Tum lege naturali, tum lege positiva divina tenetur homo diligere peccatores et inimicos suos . . . » 284
Caput VI. De vitiis caritati oppositis . . . . . » 290
Prop. I. Odium Dei est peccatum omnium maximum . » 292
Prop. II. Odium proximi, nedum ex genere suo grave peccatum est, sed est peccatorum omnium, quae sunt contra proximum gravissimum » 293

235.1
P 429
Giovanni 25054
PERRONE, [redacted], S. J.
AUTHOR Praelectiones Theologicae
de Virtutibus Fidei, Spei et
TITLE Caritatis.
(2nd. edition)

DATE DUE | BORROWER'S NAME

[redacted]

APR 3 1974 157-PSR MAY 10 1974

25054

235.1
P429